HISTORIA NAVALIS ANTIQVA,

Libris quatuor.

Autore THO. RIVIO, *Regis* in Anglia Aduocato.

Spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen natiuitatis. lib. Sapient. *cap.* 14. *v.* 6.

LONDINI
Apud ROBERTVM BARKER, Typographum Regium: Et Hæred. IO. BILLII.
Anno 1633.

SERENISSIMO
Potentissimoque Principi, Domino nostro CAROLO, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, &c.

CElebratur apud Platonem, Serenissime Principum, Virorum optime, Clementissime Domine & Rex noster, Biantis, (hominis, vt ferebatur, sapientissimi) elogium, quo in mare nauigantes nec inter viuos, nec inter mortuos habendos esse dixit: quippe qui ita in vicinia mortis semper agi ent, vt nunquam ab ea septem digitis remoueantur. Id qua Minerua dixit Bias, viderit Plato, viderint Philosophi: quibus il-

lud ſemper cum leuiſſimis poetarum commune fuit, in omni oratione mare naufragijs infame reddere. Ego certè horum hominum, ſemimortuorum ſcilicet, & nihil prout ab vmbris diſtantium, egregia in mari patrata facinora nunc ſcribere aggredior. Quanquam, vt mihi quidẽ videtur, ipſæ res, à tã claris ducibus, tanto conſilio, tanto animi robore & virtute geſtæ, earum autores in plenâ vita fuiſſe ſatis indicant. Niſi forte quis Themiſtoclem, Luctatium, Auſtriacum, noſtros denique homines, Draconem, & Candiſium, neque viuos neque mortuos, ſed ſomno oppreſſos, res tantas egiſſe ſomniet. Nam ad mortis vicinitatem quod attinet, quis non videt, à ſalo & à ſolo tantundem ad mortem eſſe viæ? Calcauit non ita pridem Maieſtas Veſtra terram Hiſpanicam: tranſiuit & Oceanum: dubium vtrum

maiore diſcrimine. Nos certè, de vita fortuniſque Veſtris, vt par erat, ſoliciti, maris ſæuitiam minùs exhorruimus. Veruntamen ſi tanta ſint maris pericula, quanta à Philoſophis eſſe prædicantur, eo certè digniores ſunt Nautili iſti, qui inter viuos recenſeantur: quandoquidem per tam denſa pericula patriæ ſuæ ſalutẽ, ſibi verò ipſis gloriam quærere non dubitarunt. Itaque non ſolùm vixerunt præſtantiſſimi olim Nauarchi, Gubernatores & Nautæ, verumetiam viuunt: &, ſi quid hæc mea in ſcribendo tenuitas, Veſtris auſpicijs adiuta, poſſit, memoriâ hominum ſempiternâ viuent: atque ita viuent, vt præclariſſimis omniũ temporum ducibus, qui terrâ res geſſerunt, nullo laudis & honoris genere ceſſiſſe dignoſcantur. Veſtra modò Sublimitas, cæptis hiſce meis clementèr annuat, & Vigilias has, quo

ſeruorum ſuorum ſtudia ſolet, vultu placido ſuſcipiat: totam olim & integram de Rebus ad mare ſpectantibus hiſtoriam, ſi vitam mihi Deus, ſi per Te otium dederit, denique ſi digna videbitur, accepturus. Deus Opt. Max. Maieſtati Veſtræ multos annos, & vel æternam ſine bello pacem, vel perpetuam in bellis, ſiue terra ſiue mare gerundis, victoriam largiatur.

Humilimus Maieſtatis Veſtræ

ſeruus & Aduocatus

T. RIVIUS.

¶ Ad Lectorem.

QVùm frequens de eicosoris, longisque nauibus, & triremibus, de nauibus item tectis & constratis, turritis etiam & rostratis, ipsisque nauium rostris, in præsenti opere fiat mentio, operæ pretium me facturum esse existimabam, beneuole lector, si in ipso libri limine, veras viuasque earum effigies, (vt ex antiquis marmoribus desumptæ extant,) hic graphicè depictas conspectui tuo exhiberem. Multis vtique de causis, id nosse, tibi non inutile inter legendum fuerit: inter alias, illa, quòd fabricæ ipsius, priscis temporibus, & apparatuum tenuitate perspectâ, incredibilem alioqui nauigiorum tunc extructorum numerum minùs,

virtutem

virtutem verò militum magis demirabere. Nam ad ingentes illas, & incredibiles, quæ ab Alexandri Magni tempore mari incubuerunt nauigiorum moles quod attinet, nostri quidem nunc apparatus nautici, quantumuis amplissimi, si cum illis comparentur, nihil sunt, sed earum formas nusquam descriptas reperi. Vale lector, & inter legendum me ama.

THO. RIVIVS.

THO. RIVII HISTORIÆ NAVALIS LIBER PRIMVS.

Argumentum.

Breuem narrationem de Arca Nohæ: qualibus nauigijs, medijs inter diluuium & bellum Trojanum temporibus, prisci vtebantur: De Iasone, quòd primus navis longæ fabricandæ autor fuit: De Minoe Cretense, quòd primus maris Dominus appellatus sit: De Thesei cum Minotauro in mari conflictu: De Græcorum post Cretenses in mari potentia: De classe Græcorum ad Troiam missa: De varijs gentibus quæ post bellum Troianum maris dominium ad Cyri tempora tenuisse perhibentur: Primos omnium Græcorum Corinthios classe valuisse: De Ionum in mari potentia: De Phocæis qui tota Ionia à Persis pulsi, sedes Marsyliæ in Gallia constituerunt: De Polycrate eiusque in mari potentia: De Phœnicibus eorũq; navigationibus & Colonijs: De expeditione Salamonica ad regionem Ophyr: De bello à Dario Persarum Rege Ionibus illato, & pugna nauali ad Ladam Insulã: De Xerxe Persarum Rege, qui Græcis bellum intulit: De Themistocle Atheniensi, & pugnis eius naualibus

ad Artemysium, & demum omnium nobilissimâ ad Salaminem insulam: De prælio nauali ad Mycalem: De classe Pœnorum in Sicilia à Gelone Syracusarum Rege deleta: De Cimone Atheniensi, eiusque rebus contra Persas in mari gestis: De expeditione Atheniensium in Aegyptum, & infœlici eius post sextum annum exitu: De pugna nauali ad Eurymedonta fluuium, à Cimone contra Persas edita: De prelio nauali, inter Cimonis defuncti classem & Phœnices patrato: De Pericle Atheniensi: De Sami expugnatione: belli Peloponiaci, quod totos 27. annos inter Spartanos & Athenienses durabat, à Corcyræis initium factum, eiusque progressus; varias in eo pugnas nauales: De expeditione Atheniensium in Siciliam, res eorum secundas, & demum clades: De Alcibiade rebusque eius gestis: de exilio & fuga eiusdem ad Persas: De Mindaro Spartanorum Nauarcho: De Alcibiade ab exilio reuocato: De pugna nauali ad Hellespontum, in qua cæsus Mindarus ab Alcibiade: De Lysandro Spartano: De Antiocho Alcibiadis legato, à Lysandro pugna nauali ad Ephesum victo & occiso. De Callicratide in Lysandri locum suffecto: De Conone Atheniensi: De pugna nauali ad Arginusas inter Callicratidem & Protomachum Atheniensem patrata: De crudeli Atheniensium in suos duces nauales iudicio: De Lysandro iterum classi Spartanæ præfecto: De victoria nauali ad Aegospotamos à Lysandro parta & classe Atheniensium pœnitus deleta: Alias præterea res ad ruinam Athenarum spectantes, liber primus continet.

Præ-

Præfatio.

RES terra gestas multi olim scriptores multis literis prodiderunt, quæ verò mari contigerunt, paucis. Itaque nemo hactenus repertus, qui, res marinas vt hîc, illic, apud autores disiectim positæ reperiuntur, in vnum Historiæ cumulum coniectas legentium oculis subijcere curauit. Mihi verò res causásq; nauales aliquot iam annos in suprema Curia Admiralitatis Angliæ tractâti, nescio quo pacto, sed ipse quodammodo naualis fit animus. Noctes certè & dies oculis meis obuersari solet humani ingenij cum horrendis pelagi tempestatibus conflictantis vis; pugnarum in mare commissarum cum numero coniuncta magnitudo; summorum Imperatorum & ducum in hoc genere laus; tota denique nauigandi ratio. Quapropter rem profecto ipsam dignam esse iudicaui, quæ sua & integra Historia in notitiam hominum aliquando perferretur, si indolem materiæ parem natura præbuisset. Nec ego ab hoc incepto forsitan deterrerer, nisi quam ingenij viribus, tam etiam à forensibus negotiis otio destituerer. Quoniam igitur integram non licet, ideo, quod licet, breuē hanc de rebus ad mare pertinentibus Historiam scribere institui. In qua, quæ gentes, quique viri, rei naualis gloria maxime claruerunt: quæ prælia, quibus artibus, quantis viribus, quo euentu, suis quæq; locis

& temporibus in mare pugnata potissimum celebrantur; denique à quibus initijs, quibusque incrementis, Res nautica, rudis illa quondam & vel a littore formidanda, eam nunc sui fiduciam ceperit, vt ventos ipsos tempestatesque spernere videatur, ostensurum me esse non diffido; certam inde spem habiturus, si (quod oro) Deum Opt. Max. maris illum ventorumq; arbitrum, me ab vltimæ antiquitatis littore soluentem ad præsentis huius sæculi spacium, tanquam ad votorum meorum portum, sui numinis Fauonio prosequentem sensero.

Cap. I.

PRimus nauium autor & inuentor erat Deus. Dei monitu & consilio, primam nauem fabricabat Noah: mirandi quidem operis, & stupendæ magnitudinis, sed humano generi salutarem, & plenam mysterijs machinam. Hanc, quod tecta desuper esset, & ad aquas, quæ magno impetu de cœlo ruituræ erant, arcendas vndique communita, Arcam nominabant. Simplex enim erat illa nauis fabrica: nec alio quam prouidentiæ diuinæ velo, remigio, gubernaculo regebatur; quibus demptis, quid aliud fere est, quod nos hodie nauem appellamus, quam maiusculæ molis arca? Neq; vero nauem hanc in exemplum à posteris nauigandi causa tractam fuisse legimus; sed breuioris formæ ratibus omnes vtebantur. Huius generis illa erat, qua Danaus ex Ægypto in Peloponesum, qua Cadmus è Phœnicia in Græciam, Perseus in Africam, Bellerophon in Ciliciam, Triptolemus in Atticam, Phrixus cum sorore sua Helle in Asiam, & quicunque

cunque illi erant, qui Europam & Ganymedem, hunc è Phrygia, illam è Sidone rapuerunt, in terras illas tramiſiſſe memorantur. Hæc enim omnia, res veræ, medijs fere inter diluvium & bellum Troianum temporibus mari geſtæ erant: ſed quarum memoria, vetuſtate inducta, ad nos non aliter quam fabularum involucris tecta peruenit. Taurus enim, & Aquila, & Aries, & alati ſiue Equi, ſiue Serpentes, & ſi quæ alia his ſimilia apud Poetas decantantur, nihil aliud erant quam expeditionum nauticarum reliquiæ, & ipſa nauium variorum animalium paraſemis ſeu figuris, vt etiamnum mos eſt, vel in puppe, vel in prora, vel vtrobique inſignitarum nomina; ſed, vt dixi, breuioris, hæ omnes, & propter breuitatem, rotundæ quaſi formæ naues erant. Poſt aliquot verò ſæcula, nauem longam fabricabat Argos: ex quo nauis ipſa Argos dicta, & qui in ea nauigabant Argonautæ appellati. Horum princeps erat Iaſon, Theſſalia oriundus: comites vero, Caſtor & Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus & alia ex Græcia, clarorum virorum nomina. Hi primi mare nauibus tentaſſe perhibentur. Hi velleris aurei, quicquid illud erat, quod in Colchide ſeruari dicebatur, fama exciti, claſſem eo dirigebant. Et inde quidem Iaſon, Vellus aureum, ſed cum eo, Medæam vxorem, hoc eſt, domus ſuæ incendium & peſtem retulit: vt iſto veluti augurio portentum fuiſſe videatur, ex maris vſu magnas quidem opes, ſed ingentia ſimul mala humano generi comparari.

Nauis longa.

Iaſon.

Cap. 2.

Scio quidem Diodorum Siculum, hunc, qui-

cunque demum ille sit, in naue longa primùm nauigandi titulum, Iasoni præreptum, Sesostri Ægyptiorum regi attribuere. Quippe quem cum quadringintarum longarum nauium classe mare Rubro egressum, non solum Arabiam omnem maritimam, verùm etiam Indiæ vniuersam cis & vltra Gangem oram nauticis copijs expugnasse referat: Nec eo contentum, nauem quandam ex cedro, ducentorum octoginta cubitorum longitudine, auro exteriùs, intus verò argento celatam, Thebarum Deo consecrasse. Verùm rem alioquin suspectam, temporum ratio in alterutram partem falsitatis arguit. Alij enim Scholiasten Apollonij in Argonauticis sequuti, Sesostrim Oro Isidis & Osiridis filio successisse tradunt: cuius regni initium, ad sexcentesimum vicesimum non amplius à diluvio annum referunt. Id si ita est, satis, vt quidem puto, constat hos tantos apparatus luxusque nauticos illorum temporum non fuisse. Alij verò eum perpaucos ante bellum Trojanum annos regnasse malunt. Herodotus certè Protea Ægyptiorum Regem, Menelaum, dum conjugis suæ raptorem persequeretur, hospitio accepisse ait; ante quem Pheronem, ante illum verò hunc de quo loquimur Sesostrim, Ægyptiorum regnum proximè tenuisse narrat. Qui si non fallit calculus, aperta profectò res est, Sesostrim vsque adeo citra Iasonis tempora regnasse, vt in huius prærogatiuæ disceptationem cum eo venire non possit. Quæ si non essent, tamen quum ipsi in quibus illa à Diodoro traduntur libri, *De fabulosis Antiquorum gestis* inscribantur,

Nauis longa.

tur,quis non videt, nulla autoris contumelia, rerum ipſarum fidem antiquari? Nos vero qui rerum navalium ſeriem tradere ſtatuimus, veram hiſtoriam, quantum aſſequi poſſumus,ſcribendo ſequi decreuimus. Ea autem hanc, ſive laudem,ſive fortunam Iaſoni tribuit.

Cap. 3. *Hercules.*

Iaſone vero reverſo, non quieuit Hercules, ſed novi hujus inuenti fiducia fretus, cum claſſis illius parte Trojam appulit; Ibi Laomedonta Regem, notum perfidia & periurijs caput, ob legatos ſuos contra jus gentium violatos mactaſſe, vrbem vero ipſam recens tum munitam, dirutis mœnibus euertiſſe dicitur.

Cap.4. *Regnum Cretenſe.* *Minos.*

Sed ut maris primùm à ſe tentati decus Græci præceperunt, ita primã ejuſdem dominio occupati gloriam Cretenſibus reliquerunt. Horum Rex erat Minos, iuſtitiæ vnicum in terris illo tempore exemplar, quique apud Platonem, propter ſapientiam, Iouis ſceptro, hoc eſt, diuino quodam animi conſilio Cretam rexiſſe perhibetur. Hic multum terra, mari omnia poterat: primus in mari claſſe depugnaſſe memoratur. Multas ille inſulas in Ægæo mari, quod nunc *Archipelago* dicitur,occupauit. Multas etiam ciuitates in Græciæ & Aſiæ continente poſitas ſuo imperio adjecit. Sed non alia re vlla tantum ſibi nominis & gratię comparabat,quam quòd mare ſuo tempore infeſtum piratis, pacatum reddidit, & liberam commercij viam ciuitatibus aperuit. Hinc illi maris imperium omnium conſenſu attributum: Hinc primus maris Dominus appellatus. Græci enim olim & ex Aſia littorales nonnulli, quum nauigijs inter ſe

 poſt

post Iasonis tempora consuêssent, ad piraticam conuersi, nihil primùm tuti mercatoribus in mare reliquere; crescente inde audacia in terram egressi ciuitates & vrbes, si quas parum munitas & injuriæ opportunas reperissent, vi aggressi deprædabantur. Inde omnia præ se agentes & ferentes ad mare tanquam ad possessionem suam se recipiebant. Itaq; Minos, satis superq; periculorum in mare esse arbitratus, prædones istos tanquam omni scopulo nocentiores è mare sustulit. Nec quisquam post tot sæcula, vno Pompeio Magno excepto, repertus, qui Minoa in illo laudis genere vel æquare potuit, vel æmulari concupiuit. His rebus elatus, & nihil non armis suis pronum esse ratus, Dædalum, quem capitalis fraudis accusatum carceri incluserat, custodia elapsum, & cum classis parte in Siciliam fugientem persequutus, graue bellum Siculis inferebat. Erat Dædalus genere Atheniensis, regia stirpe procreatus, sed qui ingenio, & multiplici manus artificio omnes illius seculi mortales anteiret. Is quum occiso Athenis sororis suæ filio, in Cretam ad Minoa profugisset, res ejus nauales multum ingenio suo promovebat. Etenim, quum ante illa tempora, rudes ad hæc opera homines, magni ponderis naves, sola remorum vi impellerent, hic vela, & malos, & antennas, & si quæ alia ad ea pertinebant, nauibus aptabat. Inde orta fabula Dædalum ceratis è Creta pennis in Siciliam aufugisse: Vbi à Rege Cocalo receptus; nec reposcenti Minoi deditus, longi difficilisque belli; inter duos potentissimos tum Reges causam præbuit; in quo, cæso de-

demùm Minoe, ingenti rursus classe (ut est apud Herodotum) Cretenses comparata, Regis sui mortem ulciscendi avidi; in Siciliam navigabant.

Hic miretur fortasse aliquis, qua ratione Cretenses primi omnium ad tam excelsum gloriæ naualis fastigium aspirauerint. Multis autem id rationibus fiebat. Imprimis Regis ipsius virtus, deinde subsidia illa ad nauigandum ab ingeniosissimo opifice comparata, postremò loci ipsius situs id postulabat: cujus ea erat opportunitas, ut ad maris imperium pœne natus fuisse videretur. Nam & toti mari vndique imminebat, & aberat inde breui spatio, hinc Græciæ, illinc Asiæ littus: in quibus degebant populi, numero infiniti, viribus infirmi, suis legibus, suisque vrbibus vivere contenti, sed qui nihil in commune, aduersus communem hostem consulere didicerant: Ex quo facilem Minoi ad imperium maris obtinendum viam patuisse docet Philosophorum princeps Aristoteles. Denique laudem & disciplinam nauticam, Minos non à se ortam omnem, sed magna parte à majoribus propagatam & acceptam habuit. Nulla vnquam summorum tota Græcia virorum feracior, quam quæ Trojanum bellum proximè antecessit ætas fuit; ab hoc enim sæculo omnium deinceps scænarum argumenta petita reperiuntur. Alcides, Theseus, Ægeus, Æacus, Meleager, tota Argonautarum cohors, summi illi viri, & ad communem generis humani vtilitatem nati, haud paulò infra centesimum ante bellum Trojanum annum omnes claruerunt.

Cap. 5.

runt. Sed ut non multo antiquior, ita longe vberior erat Cretæ Insulæ in hoc genere prouentus. Hæc Saturnum, omnium, vt volunt, Deorum vetustissimum, Regem habuit, ipsum hominis nomen latet; sed propter eximiam virtutem, Chronij & Saturni appellationem ei, ut Alcidi, postea noti alioqui hominis filio, Herculis titulum, sacris ceremonijsque additis, & divinitatis opinione, veteres indiderunt. Hic cum multos vtriusque sexus liberos procreasset, singulos verò ad diuersa studia erudijsset, sera demum senectute, siue regno sponte abdicato, sive à filio suo pulsus, classe comparata in Italiam abijt, Latiumque in ea regnum fœliciter constituit. Cuius in Italiam cum classe appulsus, nummis deinceps nave signatis, ad posteros celebratus extitit. Hic quatuor suscepit filios; è quibus qui natu maximus erat, paternis vestigijs insistens, tot tamque illustria beneficia mortalibus vivus contulit, ut non minores apud Græcos ille, quam apud Assyrios Belus, apud Ægyptos Osyris, honores, mortuus sit consequutus, Zeusque, & deorum hominumque sator, & regnator olympi appellatus. Neptunus vero rebus maritimis à patre olim præpositus, tam dextrè omnia administrabat, ut in regni paterni partitione maris imperium sortito obtinuisse existimatus fuerit. Alter vero Æolus magna ingenij subtilitate primus omnium ventos notasse dicitur. Itaque cum classe haud contemnenda profectus Siciliæ partem, & vicinas ei insulas, quas Æolias deinceps vocabant, occupavit: ad quas quum postea

Vlisses

Vliſſes appuliſſet, ventos vtre incluſos, hoc eſt, in membrana, ſive charta marina deſcriptos ab eo in nauigationis vſum accepiſſe prædicatur: ut minime quidem mirum cenſeri debeat, ſi ab his initijs, Minois demum tempore, Inſula illa rei naualis & vſu & gloria cæteris præcelluerit.

Cap. 6. Sed ut erat magna Cretenſium in hoc genere laus, ita haud quaquam perſtitit diuturna. Etenim dum quaſi facto agmine omnes procul à patria Siciliam nauigant, interim vacuam cultoribus patriam ſuam relinquunt; deinde, quum toto quinquennio, circa vnius vrbeculæ mænia hæſiſſent, re demum infecta, impoſito navibus exercitu, abire contendunt: ſed fœdis in itinere tempeſtatibus jactati, quum nulla domum reditionis ſpes oſtenderetur, in Italia non procul Tarento ejecti conſederunt. Inde factum, ut Græci, qui Cretenſium opes, jamdudum ſuſpectas habuerant, quum jam inſulam ipſam & agrorum bonitate, & ſitus opportunitate nobilem, non defenſoribus modo, verùm etiam incolis vacuam jacere comperiſſent, eò ſtatim, migratione facta, populariter tranſmitterent. Ex illo tempore, Creta quæ prius à barbaris, qui eò cum Europa è Phœnicia migraverant, tenebatur, inter Græcas ciuitates haberi cæpta: & Cretẽſes Menelao, non multò poſt Trojam proficiſcenti, cum octoginta nauibus, ducibus Idomeneo & Merione, ſtrenuam operam navaſſe ab Homero prædicantur.

Cap. 7. Locus ipſe monere videtur, ut aliquid hic de ratione temporum diſſeramus. Quæ enim hactenus à me cõmemorata ſunt omnia ante Trojani

jani belli tempora haud dubiè contigerunt; illud intereſt, eodemnè ſæculo, an priore. Non me ſugit, antiquiſſimum Hiſtoricum Herodotum, in Polymnia referre, res Trojanas tertia demum ætate poſt defunctum Minoa accidiſſe. Sed quum idem in Clio, fabuloſa veris (ut in antiquis ferè fit) miſcendo, Iouem ex Europa duos filios, illum quem dixi Minoa, & Sarpedonem ſuſcepiſſe tradat, jam illud extra controuerſiam poſitum reperio, Sarpedonem Lyciæ Regem Minois huius fratrem, ad Trojam à Patroclo cæſum occubuiſſe. Cujus rei etiam Maro in ſua Ænæade non ſemel meminit. Nam & Ænæam, ſuam ſortem miſerantem inducit, quod non ſibi, ut Sarpedoni ſub Trojæ mænibus oppetere licuiſſet: & Iouem Herculem à Pallantis fato conſolantem facit, quòd non alius illum caſus in Italia mox oppreſſurus eſſet, quam qui priùs Sarpedonem, ſuam ipſius, ut ait, progeniem, ad Trojam oppreſſerat. Ex quo profectò apparet, Minoa, quem primam gloriæ navalis palmam occupaſſe diximus, non ita multos ante bellum Trojanum annos floruiſſe. Quid? quod nec ipſum Herodotum huic ſententiæ refragari comperio. Res Trojanas tertia poſt Minoa ætate contigiſſe refert. Hoc ſi quis de tribus ſæculis, hoc eſt, de tercentum annis interpretetur, errat. Tres enim ætates, nonaginta non amplius annos faciunt, vt ipſe Herodotus teſtatur in Euterpe. Quapropter quum res Troicas tertia poſt Minoa ætate geſtas fuiſſe narrat, hoc de annis circiter octoginta interpretari decet, idque rerum ipſarum veritati convenit. Idem de Iaſone af-

firmare

firmare licet: qui,non multum ab ejus ætate abesse potuit. Telamonem enim & Herculem Iasoni comites fuisse superius diximus: porrò Telamon Herculi aduersus Laomedonta proficiscenti comes ibat: Cujus filium Ajacem, primarium inter Græcos virum ad Trojam fuisse quis ignorat? Qua in re,ne quem fortè in nominibus errorẽ subesse suspicemur,poetæ hoc ipsum versibus explicantis verba apponemus. Vbi Ajax gloriatur se *Telamone creatum*, eo scilicet, *Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit*. Quid? quòd Priamum tum iuvenem, & fraudis adversus legatos (quæ belli causa) vnicè expertem, ab Hercule Laomedonti in regno suffectum fuisse traditur. Nam ad eos quod attinet, qui Minoa centum fere annos ante Iasonem floruisse volunt, multum illi in doctrina temporum tradenda errant: nec advertunt, Medæam à Iasone expulsam Aegeo Atheniensi Theseos patri secundis nuptijs fuisse junctam. Thesea autem, quem novissimis ante bellum Trojanum temporibus vixisse nemo ambigit, ipsum fuisse, qui Taurum classis Minoianæ præfectum, (Minotaurum scænis Græcorum dictum) Atticam vastantem interemit, ipsumque Minoa ad obsides reddendos, & pacem æquis conditionibus cum Atheniensibus faciendam compulit: cuius tanti beneficij memor populus, nauem eius prætoriam, qua vectus Taurum debellavit, ad quingentesimum & amplius annũ veluti rem sacram in portu suo asservauit. Itaq; si cum bona Chronologicorum venia mihi meam hac in re sententiam effari liceat,ego Iasonem & Minoa eodem

tempore

tempore floruisse, & è duobus Iasonem ætate maiorem fuisse affirmaverim. Quid enim dubitem? quum eundem Thesea iuvenem admodum illi in bello operam navasse, provectiorem vero annis, huic bellum intulisse exploratum habeam.

Cap. 8. Ipsum autem bellum Trojanum in tempus Iephtæ, qui judicavit Israel, hoc est, in millesimum circiter & ducentesimum à diluvio annum incidisse auctores habeo. Ex quo profecto constat, rei navalis studium totos mille & centum à diluvio annos jacuisse; nec vastum modò & apertum Oceanum, verùm etiam mare illud conclusum, quod Mediterraneum appellatur, non ab hominibus, sed à belluis marinis fuisse occupatum.

Cap. 9. Crevit à Iasone rerum nauticarum vsus & scientia: aliæque post alias gentes, quantum quæque poterat, & vsus ferebat, navium facultatem comparabat. Itaque, ut ad propositum revertar, Fractis in Sicilia Cretensium rebus, illicò rei navalis gloria in Græciam revolabat: Græciaque exinde summam habere cæpit laudis nauticæ opinionem; eò magis, quod non multo post tempore, quum ad vindictam injuriæ Menelao a Paride illatæ sumendam Græci nominis Principes ad Aulidem conjurassent, mille ducentarum navium classem ad id bellum armare valuissent. Ad hoc multum eos iuvabat locorum opportunitas. Erat enim Græciæ ora maritima omnis, terrarum lingulis & promontorijs incisa; quæ laterum objectu, non solum stationes & portus fidissimos faciebant, verum etiam

etiam loca urbibus ædificandis commodissima ubique præbuerunt. Nam minimis munitionibus hostem terra mariq; arcebant,& sive mercimonia,sive bella spectabant, mare ad omnes occasiones in vicino liberum & apertũ habuerunt.

Non abs re fuerit, hoc loco de navium harum forma & mensura paucis disseruisse. *Homerus* in Iliade, dum numerum navium quæ ad bellum Trojanum ex diuersis Græciæ partibus convenerant recenset, Bæotarum navibus singulis centum & viginti viros attribuit; quas autem Philoctetes adduxerat, quinquagenos. Hoc modo,ut quidem Thucididi videtur,demonstrare volens,quæ fuit maximarum ex illis & minimarum nauium quantitas & mensura. Ex maximis igitur & minimis,si de medijs coniecturam facere velimus, circiter nonagenos in singulis omnis generis viros fuisse constabit ratio. Itaque sunt qui toti huic exercitui Trojam transducto centum ferè mille virorum tribuunt. Erant autem hæ naues, sive longæ illæ, sive onerariæ, pro temporum illorum more, apertæ omnes, hoc est nullis tabulatis desuper constratæ, sed in profundum alveo patentes. In his, si res ex piratarum occursu pugnam postulabat, è prora tantummodo & puppe tanquam è vallo pugnabatur: quod in medio spatij erat,id remiges transtris suis insidentes occupabant. Cap. 10.

Nihil ad Trojam memoratu dignum navibus gerebatur. Neque enim aut ipsæ Græcorum naves ad pugnam erant utiles: nec ut fuerint utilissimæ, cum hostem habuerunt, aduersus quem navibus experiri opus esset. Itaque quum pri- Cap. 11.

primùm terram cepissent, statim naves subductas vallo & fossa in littore muniebant: inde veluti è portu, partim in vicinas insulas frumentandi causa descendebant, partim mare prædis agendis, ad res exercitui in oppugnatione sedenti necessarias subvehendas, infestum tenuerunt. Bello deinde finito & classe reducta, sequutæ sunt illæ rerum in Græcia mutationes, quæ Græcos ipsos vel Trojanorum reliquijs miserandos reddere debuerunt. Nam ut Agamemnona, aliosque nonnullos duces taceam, qui statim reversi graviora à suis passi sunt, quam quæ ipsi hosti fecerant, quotus quisque illorum fuit, qui classe in terram alienam non delatus perijt? Diomedes, qui Danaûm fortissimus audiebat, in Italiam, eodem & Philoctetes, sed diuerso littore, appulisse dicitur. Alij alio casu absumpti; multi naufragio perierunt. Solus Vlisses, quasi geminam ab eo euersæ Trojæ vindictam expetissent fata, & longos maris errores pertulit, & in Græciam revectus, domi suæ a Telegono, quem ex Circe susceperat, interficitur. Vt mihi quidem ingens illa mille ducentarum navium classis non tam ad Trojæ excidium, quam ad Græciæ exitium comparata fuisse videatur.

Cap. 12. A Troiæ excidio ad Cyri maioris regnum sexcenti circiter numerantur anni. Quo temporis cursu haud quaquam multa navibus gesta reperiuntur. Cujus ea ratio fuit, quòd imperium Assyriorũ, quamvis ingens per illa tempora erat, tamen ad occidentem & mare serò admodum pertingebat. Primus enim Assyriorum

(Medos

(Medos autem & Chaldæos hoc nomine complector) Nebuchodonoſor, dum Ægyptum armis peteret, Phœniciam in itinere occupauit, Tyrumque, vrbem maritimam, & in ipſo maris, vt Prophetæ verbis vtar, corde poſitam, terreſtri militia expugnauit. Neque enim ille navem vnquam de ſuo in illo mari vidit. Græci verò, poſt Trojani belli tempora, crebrò & ipſi propter domeſticas ſeditiones in alia loca tranſmigrarunt, nec certas ubi conſiſterent ſedes tenuerunt: maris verò uſum, tanquam rem olim infœliter tentatã, toto animo averſabantur. Veruntamen ne quid in hac re memoriâ dignum præ feſtinatione prætermiſiſſe videar, quid in quoq; rerum maritimarum genere illis temporibus evenerit, breuitèr oſtendam.

Iam primum Euſebius in ſuo Chronico multas gentes enumerat, quas à bello ſtatim Trojano mare obtinuiſſe refert. Lydos, Pelaſgos, Thracas, Rhodios, Phrygas, Cyprios, Phœnices, Caras, Lesbios. Hunc verò ordinem à Caſtore Rhodio, qui, vt author eſt Suidas, περὶ τῶν θαλασσοκρατησάντων, hoc eſt, de gentibus & populis qui in mare olim aliquid poſſe videbantur, librum edidit, deſumpſiſſe videtur Euſebius. Quem librum ſi in manibus nunc haberemus, ſupervacanea forſitan eſſet hæc noſtra omnis in rebus navalibus deſcribendis induſtria. Nunc autem præterquam quòd librum ipſum Caſtoris non habemus, nihil planè in hiſtoria, quod Euſebio maris dominiũ gentibus illis aſſerenti fidem faciat, inuenimus: niſi forte de Phœnicibus, quos ab ultima antiquitate, ſi non bellis navalibus, uſu tamen maris

Caſtor Rhodius.

ris & longinquis, ut illa tempora ferebant, navigationibus multum valuisse ex historia tam sacra quàm profana constat. Nosque deinceps tam celebris populi res in mare gestas, quantum res & causa postulabit, silentio prætermissuri non sumus.

Cap. 13. Post aliquot à bello Trojano ætates, Græcia stabilem pacem pactâ, usque adeo hominum multitudine abundare cœpit, ut de colonijs in terras alienas deducendis omni studio cogitarent. Et primi quidem Athenienses genere Iones colonias in Asiam minorem & insulas eidem vicinas deduxerunt: Vbi brevi tempore regionem cœli solique amœnitate spectabilem occuparunt. Hanc à suo nomine Ioniam appellabant, & in ea duodecim florentissimas civitates condiderunt. Quæ quum futuris temporibus, propter sanguinis conjunctioné, in vnú reip. corpus coaluissent, copiis terrestribus navalibusque freti, cum potentissimis illorum temporum Regibus bellú gerere non formidabant. Paulo deinde post Peloponesij diversam viam ingressi, in Italiam, occidentem versus, colonias suas veluti examina emittebant. Hinc Crotona, hinc Tarentum, & aliæ magni nominis civitates; adeo quidem ut tota illa orientalis, & qua ad meridiem vergit Italiæ plaga, Græcia maior veteribus diceretur. Nec dum enim Græci prælijs navalibus assueverant; sed vel mercatura facienda opes, vel colonijs in vicinas regiones mittendis propaginem & potentiam quærebant.

Cap. 14. Annis verò post Trojam captam quadringentis,

gentis,aut eò amplius, exactis,Corinthij omnium primi rem navalem impensiùs adornabant: classemque ad pugnam, cum cæteris rebus instructiorem, tum ipso genere navium, multò quàm prioribus sæculis receptum fuerat, validiorem comparabant. Genus autem nauium triremes erant; tunc primùm ab Ameinocle Corinthio excogitatæ: quum anteà non nisi triconteris, vel pentecontéris,id est triginta,vel ad summum, quinquaginta remorum navibus uterentur.Hæ posteà,quòd unus in illis simplexq; remorum ordo esset, Moneres dictæ. Erat verò triremis nauis quæ ternis remorum ordinibus agebatur, quorum qui infimos versabāt, Thalamitæ,qui summos,Thranitæ,qui medios, Zugi tæ, seu Mesozugitæ dicebantur: nec nominibus modò,verumetiā stipendijs inter se remiges isti differebant: Thalamitæ enim, qui breuissimos & aquæ proximos remos tractabant, minima mercede merebant. Thranitæ, qui longissimos, amplissima stipendia capiebant: medij medijs contenti ibant. Semel autem monstratâ triremium ædificandarum viâ, (ut erat facilè inventis addere) mirum est, in quantam mox amplitudinem excreuerit huius generis navium fabricandarum ratio: Statim enim quadriremes instituerunt Pœni: Nec ita multò post quinqueremes Salaminij, sex ordinum Syracusij: Alexander Magnus, ne quid humile spirare videretur, ad duodecim remorum versus,navem apparasse dicitur: Illum deinde supergressus Ptolomæus Sopater ad quindecim, porro Demetrius Antigoni filius ad viginti remorū ordines,

Corinthij.

Prima triremis.

Triremis quid, & à quo inventa.

dines rem pertraxit: Ptolomæus Philadelphus ad triginta: Denique Philopator, Philadelphi succeſſor, ſuo fretus ingenio, & omnes mortales luxu & diuitiarum oſtentatione anteire cupiens, quadraginta, ne minùs, remorum verſibus vectari voluit. Nec iam naves, ſed aggeres & moles erant. Cycladas antiqui (vt ſt apud Athenæum) & Ætnas, hoc eſt, inſulas & montes appellabant; quinquaginta ſcilicet, aut eò amplius triremium materie, ad unius nauis fabricam congeſtâ. Vt interim illam ab Hierone Siculorum Rege extructam taceam, quæ cæteros omnes non ſolum amplitudine & ſumptu, verumetiam artificio & uſu longè ſuperabat. Quibus de rebus quum ad ea tempora, per Dei gratiam venerimus, pluribus forſitan dicturi ſumus. Sed ut eodem nunc, unde deflexi, redeam, hoc potiſſimùm nauigij genere confiſi Corinthii, aduerſus Corcyræos colonos ſuos, non illo primum tempore à ſe deſciſcentes, arma capiunt.

Cap 15. *Corcyra.*

Erat Corcyra, inſula, quæ nunc Corſou dicitur, Trojani belli tempore Phæacum patria: quorum præcipuum in re navali ſtudium ab Homero in Odyſſeide celebratur. Hos inde Corinthij ſecundo pòſt ſæculo expulerunt: Miſſaque coloniâ urbem ibi Corcyram condiderunt; à qua tota deinceps Inſula eodem nomine appellata. Itaq; Corcyræi, & Phæacum, quorum ſedes occupauerant, & Corinthiorum à quibus originem traxerant, ingenium ſequuti, rei navalis ſtudio animum omni tempore adjecerunt; cujus fiduciâ, adverſus conditores ſuos infeſtis

ſemper

ſemper animis, bella navalia ſuſcitabant. Sed eos hoc tempore Corinthij triremibus adorti, pugna nauali domuerunt. Pugna quidem ipſa, non cæſorum multitudine, non navium expugnatarum numero, non arte, non ducum fama aut celebritate, non alia denique re, nobili, eo vno tamen memorabili, quò I omnium in mare commiſſarum prima, apud Thucididem in libro primo ſuæ hiſtoriæ fuiſſe prædicatur. Eam verò ducenteſimo ſexageſimo ante finem belli Peloponeſiaci (quo præſens volumen clauditur) anno pugnatum fuiſſe idem narrat Thucidides. Ex quo profectò conſtat, quam ſerò mortales ad acies in mare dirigendas acceſſerunt. Ter milleſimus ducenteſimus nonageſimus quintus, aut eò circiter, ab orbe condito annus agebatur, antequā ullū in mare, cuius quidem memoria extat, prælium commiſſum reperitur. Nam quod ſuperius de Minoe Cretenſium Rege, C. Plinium & alios ſequuti, cōmemorauimus, *eum primùm navibus depugnaſſe*: erant illæ prædonum & piratarum fugationes & pœnæ, potiùs quàm conſerta prælia.

Prima pugna nauali.

Nec indigna quidem erat Corinthiorum urbs, quæ huius laudis prærogativâ potiretur. Etenim haud aliud per uniuerſum terrarum orbem Emporium, cum illo temerè comparandum repereris. Quippe quod in Iſthmo ad commercia commodiſſimo ſitum, mare ortum verſus & occaſum ſubiectum habuit. Ad Aquilonem vero & meridiem, hinc Peloponeſum inde reliquā Greciā ita attingebat, ut ab altera ad alterā, niſi per Corinthum ne cōmeari quidē poſſet.

Corinthus.

Cap. 16. Post Corinthios vero Iones, quos Athenis profectos in Asia Minore sedes fixisse diximus, plurimùm ad bellũ classe valuerunt. Quanquam & Ægyptiorum Reges eodem fermè tempore, ne sibi quidem maris studium negligendum esse existimabant. Ex illis verò Pharao Necho, is qui Iosiam Regem Iudæ ad Megiddo fudit & occidit, huic studio potissimum incubuit. Nam quum utrumque mare, Mediterraneum & Arabicum, portuosum undique haberet, classes in utroque pro viribus instruxit. Mox hominem Phœnicem nactus, commeatu regalitèr præbito, Lybiæ oram circumnavigare iussit. Is è sinu Arabico quum soluisset, extremo Lybiæ angulo (qui Bonæ Spei nunc dicitur) circumito, flexo deinde ad Septentriones itinere, ad Herculis tandem columnas peruenit. Vbi mare mediterraneum inuectus, tertio demum anno, eoque pœnè exacto, desperato à Rege reditu, ad Nili ostia incolumis applicuit. Ad regem quum venisset, multa ille stupenda retulit, quæque fidem illis sæculis non invenerunt. Eò usque se ad Austrum progressum, donec tandem Solem ad sinistram (quod, Cancri statim Tropicum & Æquatorem, mox & brumale solstitium prætergresso necesse erat) habere cœperit. Veruntamen lætus ea re Necho, quum Lybiam non magno iugo Asiæ continenti junctam, mare alioquin circumfluam esse comperisset, majus opus aggressus, ingentem ab altero ad alterum mare fossam iuxta radices Casij montis, qui Aegyptum a Syria disterminat, perducere instituit: ut sic mediterraneo in Arabicum immissō, totam

Iones.

Aegyptij.

Necho.

Africa peripius.

mox

mox Africam à continente sejunctam, insulam efficeret. Verùm mediam jam progressus viam, destitit: siue oraculo, ut volunt, sive operis difficultate, quæ spe maior experiundo apparuit, deterritus. Centum enim & viginti hominum millia in eo opere absumpserat. Videbatur tamen initio opus non difficile, nec adversante natura aggressurus. Adeo enim inter duo illa maria terra non solùm humilis & depressa, verùm etiam, stagnante ubique aqua salsâ, putris & palustris erat, & tota æstuario similis, ut ea olim homines imbuerit opinio, mare mediterraneum, sicut os ex Atlantico ad fretum Gaditanum habet, ita hoc loci exitum in mare orientale habuisse. Sed hæc omnia Regij potiùs luxus & ostentationis, quàm bellicæ laudis & virtutis erant.

Cap. 17. *Ionum in mari potentia.*

Iones verò, de quibus dicere institui, sua classe confisi, potentissimi tum in Asia Regis vires minasque contempserunt; illi præsertim, qui Insulani dicebantur. Etenim ex duodecim, quas dixi, Ionum civitatibus, duæ insulanæ erant, Samos & Chios: adversus quas cùm Crœsus Lydorum Rex classem omnibus jam viribus adornaret, ferunt Biantem, eum quem inter septem Græciæ sapientes numeratum accepimus, quum eodem tempore Sardeis ad Regem venisset, interrogatum ab eo, ecquid novi è Græcia? Certè, respondisse. Insulani enim, inquit, decem millium æquitatu conducto, te confestim aggressuri ueniunt. Enimverò, inquit Rex, non aliam illis mentem à dijs dari velim, quàm ut Insulani quum sint in terram egressi, me copijs

Crœsus Lydorum Rex.

terrestribus oppugnatum veniant. At ille, Tu quidem rectè, ô Rex: sed quid aliud Insulanos optare putas, quàm ut te terrestribus hactenus prælijs assuetum, ipsi maris & rerum nauticarum peritissimi quum sint, in mare deprehensum totis viribus aggrediantur? Vera audiebat: Itaq; viri prudentissimi consilium haud utique spernendum esse ratus, rerum navalium studium abjecit, sed irrequieti animi impetum sequutus, arma adversus surgentem tum Cyri Persarum Regis gloriā conuertit. Quo facto magnū quidem, ex oraculo, Regnum, sed suum, evertit, & mundanæ fragilitatis, ut lugubre, ita non inutile mortalibus exemplum reliquit. Hæc sunt ferè, quæ à bello Trojano ad Cyri Majoris imperium in mare gesta reperiuntur, pauca quidem numero, nec specie ampla, vera tamen, & rerum initijs convenientia.

Cap. 18. Interim verò Iones, summam rei nauticæ opinionem nacti, maris illius dominium sine rivali obtinebant. Itaque qua ferociā Cræsum contempserant, eādem & Cyri, quanquam universam tum ferè Asiam imperio complexi, potentiam spernebant: Id autem eò licentiùs faciebant, quòd Persæ, ut qui primi tum ad mare descendissent, scalmum in eo non habebant. Verum non erat hæc Ionibus lætitia diuturna: *Cyrus.* Cyrus enim in Persidem, ad rerum novarum famam revocatus, bellum Ionicum ducibus suis delegabat. E quibus Harpagus, bellum ad singulas Ionum, quæ in continente erant, civitates circumferendo, brevi tempore omnes vel vi expugnauit, vel conditionibus recepit. Omnium

verò

verò primos Phocæos aggressus, eos relicta sua patria ad sedes exteras quærendas adegit. Hi classe profecti, primi omnium Græcorum longinquam navigationem tentare ausi perhibentur. Græciæ enim oram prætervecti, Tyrrheniam in Italia primùm occuparunt; cum Romanis, regnante tum Superbo, fædere coierunt. Inde in Hispaniam profecti, in sinu Tartessiaco militem suum exposuerunt. Denique Marsiliæ in Galliæ angulo, Italiæ pariter & Hispaniæ conttermino, haud procul à Rhodani amnis ostio, sedes suas, quæ ad hunc vsque diem perstant, secundissimis avibus constituerunt. Vnde quum latrocinijs in mari grassarentur, vtrosque simul, & Tyrrhenos in Italia, qui nunc Florentini siue Thusci appellantur, & Carthaginenses in Africa, hostes sibi consciverunt. Hi junctis viribus centum viginti navium classem effecerunt: qua instructi, noui istis in mari illo advenis bellum inferunt, nec illi quanquam vix vltra dimidium ejus numeri navium haberent, pugnam detrectabant. In mari Sardoo diriguntur classes; Fit atrox prælium; multa vtrinque navigia deprimuntur, multa capiuntur. Demum victoria, fusis hostibus, Phocæis remansit: non illa quidē victis quàm victoribus pro tempore luctuosior. Triginta enim fere hoc prælio amissis navibus, mari postea abstinuerunt, & se Græca disciplina adversus ferocissimas Galliæ gentes, terra tutati, Romanorum postea amicitia, vrbem suam Galliæ totius longè potentissimam effecerunt.

Phocæorum ex Asia fuga.

Pugna navalis in mari Sardoo.

Cyro deinde mortuo successit Cambyses filius,

Cap. 19.

lius, quo tempore floruit Polycrates, Samiorum idem & Corinthiorum tyrannus. Hic (quod haud scio an ipsi olim Agamemnoni contigerit) classem centum Penteconterorum, sive longarum navium, quas vulgato vocabulo Galeas nunc dicimus, præter triremes habuisse dicitur. Hic Lesbios graui navali prælio deuicit: Suos rebellantes classe congressos debellavit. Cambysi aduersus Ægyptios, quod vltra temporum illorum fidem videri possit, quadraginta triremes auxilio misit. Denique tanta erat hujus viri præsertim in rebus ad mare pertinentibus fœlicitas, vt quum suam ipse fortunam reveritus, ne nihil incommodi in vita sensisse videretur, heri gemmam in mare projecisset, postridie eandem in pisce receperit. Ipse vero Cambyses, ut nihil memoratu dignum re nauticâ effecit, ita illud egit, ex quo ingens in posterum vis Persarum Regibus ad res Græciæ turbandas accessit. Dum enim adversus Ægyptios proficiscitur, in itinere Phœnices sibi adjunxit. Hos Herodotus, multis retrò à bello Trojano ætatibus, à mari Rubro profectos, in ea parte Syriæ, quam postea à suo nomine Phœniciam appellabant, consedisse refert: Rubri vero maris nomine Persicumnè an Arabicum sinum intelligat, plane nescio. Nam & utrumque mare, Rubrum æquè appellatum, reperio, & de ipsa Phœnicum origine apud authores dubitari video. Alij enim eos ex Ægypto, (quæ mari Rubro ad orientẽ alluitur) cum Agenore, quo tempore Moses populum Israeliticũ per hoc ipsum mare Rubrum, Deo viam non monstrante sed faciente,

Phœnices Persis adjuncti.

faciente, in Arabiam trãſduxit, in has partes veniſſe tradunt, Alij Sidonem & Tyrum vrbes olim in ſinu Perſico floruiſſe ſcribunt. Inde Phœnices oriundos, ijſdem poſtea nominibus, duas ciuitates ad maris Mediterranei oram condidiſſe ferunt. Quibus de rebus ut nihil ego in præſenti pro comperto affirmatum velim, ita illud dubio caret, Phœnices iam inde ab initio, ut literarum in Græciam advectarum laude, ita rerum navalium ſtudio imprimis claruiſſe. Primi ſtellam Polo citimam, quam Vrſam minorem dicunt, breuiſſimo cœli ſpatio circumagi notarunt: notatam primi ad nocturnas navigationes (quo nihil ante vim polarem in magnete deprehenſam, ſolertiùs ab homine inventum extitit) adhibuerunt. Qua notitiá ſubnixi, vel ſedes vel opes exteras, antiquiſſimis temporibus navigando quæſiverunt. Nam vt Cadmum ejus, quem dixi, Agenoris filium, qui è Phœnicia ſolvens, Thebas, validiſſimam in Bæotia urbem condidiſſe dicitur, omittam, ipſo certè belli Trojani tempore, Dido Regina, Tyro, quæ primaria Phœniciæ vrbs erat, profuga, & in Africam claſſe delata, Carthaginem ibi, notiſſimi nominis urbem, & Romani olim imperij æmulam futuram, condidit. Poſt belli deinde Trojani tempus, quum Salomon Rex Iſrael, in mari Rubro, ſive Idumæo, claſſem apparaſſet, Hyramus Tyriorum Rex claſſiarios ei ſubminiſtrabat: ſine quibus fruſtrà ille claſſem ad tam lónginquam navigationem mari immiſiſſet. Etenim ad Ophyr vſque, auri & divitiarum petendarum cauſâ navigandum erat. *Ophyr.*

Verè

Cap.20.

Expeditio Salomonica ad auream Chersonesum.

Verè autem hanc longinquam navigationem fuisse dixerim, vtpote quæ triennij ne minùs spatio confici potuerit. Sed ubi terrarum sita erat Ophyr, apud homines harum rerum curioso, præter investigationis spem dubitari video: Quorum aliqui, quum nullum hujus nominis vestigium à sinu Arabico ad orientem reperiant, hinc est, quòd eam occidentem uersus, in America requirant. Præter itineris longinquitatem, indicio insuper, ut sibi quidē videntur, non fallacissimo subnixi, quòd quum patrum ferè nostrorū memoria Castellani eò, Colūbo duce penetrassent, ibi Circumcisionis ritum apud nonnullos regionis illius incolas vsu receptum repererunt: sed frustra: nec minùs illi, qui Taprobanem insulam quamvis auri argentique fœcundissimam, in medium afferunt. Nam, si alia re nulla, itineris certè brevitate refelluntur. Etenim ab Esiongabar (is portus erat in sinu Arabico, vbi classis illa parabatur) ad Taprobanem (sive Zeilan eam esse volunt, sive Sumatrā) haud certè multorū dierū prosperè navigantibus iter erat. Miror magis locum tam celebrē, & nec antiquissimis tēporibus in sacra Historia cōmemoratum, adeo nunc è notitia hominū excidisse, ut nulla, quæ ad eum ferat, via quærentibus ostendatur. Non enim Salomon aut semel aut solus, verùm & alij sæpe post eum Reges Iudæ ab eodem illo portu classes suas Ophyr dirigebant. Binas Iehoshaphat ipso illo in loco, eademq; de causa instruxisse, in Regum & Chronicorū libris memoratur: Quarum prima divino iudicio, immissis ventorum tempestatumque furijs, vix

portu

portu egreſſa perijt. De altera quid fiebat, ignoratur. Statim enim poſtquam ſoluiſſet claſſis, Iehoſhaphat in fata conceſſit. A cuius filio Ioram tota mox Idumæa defecit. Qua amiſſa, nullum deinceps Iudæ Reges, in toto mari portum, ad quem claſſes ſuæ ab Ophyr reverſæ tutò appellerent, in poteſtate habuerunt. Crediderim vltra Gangem, etſi nomina non reſpondeant, poſitam fuiſſe Ophyr; eâ ductus ratione, quòd quum eò loci, Ptolomæus Auream Regionem & Cherſoneſum collocet, Ioſephus nauticas iſtas Salomonis expeditiones referens, eas auri, eboris, & gemmarum quærendarum cauſa, ad Auream Regionem factas fuiſſe narret. Aureæ ſcilicet Regionis nomine eum locum deſignans, qui in ſacris literis Ophyr appellatur. Sed de re iſta quilibet ut volet: Illud ut dixi, certè conſtat, Phœnices ab antiquis uſque temporibus haud vulgarem ex maris uſu famam obtinuiſſe. Qua de cauſa Cambyſes Amaſin (qui cæſo nuper Aprye regnum Ægyptiacum occupauerat) bello petiturus, horum præcipuè ſocietatem ſollicitè ambiebat. Nec illi tanti Regis amicitiam ultrò oblatam temerè repudiandam eſſe exiſtimabant. Primùm ne tam graue bellum ab Ægyptijs in ſe auerterent: Deinde, quòd recentes ſibi cum Ægyptijs inimicitiæ & bellum interceſſerant. Narrat enim Herodotus, regnante nuper Aprye, inter duas gentes non procul Tyro, pugna navali bis fuiſſe dimicatum.

Carthago. Cambyſes, deuicto Amaſi, ab Ægypto Carthaginem uſque arma proferre ſtatuit. Verùm quum id negotij Phœnicibus demandaret, illi ſe

Carthaginienſium, hoc eſt, liberorum ſuorum ſanguine ſemet polluturos eſſe pernegabant. Erant enim Carthaginienſes Phœnicum ſoboles, perinde atque Trojanorum Romani. Nec Carthago modo, verùm etiam vetus Byzantium, aliæque complures urbes & civitates, tam extra columnas Herculis, quàm intra à Phœnicibus veluti propagine prouenerunt, ut ex veterum ſententia recenſet Strabo: ut mirum non ſit, Perſarum deinceps Reges hujus gentis fiduciâ, univerſæ mox Græciæ bellum navibus intuliſſe.

Cap. 21. Hujus vero belli cauſa & origo, erant Athenienſes, qui illo primùm tempore nauibus ad bellum fidere cœperunt. Erat enim quidam nomine Ariſtagoras, Mileti in Ionia tyrannus; Is à Perſis tyrannide depulſus, Spartam venit. Cleonem, qui tum Spartæ regnabat, adit: Mileſiam, reliquamque Ioniam Græcorum coloniam, ab hoſte barbaro occupari queritur: Græcorum virtutem per ſe magnam, verbis majorem facit, Perſarum verò vires oratione deprimit: facile fore Græcis, & quod plus eſt Spartanis, hoſtem, armorum nec uſu nec genere comparandum, Aſiâ pellere. Sed major erat Regis conſtantia, maior prudentia, quàm ut exulis verbis ad bellum tam non neceſſarium, quàm periculi plenum capeſſendum incitari poſſet. Itaque Athenas, ſuis eas infortunijs implicaturus abit; ibi in concionem populi productus verba facit: Ioniam cùm cæteris Græcis, tum præcipue Athenienſibus, à quibus originem trahat, curæ eſſe oportere docet: cætera, ut apud Spartanos. Vix finitâ oratione, fit decretum: Bellum

lum Persis non indicitur, sed infertur. Viginti navium classis in Ioniam, tanquam regnum Persarum omni Asia pulsura, mittitur. Sed hæc classis ingentium malorum Græcis initium fuit. Etenim Athenienses, quum Ioniam appulissent, Sardes, Lydiæ caput, Crœsi olim Regiam, non procul à mare sitam, expugnarunt: cujus rei nuncius, qùm ad Darium Susis tunc agentem, venisset, adeò rem indignè simul & dolentèr tulit, ut Iouem extemplò de vindicta adversus Athenienses comprecaretur. Deinde ex famulis suis uni juxta stanti mandasse dicitur, ut quoties sibi cœna apponeretur, ter ei inclamaret, *Here, memento Atheniensium.* Haud irritæ cecidêre minæ: statim enim Phœnicum classe adjuncta, Lesbon, Chion, aliasque in mare illo insulas, tanquam in itinere occupavit. Quæ quum denuò (ut solent recens victi) rebellassent, sequuta est illa Persarum contra Insulanos ad Ladam pugna, omnium ab orbe condito ad illum usque diem in mari commissarum maxima. Erat Lada, parva quædam insula, urbi Milesiorum ex adverso jacens: ubi quum occurrissent, confestim classes in cornua diducunt. Erant Ionibus triremes trecentæ tres: Duplex ejus numeri Persis: accuebat hos vincendi gloria, illos libertatis tuendæ studium, &, quod acerrimum rebellantibus telum est, ex offensa veniæ desperatio. Itaque ingentibus statim animis concurrunt: nec suus Persis profuisset numerus, nisi Samij, qui dextrum tenebant cornu, statim inito certamine, incertum quo consilio, sublatis velis pugna excessissent: & jam media acies eo latere

Prima expeditio Atheniensiũ in Asiam.

Pugna ad Ladam insulam.

latere nudata, hoſtium incurſibus patebat. Itaque pauciores à pluribus circumventi, quum ſe à ſuis deſertos cernerent, acriter tamen reſiſtebant: nec quod agerent habebant reliqui, niſi ut turpitèr proditi honeſtè morerentur. Hujus pugnæ fortunam ſequuta eſt Milſiorum urbis, in cujus conſpectu edita fuit, direptio, Sami deſolatio, Chiorum internecio, & inſularum illius tractus omnium, quàm facilis, tam fœda depopulatio.

Cap. 22. *Darius Perſarum Rex.*

Iamque Darius Athenis, totique adeo Græciæ imminebat ferox. Quare proximo ſtatim ineunte vere, Mardonium generum nuper aſcitum, ad Græciam perdomandam mittit. Is quum ad mare deſcendiſſet, Cilicibus, Cyprijs, Ægyptijs, & quibus maximè fidebat, Phœnicibus naves ſociosq; navales imperat, partem exercitus pedeſtri itinere profectam, ſibi ad ipſius Ponti os & anguſtias, quà breviſſimus ex Aſia in Europam traiectus, occurrere iubet: ipſe cum reliquis, nave ſtatim conſcenſâ eodem properat: ubi recepto exercitu & in Europam traiecto, dum circa Athon montem Thraciæ littus radit, ſubitò coorta ventorum vis fœdum in modum claſſem afflixit: trecentæ triremes omni apparatu bellico inſtructæ, & in his viginti hominum millia perierunt: pars fluctibus oppreſſi, pars à belluis marinis, quibus mare illud nondum claſſibus ſubactum, abundabat, hauſti: pars ſcopulis alliſi. Mardonius, naufragio elapſus paulò pòſt, tanquam dux bello parùm utilis, à Dario revocatur, & in ejus locum ſuffecti, Datys genere Medus & Artaphernes

Perſarum naufragiũ ad Athon promontorium.

phernes Darij ex fratre nepos.

Hi, magnis exercitibus in ſupplementum conſcriptis, ad mare veniunt. Ibi naves cùm alias, tum novi nominis, Hippagogas, hoc eſt, equis ferendis aptas, quas Darius anno ſuperiore tributarijs ſuis imperauerat, accipiunt. Hoc modo inſtructi cum ſexcentis expeditis triremibus, ſine maris aut ventorum injuriâ, tutò in Thraciam appulerunt: ubi milite expoſito, ſexcentorum millium exercitum trahentes Athenas ire pergunt. Sed illis in Atticæ finibus, ad campos Marathonios occurrit cum delecta militum manu Athenienſium Dux Miltiades. Vbi ex adverſo conſtiterunt acies, rem oculis æſtimanti haud quaquam par congreſſus futurus videbatur. Vndecim enim non amplius millium exercitum habuit Miltiades, ſed illum animorum & irarum plenum. Hi, ſigno dato, non gradu vadunt, ſed turbinis inſtar in prælium ruunt: quæ res primo ſtatim impetu hoſtem avertit. Fuſi fugatique Perſæ, ad mare, quod lævorſùm in propinquo habuerunt, fugiunt: hæret fugientium cervicibus Miltiades: Perſæ nauibus conſcenſis altum petere conantur. Athenienſes in ipſas naues pugnant; harum alias expugnant, alias incendunt; nec jam pugna in littore ſed ſtrages erat. Erat in illo prælio quidam genere Athenienſis, nomine Cynegirus: qui cùm hoſtes navem quandam multâ vi à terra molientes conſpexiſſet, accurrit; dextram gubernaculo pro remora injecit: eâ bipenni abſciſſâ, idem & læva tentaſſe dicitur: quâ etiam ablatâ, ad poſtremum, dentibus rem aggreſſus

Hippagogæ naues equis primum instructa.

Cynegirus.

esse memoratur; planè ut quod vis virtusque efficere non posset, saltem rabies pro patria ausa fuisse videretur.

Cap. 23. Re terra marique malè gestâ, Datys & Artaphernes Persarum duces terrore perculsi, in Asiam refugerunt. Vbi vero hujus pugnæ fama ad Darium pervenisset, novos statim exercitus, novas classes parari jubet; sed his rebus occupatum mors oppressit. Ei verò Xerxes filius in regno quum successisset, sive contumeliæ acceptæ insolentiá, sive Græciæ perdomandæ cupiditate motus, toto statim animo ad Græciam invadendam exarsit. Sed quum Ægyptij eodem tempore rebellassent, hoc imprimis incendium restinguendum esse censuit. Itaque Ægyptios terrestribus simul navalibusque copijs aggressus, primo regni sui anno profligauit: profligatos, durioribus quam priùs conditionibus, ne de faci i postea se commovere possent, oneravit. Rebus deinde in Ægypto cõstitutis, ad bellum Græcis inferendum sese convertit; sed priusquàm illud aggrederetur, totum triennium apparatibus faciundis insumpsit. Ita quinto demum regni sui anno, Susis cum exercitu, omnium qui unquam fando auditi fuerant maximo, proficiscitur. Præcipua tamen eum apparatuum nauticorum cura tenuit. Classem enim omnis generis nauium quatuor mille & ducentarum habuit: ex illis mille & ducentę triremes, reliquæ à triginta ad quinquaginta remorum naves erant: quarum quæ maximæ erant, ducenos & triginta, quæ minimæ, circiter octogenos aut cò amplius, quà milites, quà remiges fere-

Zerxes Persarum Rex.

ferebant; totus vero exercitus circiter quinquies centenis & octoginta millibus hominum constabat. Hæc tanta tamque immensa classis in montem Athon primum impetum effudit. Erat Athos, & nunc est, editissimum & notissimi nominis in mare procurrés promontorium; inter Ponti os,& Hellespontum ad Europæ latus in Thracia positum, Isthmo, veluti jugo quodam, milliare vnum cum triente lato continenti junctum.

Hunc Isthmum Xerxes, ne promontorium ipsum, quà Mardonij classem nuper confractam fuisse diximus, circuire cogeretur, depressâ in immensam altitudinem fossâ, perfodere cupiebat. Fit fossa tantæ latitudinis, ut binæ illac triremes, immisso jam mari, paritèr & laxè transire possent. Magna olim mortales cupido incessit ex peninsulis insulas faciendi: sed illi omnes munitionis ferè & tutelæ suæ causa talia excogitabant. Hic stulta quadam gloria, & importunâ potentiæ suæ ostentandæ cupiditate, alienissimo ad id loco, & adversante natura, opus perfecit, cuius ne vestigia quidem, pauló post tempore, coëuntibus rursus inter se montibus, apparuerunt. Isthmo perfosso, & novo hoc itinere classe transmissâ, Hellespontum quem nunc S^ti. Georgij brachium appellamus, quà mare est rapidissimum, navibus iungere festinat. Verùm primum eius conatum frustrata est ingens orta in mare tempestas. Quo audito, ira percitus, & veluti ne quid simile in futurum tentarent maria, exemplo cauturus, tercentum Hellesponto verbera infligi jussit. Deinde, quum pontus

Cap. 24.

Isthmus à Xerxe perfossus.

veluti fessum mutando latus, adhuc vehementiùs se commoveret, compedes injecit: verberibus & compedibus adjecit verba, quæ hominem vesanum & ad suum exitium ex propinquo tendentem facilè ostenderent, & pro uno, duos inde pontes mari instruxit: quorum altero exercitum, altero iumenta & impedimenta reliqua in Europam transduceret. Transducto exercitu nihil antiquiùs habuit, quam ut classem lustraret: itaque è curru in navem transcendit, residensque sub aureo veluti cœlo, & prætervectus navium proras, omnia oculis perlustrabat: Demaratum Spartanum spectatissimi ingenij virum, apud se eo tempore exulantem subinde interrogans, Ecquem se beatiorem crederet?

Cap.25. *Themistocles.*

Erat eo tempore Athenis summâ nobilitate vir Themistocles, nuper inter primores civitatis receptus. Is magnam de se virtutis & consilij opinionem, ab ineunte ætate in animis civium concitaverat. Iuvenis adhuc, ut Æginetis, quòd nulla cogente necessitate Persis se dedidissent, bellum indiceretur author fuerat: Quo bello Æginetæ, gravi prælio navali ab Atheniensibus superati, omnem deinceps potentiæ in mare potiundæ spem amiserunt. Quoniam verò jam tum bellum Græciæ à Persis imminere prævidebat, ideo populo suasit, ut eas tunc naves contra Æginetas ædificatas vellent, quæ contra Persas usui aliquando esse possent. Egit insuper privatim publicéque cum ciuibus suis, ut rebus nauticis, plus cæteris, studerent: & in copijs naualibus præcipuam & potentiæ & salutis spem collocarent.

locarent. His prudentiſſimi viri monitis Athenienſes poſt pugnam Marathoniam, ducentas triremes fabricauerant: cumque adventáte jam Xerxe, conſulto oraculo, reſponſum tuliſſent, ut ſalutem ſuam ligneis mœnibus tuerentur, Themiſtocles, ut erat præſentiſſimo ad talia ingenio, per lignea mœnia, navium, quibus tum plurimùm abundabant, præſidium oraculo ſignificari docuit; perſuadet deinde, patriam non mœnia ſed cives eſſe: Athenas ibi eſſe ubi ipſi eſſent, non ædificia; melius denique eos ſalutem claſſi, quàm urbi, ad obſidionem & vim tolerandam non utique firmiſſimæ, credituros. Probato conſilio, conjuges liberoſque cum rebus pretioſiſſimis, ad inſulas quaſdam remotas deferunt. Ipſi, Duce Themiſtocle, pro patria pugnaturi naves conſcendunt. Iamque Xerxiana claſſis, Pelion montem, non procul ab Attico littore, pervenerat; ubi quum totam noctem ad anchoras ſtetiſſet, ſub ipſum diluculum, atrociſſima tempeſtas ab Aquilone ingruit; quadringentæ naves, eæque inſtructiſſimæ, paucis horis unà cum ſupplementis & defenſoribus illâ maris rabie deſideratæ. Huc acceſſit incredibilis onerariorum, alio unque minorum navigiorum, multitudo: adeo quidem, ut tertiam totius claſſis partem, antequam in conſpectum hoſtium veniſſent, amiſſam fuiſſe conſtet.

Interim Themiſtocles, quùm tacitas inter ſe Græcorum iras rebus communibus obſtare, & ſaluti publicæ periculum afferre, animadvertiſſet, offenſas mutuò condonandi, & lites componendi author fuit: Æginetas, cum quibus

grave nuper bellum Athenienſibus fuerat, ad belli ſocietatem pro ſalute Græciæ, cujus ipſi pars erant, incundam pertraxit: legatos ad Gelonem, Siculorum tyrannum, ſocietatem & auxilia petitum, de communi Græciæ conſilio mittit.

Gelon Syracuſarum Rex.

Erat Gelon temporum illorum Rex terra mariq; potentiſſimus: navibus verò plus quàm univerſa Græcia poterat. Cum Carthaginienſibus bellum grave & diuturnum, fœliciter geſſerat: multaſque de illis victoriarum palmas prælijs navalibus reportaverat. Hic, percepta Themiſtoclis & Athenienſium legatione, mentionem de ſocietate non gravatè audijt: milites, frumentum, pecuniam, ſed ante omnia ducentas triremes apparatiſſimas miſſurum, vel etiam ſe cum illis venturum reſpondit; ſed ea lege, ut ipſe, ad hoc bellum, Græcorum Imperator renuncietur: id ni fiat, ſe, nec ipſum venturum, nec pereunti Græciæ ſuppetias laturum dixit. Quod quum audiviſſent legati, enimverò indignum eſſe rati, ſi Athenienſes, quibus maris tutela conſentientibus Græciæ ſtudijs commiſſa fuerat, homini Siculo imperio cederent, re infectâ redeunt.

Cap. 26.

Græci igitur, quum nullum jam externorum auxiliorum ſpem haberent, privatis opibus adnitendum rati, contractis in unum centum octoginta triremibus, ad Artemeſium, non procul à Pelio, unde vi tempeſtatis Perſas dejectos fuiſſe diximus, conveniunt. Erat autem Artemeſium in faucibus Eurypi, qui eſt inter Atticam & Eubœam, poſitum; infeſta planè claſſi ſtatio: nam

Pugna navales ad Artemeſium.

& ven-

& venti ab utriusque terræ, Eubææ, & Bœotiæ prealtis montibus subiti ac procellosi decidunt, & fretum ipsum Eurypi, non septies in die, sicut fama antiquitùs ferebat, temporibus statis reciprocat, sed temerè in modū venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur, vt nec nocte nec die quies navibus ferè detur. Veruntamen hunc locum multis rationibus prælio nauali deligendum censuit Themistocles: primùm, quod introitus esset ex Hellesponto navigantibus in Græciam, deinde quod si eò loci cum hoste confligere oporteret, propter angustias, hostis satis ad universam classem suam explicandam spatij habiturus non esset; sed pari secum numero concurrere cogeretur. Nec hostem latuit, istud à prudentissimo duce consilium strui. Itaque ducentas ex omni numero delectas triremes diversa parte insulæ circumvectas, à tergo se Atheniensibus ostendere jubent, dum reliqua classis à fronte incurrit, ut sic undique conclusos adoriri possent. Ad hoc exequendum noctem proximam sumunt. Verùm medium jam cursum tenentibus sævissima tempestas, ventus, imber, tonitru, fulgur increbuit; quibus factum est, ut ex toto illo numero nulla navis effugeret, sed ad unum omnes cum nautis & propugnatoribus oppressæ interierent.

Erat hoc alterum classi Xerxianæ cælitùs inflictum vulnus: quod quum Persæ ignorarent, postero die, ex statione cum tota classe provecti, Atheniensibus se ostendunt; id modò expectantes, ut ducentæ triremes, quas vespere

missas diximus, sublato clamore hostes à tergo aggrederentur. Athenienses, quum nec ipsi quid illa nocte Persis acciderat, cognitũ haberent, ad Eurypi fauces, ut constituerant, classem instruunt; fit prælium non longum, nec incruentum tamen: nox prælio finem fecit. Postridie, quum neutram partem fortunæ suæ pœniteret, stationibus egressi iterum belli aleam tentant. Hic funestum & dirum Persis spectaculum occurrit; dum enim ad pugnam se cõparant, cadavera suorum, ventis eò delata, nauium proras, & remorum palmulas præpediebant. Fit tamen pugna priori & ratione & eventu non dissimilis: Tertio demùm die Græcis auxilio quinquaginta tres triremes Athenis missæ supervênere: simulque nuncius, Barbaros, qui Eubæam circumvehebantur, omnes naufragio perijsse. Vtraq; res Atheniensium animos, à duobus prælijs utique non secundissimis saucios, reficiebat. Persarum vero duces, tum indignè ferentes se à tantulâ classe tam grauiter vexari, tum à Xerxe, si per Eurypum in Græciam non pervasissent, supplicium timentes, tertiò jam eductâ classe pugnandi Græcis potestatem faciunt; qui quum paululùm extra fauces progressi, ibi immoti starent, Persæ, lunatâ, quod nunquàm ante usurpatum legimus, classe procedentes, hostium naves circumveniunt; tum vero Græci ne deterius stantibus contingeret, naves in adversum concitant. Nunquâm Græci tantis animis, tantis viribus concurrerunt: sed quantum ipsi virtute & rerum maritimarum usu, tantum hostes navium multitudine & velocitate præstabant;

bant; Itaque post longum & difficile certamen, multis utrinque vulneribus acceptis, multis captis & demersis navibus, æquo Marte discesserunt; victoria tamen Barbaris remansit. Mane enim proximo, Græci retrocedentes, liberum hostibus in Græciam transitum reliquerunt. Accidit autem ut eodem tempore, & nauticus Persarum exercitus per Eurypum, & pedestris per Thermopylas, cæso Leonida Spartanorum Rege, viam in Græciam aperirent.

Victoria Xerxis ad Artemesium.

Xerxes voti compos quum in terram Atticam discendisset, totam regionem agendo ferendo depopulatus, ipsas Athenas, cum tectis, templa, fœdum in modum concremavit. Vbi paucos dies, victoriæ fruendæ causâ, commoratus, quum Athenienses Eubæa digressos ad Salaminem Insulam nova subsidia præstolantes substitisse ex transfugis comperisset, ad mare descendit, de Concilij nautici sententiâ, res quæ ad mare pertinerent, administraturus. Deliberatio erat, prælio navali, iterum cum Græcis decertari oporteret, necnè. Vbi consedissent, Sidonis & Tyri Reges honoris causâ primi sententiam interrogati, prælio decertandum, haud ambiguis suffragijs, esse censuerunt. Erat in ea classe, quædam nomine Artemesia Halicarnassæorum Regina, quæ cum quinque triremibus Regem ad hoc bellum non officij magis, quam auxilij causâ prosequuta fuerat. Multa illa, ad Artemesium, multa alijs in prælijs belli facinora ediderat; ut quidem Græci magna præmia proposuerint, si quis ejus vel vivæ vel mortuæ caput retulisset. Hæc sententiam dicere jussa,

Cap. 27.

Artemesia.

jussa, de sua operâ Regi hactenus navatâ paucis præloquuta, multis vivisque rationibus contendebat, ut subductis navibus Rex deinceps mari abstineret: illa præcipuè, quòd si, omisso mare, rectà inde Peloponesum cum exercitu contenderet, momento fieret, ut Græci jamdudum malè inter se cohærentes, re communi neglecta, ad sua quique tuenda dilaberentur. Omnium sententijs auditis, Xerxes Artemesiæ consilium tanquam summa ratione subnixum collaudavit: sed fatis Persas ad Salaminem trahentibus, majori sententiarum numero stari jussit. Iamque ad Salaminem Græci, cum tercentum & octoginta triremibus, præter minora navigia, hostium aduentum præstolantes constiterant, quùm subito, nullo certo auctore allatus de Xerxe Peloponesum versùs cum pedestri exercitu profecto nuncius, omnium, præterquam Atheniensium, animos à pugnæ navalis cogitatione avertit. Id veritus Themistocles, singulos circuire, prensare, rogare, præcipuè vero Eurybiadem Spartanorum ducem, totius classis præfectum, monere, & precari cœpit, ne pravo consilio Græciam perditum jam iret; neu lignea mœnia, quibus ex oraculo fidere oporteret, suis nunc manibus distrahere & convellere properaret: si ad Salaminem perstarent, opes, gloriam, victoriam in manibus esse: si inde digrederentur, exitium Græciæ & interitum portendi. Vera dicebantur; sed autorem leviorem faciebat, quòd Themistocles patria sua extorris, alienam in mari periclitari facilè passurus videbatur; scilicet, inquiunt, Æquum est, nos de regione

gione captivâ, deque Athenis, quæ jam nullæ sunt, prælio navali decernere, dum Sparta & Argos, & tota Pelopis insula defensoribus nuda, infesto hosti pro præda objiciatur.

Cap. 28. Themistocles, quum nihil jam præter contumelias & convitia audiret, Concilio egressus, anceps & audax consilium capit, quodque ex eventu famam habiturum apparebat. Fidum ad Barbarorum duces nuntium mittit, qui Themistoclis nomine salute dictâ, denunciabat, Græcos metu perculsos, fugam in crastinum adornare; posse omnes uno loco constrictos uno prælio deleri; caverent sibi Persæ ne hostem è manibus elabi paterentur; nevè præsentem rei bene gerendæ occasionem amitterent, quam nequicquam posteà requisituri viderentur. Non fallaciùs consultum, quàm stultè creditum. Mediâ statim nocte Persæ, ne quid summo mane agendum restaret, classem instruunt; totam Salaminem, copijs freti, tanquam indagine circumdant; ipse Rex in montis verticem procurrit, ut inde, & prælij spectaculo frueretur, & suis pugnantibus, ad rem strenuè gerendam incitamento esset. Græci, quum iam hostem sibi undique circumfusum cernerent, ex necessitate virtute factâ, & ipsi in pugnam alacres pro Græciæ salute pugnaturi procedunt. Aduersus Phœnices, qui summam ex adversa parte rei nauticæ opinionem obtinebant, consistunt Athenienses. Spartani ut qui rebus navalibus exercitatissimi non essent, Ionas deposcunt. Fama tenet Persas illo die conatu & virtute seipsos longe supergressos: eò magis, quod in conspectu

Pugna navalis ad Salaminem insulam.

spectu

ſpectu Xerxis, atque exercitus, res gerebatur, ut nullum paulò fortius ignaviuſvè factum, latêre poſſet. Omnes enim colles & loca ſuperiora, unde erat propinquus deſpectus in mare, à Xerxe & exercitu tenebantur; ſed inſuperabilis erat Græcorum vis. Pugnâ igitur commiſſâ, ingens illa Xerxianarum navium multitudo, ut erat ab initio non inſcite explicata, ita primo ſtatim congreſſu, ordines non tenuit, ſed aliæ alijs implicitæ hærebant; in quas, ut erant impeditæ, ſervatis ordinibus cum impetu incurrunt Athenienſes, & rem arte Themiſtocles adjuvabat; non enim ante roſtra ſuarum nauium hoſtili claſſi obvertit, quàm ſtata hora advenit, quæ ſingulis diebus ventum validum per fretum, quod inter Salaminem & Heracleum interiacet, immittere ſolebat; qui quum à puppe flaret, Græcis nauibus utpote leuioribus incurſu, vim addebat; idem vero barbaras, quibus aduerſus ſpirabat, non ſolum in curſu, quum incitarentur, impediebat, verum etiam roſtra earum auertit, & obliquas vulneribus objiciebat. In hoc prælio primo ferè congreſſu cecidit Ariamenes claſſis regiæ præfectus; vir ſtrenuus, & inter Xerxis fratres longè præſtantiſſimus; cujus corpus quum in mare decidiſſet ab Artemeſia Regina inter naufragia agnitum, Xerxi ad ſepulturam tradebatur; ſero veſpere multis ſuorum myriadibus amiſſis, in fugam Perſæ convertuntur.

In hac pugna, ex parte Perſarum, Artemeſiæ Reginæ emicuit virtus; adeo quidem ut ipſe Rex, fœminas ſibi in illo prælio, viros, viros autem

autem fœminas fuisse diceret. Quo dicto suos quidem omnes, maximè tamen Tyrios & Sydonios perstrinxit. Ab his enim, quum gloria à majoribus accepta primarij semper in mare bellatores haberentur, fugæ initium factum viderat. Itaque quos eorum primos fugam capessentes oculis notaverat, ad se vocatos in vestigio interfici mandavit. Inter Græcos quum in communi concilio de singulorum virtute quæreretur, Lacedæmonij, quandoquidem nullum de suo corpore nomen profiteri possent, ne tamen rei gestæ palma Atheniensibus (quorum inter omnes conspicua erat illo die virtus) deferretur, malis artibus tenuerunt, ut ita per præconem pronunciaretur; *Ex civitatibus, Aeginam, ex viris Amyniam in pugna ad Salaminem optimè meruisse.* De Ægina pra lata nulla planè cōstabat ratio. De Amynia hoc tantum, quòd ex præfectis triremium primus in Prætoriam Persarum navem incurrisset; eaque perfractâ, ducem ipsum Ariamenem Darij, ut diximus, fratrem sua manu occidisset. Quod quamvis per se ingens ad gloriam decus erat, quantulum tamen fuit Themistocli comparatum? Viro ad Græciæ tutelam & salutem nato. Qui quum in omni genere, Græciæ decus haberetur, tum rebus nauticis ita omnibus præcelluit, ut solus ad hanc diem repertus fuerit, qui cognomento *Naumachus*, hoc est, bellator navalis diceretur. Iamque securus à Miltiadis trophæis dormire pōtuit, majorem quàm ille, & in præsenti, & ad posteros rebus gestis consequutus gloriam.

Naumachus.

Postero à pugnâ ad Salaminem die, Græci Persas

Cap. 29.

Persas hesterno prælio fusos magis quàm fugatos fuisse præsumentes, velut iterum pugnaturi in apertum mare provehuntur. Quum verò classem hostilē inde nocte profectam comperissent, rati Asiam fugâ territos repetisse, Andron usq; insulam insequuti pervenerunt. Sed quum toto itinere nullum hostis vestigium oculis notassent, duces inter se, quid deinceps agendum, deliberabant. Themistoclis sententia erat, ut rectâ inde Hellespontum contenderent, pontibusque quos Xerxes iunxerat solutis, viam regi intercluderent. Quæ sententia si tenuisset, classis Xerxianæ reliquias nullo negotio deleuissent. Nam ad pontes quod attinet, iam ante illi vi tempestatis dissipati fuerant; quod quum Xerxes non ignoraret, suos qui cladi supererant, eò properè navigare iussit, vt sibi eò loci transmissuro adessent. Diuersus Eutybiadis Spartani, summi classis perfecti, sensus erat. Non claudendam esse Xerxi, ex acie in Asiam fugienti viam, nec tantam pestem in Græciæ visceribus, eniti cum possis, comprimendam. Sunt qui diuersa omnia referant, & Eurybiadis sententiam Themistocli, Themistoclis Eurybiadi ascribant. Plutarchus de pontibus non soluendis consilium, vtrique negatum, Aristidi tribuit. Xerxes direptis incensisque Athenis in Thessaliam cum universo terrestri exercitu concessit: vbi relicto Mardonio cum copijs, ipse cum sexaginta tantùm militibus magnis difficultatibus eluctatus ad os Strimonis fluvij supra Hellespontum, quadragesimis castris pervenit: ibi navigium nactus in Asiam propere transmisit; exercitus

citus vero classi impositus ad Hellespontum trajecit. Iamque hyems instabat, & classis Persica Cumam in Æolide infra Troadem in hyberna concesserat. Themistocles vero contempto hyberno mari, insulas quæ in hoc bello Persis favisse dicebantur, sedulò obibat, & ingentes pecuniarum aceruos privatim corrasit, defectionis & proditæ Græciæ crimen, si quæ recusassent, intentans.

Primo vere ex hybernis omni parte movetur; Prior Mardonius è Bæotia mouet, ut in Peloponesum per Isthmum Corinthiorum irrumperet. Id metuens Pausanias Lacedæmoniorum Rex & Imperator cum Græcorum exercitu se ei ad Platæas in Thessalia opposuit. Græcorum vero classis ducibus Leotychide Spartano, & Xanthippo Atheniensi multis tandem Samiorum, cæterorumque Ionum vltrò manus tendentium legationibus & precibus fatigata, Delon usque (media fere inter Græciam & Asiam jacet Insula, Apollinis olim templo & navali quæ Crysa dicebatur, clara) pertrahitur. E diuerso Persæ contractâ trecentarum navium classe, Cumæ, vbi hyemaverant, digressi, Sami stativa, ad Ionas in officio continendos habuerunt. Tanta vero erat, ut author est Herodotus, rei nauticæ illâ ipsâ ætate vtrobique simplicitas & infantia, ut nec Persæ ab Asiæ littore occidentem versus vltra Samum, nec Græci ab Europa ad orientem longiùs quàm Delon vllis cōditionibus navigare auderent. Priores tamen Græci occupant Samum ire. Qua re cognitâ, Persæ, præsidio Sami relicto, ad Mycalem in Asia promontorium

Cap. 30.

torium, quod ſex ſeptemvè milliaribus inde diſtat, refugerunt. Græci Samum quum veniſſent, ejecto inde præſidio Perſico, & urbe & inſula potiuntur: rebuſque ibi conſtitutis propere Mycalem contendunt. Quibus conſpectis, Perſæ in terram trepidantes ſe effuderunt; navibuſque ſubductis cum terreſtribus copijs quæ ſeptuaginta ferè peditum equitumque millibus conſtabat, ſe conjungunt. Quo viſo, & ipſi Græci in terram deſcendunt, & hoſtem in littore ad deſcenſum prohibendum occurrentem, magno prælio vincunt. Inde ad mare reverſi claſſem hoſtium univerſam incendunt. Res preclare per ſe geſta, non fama ſolùm, verumetiam miraculo celebratur. Pauſanias cum Mardonio ad Platæas in Theſſalia manè ejuſdem diei pugnam terreſtrem conſeruërat; cæſoque duce cum exercitu, ingentem de Perſis victoriã reportaverat. Quumq; ſtatim à meridie Græci ad Mycalem applicuiſſent, & propter virium ſuarum tenuitatem incerti adhuc, Perſas invaderent necnè, ſtarent, fama per tot maris ſpatia adlapſi totâ claſſe nullo autore percrebuit, Egregiè pugnatum ad Platæas eſſe & Mardonium cum exercitu occidione cæſos interijſſe. Inde factum ferunt vt velut numine afflati, relictis navibus hoſtem in ipſo littore aggreſſi debellarent.

Dum hæc in Græcia geruntur, grave intereà bellum Siculis Pœni inferunt. Etenim Xerxes, quo primùm tempore Græciam opprimendi conſilium inibat, legatos Carthaginem vſque, ad ſocietatem & fœdus cum Pœnis contra Græ-

cos ineundum, miserat. Communicatis consilijs, ita res composita, ut quo tempore Xerxes in Græciam transmitteret, eodem Pœni in Siciliam trajicerent. Quod eorum consilium, adeo clam omnibns & secretò habitum servatumque est, ut ne levissima quidem famæ aura eâ de re ad Siculorum aures perlaberetur. Legatis dimissis, Pœni, magnâ pecuniarum vi conflatâ, mercenarios ex Italia & Liguria, Gallia etiam & Hispania conducunt. E Numidia præterea & Carthagine ipsa, delectu severissimè habito, militem conscribunt. Deniq; toto triennio in apparatibus faciundis consumpto, trecentorum millium exercitum, quinque millium navigiorum classem conficiunt, è quibus duo millia longarum erant, cæteræ ad commeatum, & forum ferendum onerariæ. Huic tanto exercitui classique Amilcarem præficiunt. Jamque de Xerxis in Græciam adventu fama Carthaginem pervenerat, & Amilcar imperio accepto, inde solvēs, Siciliā versus vela faciebat. Ceterū in trajectu, ingēs classem tēpestas adorta, navigia quibus equi impedimētaq; ferebantur, dimersit omnia. Amilcar tēpestate elapsus, cū reliqua classe, Himeram in Sicilia appulit: ibi milite exposito, bina locis opportunis castra, altera naualibus, altera terrestribus copijs accipiendis occupavit; tū quicquid longarum navium erat, in castra nautica subducit; ea profundissima fossa & muro ligneo prealto munit, moxque Himerenses ad opera impedienda vrbe temerè egressos, fundit fugatque. Quibus rebus territi Himerenses legatos properè ad Gelonem Syracusarum tyran-

Pœnorum cum Persis confœderatio.

num opem & auxilium petitum, mittunt. Hic est ille Gelon à quo Græcos communi consilio adversus Xerxem societatem & auxilium frustra petisse superiùs dixi. Sed quod Græcis per æmulationem non concessit, id Himerensibus, & vicinis, & ultimo periculo, ni subveniatur, succubituris, identidē negandum non esse statuit. Veterem ducem rebusque assuetum mouit, quòd nulla tùm Pœno cum Himerensibus, non magis quam cū ipsis Syracusanis belli causa intercedebat. Apparebat occasionem pro causa capi; totius profecto Siciliæ dominatum à populo externo armis peti: ad id gradum per Himerensium oppugnationem & cædem fieri. Minimè tamen omnium, id quod erat, suspicari potuit, Persis cumPœnis interposito fœdere convenisse, ut eodem temporis momento, alteri Græciam, alteri Siciliam occuparent. Quicquid autem erat, tam vicinum incendium sibi haud quaquam negligendum esse statuit. Itaque nullâ morâ interpositâ cum expedito quinquaginta quinque millium exercitu Himeram contendit. Ibi Pœnos per agros palantes opportunè nactus, magnum eorum numerum cecîdit. Decem mille cepit, reliquos trepidantes in castra cōpulit. Posterò die dum edito in colle stans castra hostium navalia oculis subjecta contueretur, subibat animum ejus cogitatio, si quo modo classem hostilem incendio delere posset. Cogitanti fortuna adfuit; speculatores ad itinera seruanda missi, tabellarium à Selynūntijs, quos Pænus nuper in societatem pertraxerat, ad Amilcarem cum literis missum capiunt; in illis literis perscriptum erat;
Se-

Selynuntios equestres copias die ab Amilcare præstitutâ ex fœdere missuros. Dies erat, qua sacrificiũ Neptuno instauraturus Pœnus erat. Nocte igitur diem illam præcedente, Gelon suos equites emittit: simul mandat ut mõtes proximos circumvecti, incerta adhuc luce, via à Selynunte Himerã ferente se ostenderent, & ad navalia hostium castra, ubi ipse Amilcar tum agebat, tanquã Selynuntiorũ equites, cursu tenderent. Interim speculatores in colle castris imminente disponit, jussos, quamprimùm equitum turmas intra præsidia receptas viderint, signum tollere. Ipse instructa acie, occasionibus intentus, signum à speculatoribus expectat. Iamque equites ad castra hostium aduentantes intra præsidia, lætis Pœnorum animis, utpote fraudis & insidiarum ignaris, veluti commilitones recipiuntur, marisque injuria sociorum fide magna parte levata videbatur: Cum strictis repente gladijs, impetum in Amilcarem milites Geloniani faciunt, ipsum ad aram, sicut erat, stantem, & sacrificijs intentum mactant, simul socios obtruncant, & naves subjectis ignibus passim incendunt. Et jam signo à speculatoribus, ut constitutum erat, accepto, cum universis copijs aderat Gelon; sed ei ex campestribns castris, qùm quid in navalibus ageretur ignorarent, magna vi occurrunt Pœnorum duces. Maior ibi quàm pro tempore cædes utrinque edebatur. Sed flamma repente è navibus surgente, simul nuncio de Amilcaris nece allato, Pœni abjectis armis, quà quisque poterat, fugâ saluti consulunt. Gelo, ne cui viro parceretur, edixit: missis autem qui

Pœnorum in Sicilia strages.

fugientes ad cædem persequerentur, ipse ad navalia hostium castra se vertit: Ibi cæsum Amilcarem, ferrumque & flammam omnia occupantem cernit, vix ut tuta victoribus statio intra castrorum septa relinqueretur. Ita bina navium longarum millia, præter onerarias, cum ipso duce & flore exercitus, cum remigibus sociisque navalibus horæ momento in cineres redacta. Ex navibus tamen viginti (quas pridie Amilcar ad usus necessarios forte deduxerat) altum tenentes, evaserunt: sed & hæ in reditu omnes naufragio perierunt; pauci modò milites scaphis excepti, infaustæ expeditionis nuntium Carthaginem retulerunt. Gelon, rebus ad votum in Sicilia compositis, quum hanc tantam belli molem non ab ipsis Pœnis, sed à Persis originem traxisse ex captivis resciviisset, ultrò jam offerendum ratus quod prius petentibus negasset, cùm quingentarum navium classe, Græciæ laboranti contra Xerxem opem ferre statuit. Navigaturo mercatores Corintho advecti nunciant, Græcos ad Salaminem egregiè vicisse: Xerxem copijs exutum trepidè in Asiam refugisse. Compertum posteà est, eodem die Gelonem castra navalia Pœnorum expugnasse, & Leonidam Spartanorum Regem ad Thermopylas contra Xerxem fortiter pugnantem, occubuisse. Gesta sunt hæc omnia anno ab urbe Romana condita ducentesimo septuagesimo tertio, Cæsone Fabio, & Spu. Furio Coss. à mundi exordio anno ter millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo. Annum ideò signare volui, quod non alium in historia temerè

Clades Pœnorum.

merè reperieris, in quo tot tantæque res terra marique, tam diversis orbis partibus gestæ referantur.

Sed ut è Sicilia Athenas redeamus, erat illo tempore Athenis quidam, nomine Cimon, Miltiadis eius, qui ad Marathonem de Persis victoriam reportavit, filius: is ab adolescentia ingenio ad Musicam & Rhetoricam, cæterasquè artes Atticas rudiore erat: sed ad res gerendas unicè à natura comparatus. Hic quùm in omni genere bellicæ laudis conspicuus esset, rerum tamen navalium palmam omnibus antè se natis, ipsique adeò Themistocli præripuit: cuius quidem indolis specimen, ineunte statim ætate dedisse, & facto ad posteros memorabili tyrocinium posuisse dicitur. Nam quo tempore Themistocles, Persis ingruentibus, populo suadebat, ut urbe, & regione Attica relicta, mari se fortunasque suas crederent, multitudine ad nouitatem consilij stupente, hic repentè adolescens, inspectante populo, hilari vultu in arcem ascendit, frænum equo detractum manu ferens; ipsumque Minervæ arcis præsidi consecrauit: illa veluti tessera, dijs hominibusque testari volens, non iam equestri robore, sed navali præsidio, iuxta Themistoclis sententiam, remp. indigere. Quo facto, votisque Minervæ ritè nuncupatis, ad mare descendit: rebusque fortiter ad Salaminem gestis ingentem favorem apud cives pariter & socios comparavit: multique ad eum accedentes enixè hortabantur ut rempub. maturè capesseret, & jam nunc patre Miltiade & Marathone digna cogitaret. Quum igitur non

Cimon.

ita multò post amicorum hortatibus ad remp. se contulisset, magna statim civium gratia exceptus est; qui senescente iam Themistoclis gloria, ad summos illum magistratus & honores vocabant. Itaque Medis è Græcia fugatis, missus ille copiarum navalium Dux (quum nondum penes Athenienses rerum summa esset, sed sub Pausaniæ Spartanorũ Regis imperio omnes militarent) suum munus privatìm obeundo, omnium in se oculos convertit. Milites enim ordine militari intentos, corpore vigẽtes, animo alacres & ad subita imperia paratos semper habuit; quumq; demum Pausaniam, ad Regis Persarum partes propendentem, multaque adversus cives & socios crudelitèr audentem cerneret, & ipse privatus quamvis esset, Ephoros Spartanos harum rerum per literas certiores fecit, & Pausaniam iam apertè grassantem intra Byzantij mœnia obsedit: quo inde elapso, quum aliud quod in præsenti ageret non haberet, mare Ægeum prædonibus purgauit: quod factum maximam ei, non solùm Athenis, verùm etiam tota Græcia & gratiam & gloriam conciliavit. Auxit deinde viri opinionem, consilium prudentissimum ab eo initum, quo Athenienses, iam ante potentes, postea maris planè Dominos effecit. Quum enim socij tributa quidem ex præscripto haud inviti penderent, naves autem & milites non pari fide & promptitudine præberent; (quippe qui Medorum formidine jam soluti, tantum belli sumptum non libentèr facerent) cæteri quidem Atheniensium duces, eos ad singula ex formula præstanda adigebant; aut si satis non fecissent,

cissent delinquentes in jus trahendo, invisos se & imperium suum socijs effecerunt. Cimon vero diversam planè viam ingressus, nemini ex hac causa molestus esse; sed si quos militiæ pigebat, ab ijs pecuniam in stipendium non gravatè accipere; inde Athenienses alios, & subinde alios atque alios, eosque solos in classem conscribere, usum maris edocere, ad nauseam ferendam adsuetiores reddere, denique sociorum, quorum stipendijs alebantur, dum illi domi desidebant, brevi tempore dominos efficere.

Cap. 32.

Atheniensium expeditio in Ægyptum.

Eodem tempore, Athenienses ab Amyrtæo Ægyptiorum Rege solicitati, cum sua & sociorum classe Ægyptum occupant. Grave hoc erat bellum, & per totum sexennium varia fortuna gestum. Rex Persarum quum ipsum Atheniensium nomen jam horreret, mittit illicò Lacedæmona Megabazum pecunijs affatim instructum, si forte Spartanis persuadere posset, ut cum exercitu in Atticam irrumperent, eoque facto Athenienses à bello Ægyptiaco ad sua tuenda revocarent. Sed quum Lacedæmonij, quamvis nascentem tum Atheniensium potentiam suspectam, & ex suspicione iuvisam haberent, fœderum tamen reverentia, & religione obstricti, nihil temerè movendum esse statuissent, re infectâ abijt Megabazus. Rex autem pecunias, quas corrumpendis Lacedæmonijs destinaverat, ad expugnandos in Ægypto Athenienses convertit, belli cura alteri Megabazo Zopyri filio, Principi militiæ, demandata. Hic profectus cum exercitu, unico prælio fusis Ægyptijs, tota Memphide Græcos expulit: & in insula quadam,

Prosopitide conclusos, per annum & sex menses arctissima obsidione cinxit. Lubrica res est aqua, & incertum ferè præbet obsessis munimentum. Exiccatis alveis, & aqua aliò derivata, effecit tandem Megabazus, ut naves Atheniensium in sicco destitutæ inutiles redderentur. Quo viso confestim exercitũ pedibus transduxit, insulãq; pulsis inde Atheniẽsibus, recepit: quo factũ est, vt Atheniensiũ res post sextum demum annũ, ad nihilũ in Ægypto reciderent; pauciq; de multis peragrata Lybia tandẽ Cyrenẽ incolumes delati, inde alij post alios, tanquam è naufragio, Athenas redierunt. Sed ut aliud ferè malum ex alio incidit, quum eodem tempore Athenienses quinquaginta triremes suis auxilio misissent, hij eorũ quæ accidissent penitùs ignari, ad Prosopitidem, quam etiamnùm à suis teneri putabant, temerè appellunt. Qui in terram descenderant, hos Megabazus nec opinantes oppressit: classem verò Phœnices subitò adorti dissiparunt. Qui cladi superarant, Athenas revecti tristem malè gestæ in Ægypto rei nuntium retulerunt. Hunc exitum habuit ingens illa (sic enim apud Thucididem audit) in Ægyptum Atheniensium & sociorum expeditio: quo veluti documento si Athenienses moniti sapuissent, & sua tueri contenti, res alienas & præsertim longinquas appetere desijssent, quamvis tristem, attamen utilem infortunij sui fructum ex Ægypto reportassent: sed non statuendo fortunæ suæ modum, & ultra urbeculæ suæ vires, imperium affectando, florentissimam rempub. non multos post annos funditùs everterunt.

Atheniensium in Aegypto clades.

Verùm

Verùm ut ad Cimonem redeam, nemo unquam perinde atque ille, feroces Persarum spiritus retudit: sublato enim Pausania, quum maris imperium sua virtute Atheniensibus confirmasset, classe profectus maritima Asiæ loca latè vastavit: quasdam etiam civitates ad defectionem solicitatas, recepit: receptas summa fide coluit: adeò quidem, ut universam, ab Ionia Pamphyliam usque, Asiæ regionem, quà mare spectat à Persarum tyrannide liberaret: quumque paulò pòst Persarum Duces magno cum exercitu multaque classe stationem ad Eurymedontis fluvij ostium tenere accepisset, ipse eò, cum ducentis triremibus accurrit. Erant hæ & ad pugnam & ad celeritatem optimè olim à Themistocle comparatæ, sed tum Cimon, eas & latiores effecit, & tabulata, supra thranitas, tota navium longitudine extendit, ut multò pluribus quàm antè instructæ classiarijs, majorem in pugnando vim, haberent; nam si Plutarcho credimus, in pugna Salaminia triremes Atticæ, ultra octo & decem milites classiarios singulæ non habebant. Quum igitur hostibus nil tale sperantibus, manè supervenisset, Persæ nulla memorabili pugna edita, relictis navibus in terram profugerunt, ut pedestribus copijs, quæ tum instructæ in littore stabant, se conjungerent. Erant Persarum sexcentæ triremes; ex illis ducentæ captæ; reliquæ, maxima parte vel submersæ, vel debilitatæ, paucæ fuga elapsæ sunt. Cimon milites suos navali prælio adhuc calentes verbis porrò & victoriæ spe, sed multo magis exemplo suo ad rem terra gerendam inflammavit: ultro igitur

Cap. 33.

Cimonis virtus.

Pugna ad Eurymedontem fluvium.

sublato

ſublato clamore, in terram ſe eijciunt, hoſtemque in littore invadunt. Acris ibi pugna oritur: ex Athenienſibus fortiſſimus quiſque, & inter illos non pauci magna dignitate in urbe præditi cecidêrunt: ſed fuſis demùm magno prælio Barbaris, atrox cædes in fugientes editur.

Clades Phœnicibus à Cimone illata.

Re terra marique eodem die bene geſtâ, aliud quaſi auctarium ſuis victorijs quærere inſiſtit. octoginta naves Phœnicias, quæ matutinæ cladi non interfuerant, ad portum vicinum eadem hora appuliſſe quùm accepiſſet, celeriter eò cum claſſe navigavit. Nihil illi de gemina ſuorum clade inaudiverant. Veruntamen cùm cruenta hoſtium arma, feroceſque & truces, ut ex recenti victoria, vultus conſpexiſſent, id quod erat ſuſpicati, arma ſimul & animos demittunt. Itaque nullo negotio ſuperati, fugati, cæſi, ſe, claſſemque ſuam hoſtium arbitrio permiſerunt. Id factũ Regis animum vſq; adeò debilitabat, ut nobilem illam pacis conditionem, ſibi à Cimone irrogatam, accipere non dubitaret: *Vt à mari Græco, quantum ſpatij equus uno die curriculo percurrere poſſit, hoc eſt, quadringentis ſtadijs abſtineret: nevè intra Chelidonias inſulas, Græciam verſus nave longa navigaret.* Inde reverſus Cimon, Perſas quoſdam, exercitus Mardoniani reliquias, Cherroneſum, quæ eſt ſupra Byzantium, occupaſſe comperit; eò quatuor cum triremibus quum adnavigaſſet, Perſæ adjunctis ſibi Thracibus adventum ejus operiri non dubitabant. Sed facto in eos impetu, Cimon tredecim naves cepit: ejectisque Perſis & ſuperatis Thracibus totam Cherroneſum Athenienſium

um ditioni restituit. Inde Thracas, qui ab Atheniensibus desciverant, pugna navali vicit, captisque tribus & triginta illorum navibus, ipsam urbem clade territam mari aggressus expugnauit. Vnde Athenas revocatus, quùm civilium dissentionum æstu aliquandiu jactatus, animadvertisset populum Atheniensem bellum civile contra Spartanos, instigante Pericle, meditari, eos inde ad externa potius bella abducendos esse statuit; itaque ducentas triremes instruxit; ex his sexaginta Ægypti littora servare jussis, ipse cum reliquis Cyprum navigavit, ubi classem Regiam magno prælio superavit: insulamque circumvectus, urbes in ora maritima sitas, vel resistentes vi cepit, vel se dedentes in fidē accepit; rebusque Ægyptiacis animū advertit. Nihil enim mediocre jam, sed totius rei Persicæ subversionem & excidium animo agitabat: quippe quùm bellum Atheniensiū populo omnino placere cerneret, multò id adversus Barbaros, quàm contra Græcos, & honestiùs, & faciliùs geri posse existimabat. Accendebat insuper viri animum, quod Themistoclem patria sua profugum, & à Rege Persarum honorificè susceptum in magna ibi esse dignitate & gloria acceperat. Carum eum Regi fecerat, quòd se Persis bellum contrà Græciā molientibus ducē, nec se duce, dubiam victoriam fore in se receperat. Sed quum eximiam Cimonis virtutē cum perpetua fœlicitate conjunctam, idque in re præcipuè navali, qua ipse suo tempore præcelluerat, secum animo reputaret, seu fortunæ suæ, seu virtuti, quæ utræque incanescere jam cæperant, diffisus,

T[illegible]cl[illegible] & Cimonis æmulorum mors.

fisus, ipse sibi spiritum taurino, ut fertur, sanguine epoto interclusit. Paulo pòst & ipse Cimon, dum classem ad Cyprum in Ægyptum transmissurus teneret, moritur: Quo duorum virorum fato, Rex Persarum, tàm quem timeret, quàm cui fideret, habere desijt.

Cap. 34.

Quanquam vel mortuus erat Cimon Persarum nomini formidandus. Nam quum deficientibus jam venis, vitæ finem adesse sensit, amicis suis assidentibus, vicemque suam simul & illius flentibus mandabat, ut corpus suum Athenas tumulandum reportarent. Id dum exequuntur, in itinere validissimæ Persarum classi occurrunt. Persæ, sive Cimonem defunctum ignorabant, sive facilè de classe nauarcho suo destitutâ victoriam sibi promittebant, arma expediunt, naves ad pugnā instruunt. E diverso Athenienses, alij alios cum toties victis rem esse admonentes, seq; tristem hunc suum & lugubrem in patriam reditum, victoria clarum & omni æuo memorabilem reddituros, cruentosque ex illo prælio gladios, & rorantia sanguine hostili spolia Athenas duci suo inferias laturos memorantes, magna vi hostem invadunt. Sævum prælium variante fortuná fuit. Persæ & Phœnices militari ordine rem agebant. Athenienses, vetus miles, & prælijs navalibus assuetus, sine ullius imperio omnia militiæ munera, non secùs, quàm si Cimon ipse vivus vidensq; hortator adfuisset, exequebantur: diuersisq; partibus classem hostilem carpendo, universam averterunt. Cæduntur Phœnices toto mari dissipati fuga: quos Athenienses sic dispersos longiùs

Pugna navalis non procul Cypro commissa.

giùs inſequi non auſi, ne Prætoriam, in qua Cimonis corpus ferebatur, ex oculis amitterent, receptui invicem cecinerunt; & Athenas reuerſi, ingentem eo luctum, gaudio tamen ex victoria miſtum, retulerunt.

Cap. 35. *Pericles.*

Dum iſta à Cimone contra Barbaros geruntur, intereà Pericles diſsidiorum inter cives ſuos & Lacedæmonios cauſas ſerit. Quæ res utique difficilis factu non erat, utpote inter populos à Medici vſque belli tempore malè inter ſe cohærentes. Vrebat Lacedæmonios gloria Athenienſium, ad Artemeſium, ad Salaminem, ad Eurymedonta fluvium parta; qua elati, ſingulos carpendo, demum omnes in Ægeo pariter & Græco mari inter Peloponeſum & Cariam inſulas, multas etiam ad utrumque Ponti & Helleſponti littus urbes, Seſton, Abydon, Potidæam, Perynthum, Chalcedona, ipſum denique Byzantium, quæ Conſtantinopolis nunc eſt, imperio ſuo ſubjugaverant, ſummamque in Græcia potentiam nacti, non obſcuris gradibus ad univerſæ tyrannidem ſurgere videbantur. Athenienſes (ut ſunt fermè diuturna gentium inter ſe & populorum odia) veteris injuriæ ſtimulabat dolor. Quum enim Xerxe Græciam invaſuro, ita communi Græciæ conſilio conſtitutum fuiſſet, ut ſicuti Lacedæmonij copijs terreſtribus præeſſent, ſic rei navalis curatio & imperium Athenienſibus permitteretur, re demùm in ultimum diſcrimen adductâ, Lacedæmonij vel utrobique præeſſe, vel nihil in commune agere voluerunt. Sed ea tum erat Themiſtoclis & populi Athenienſis, ex præſentis

tis periculi sensu, animi moderatio, ut nihil recusarent. Veruntamen, turbatis postea in Græcia rebus, cupidiùs semper quàm par erat belli ansam arripiebant: præsertìm postquam æmulus Cimonis Pericles ad reip. gubernaculum accessit: multæque cædes, per occasionem iuvandi socios, alijsque quæsitis hinc inde coloribus, ab alteris in alteros edebãtur. Semel etiam Lacedæmonij cum non contemnendo navium Atheniensium numero, fortuito occursu congressi, victoriam retulerunt; quam cladem, aucta paulò post classe, Athenienses cumulatam Spartanis reddiderunt, nec ante tricesimum & sextum à pugna ad Salaminem editâ annum certa inter duos populos cõstabat pax. Hoc demum anno, triginta annorum fœdus (quod Euboicum dicebatur) inter duos populos ictum est, captaque loca invicem restituta.

Cap. 36. *Bellum Atheniensium contra Samios.*

Sexto deinde anno pòst, bellum inter Athenienses & Samios ex alienis simultatibus ortum est. Victi à Samijs Milesij Athenas veniunt, gravemque contra eos querelam apud populum deponunt, minimè ad rem tantam, ut fama erat, valituram, nisi Aspasiæ ad Periclem blanditiæ & preces eodem accessissent. Fuit Aspasia illâ tempestate Athenis scortum nobile, formosum, procax, ingenio insuper & eloquentia, non muliebri, sed quæ summos in illa rep. viros non dedeceret, prædita: Socrati quidem ipsi propter summas alioquin animi dotes non incognita; Pericli verò corporis etiam consuetudine conjunctissima. Extat porrò Platonis dialogus qui Menexenus

Aspasia.

nexenus inscribitur, in quo Socrates, ioculari quodam modo Periclem Aspasiæ discipulum, orationem quandam funebrem multiplici rerum notitia plenam ab ea acceptam, pro sua, ad populum recitasse narrat. Hujus igitur intercessione & precibus adjuti Milesij, tantum apud Periclem valuerunt, ut bellum Samijs indiceretur. Commisso acri prælio, Pericles quadraginta quatuor navibus suis hostium naves septuaginta superavit, ac egregiam de Samijs victoriam reportavit. Victor etiam hostem insequutus, simul portum occupavit; & urbem obsedit. Alia deinde classis Athenis missa quum advenisset, devisa bifariam classe & parte ad urbem obsidendam relicta, ipse cum triremibus sexaginta mare petit, ut Phœnicum classi Samijs auxilio venienti occurreret, & quàm posset lõgissimè ab Samo cum ea trãsigeret. Pericle igitur cum tantâ classis suæ parte avecto, Samiorum Prætor, sive navium relictarum paucitate, sive ducũ ipsorũ imperitia motus, suis persuasit, ut Athenienses summa vi aggrederentur. Facto prælio, Samij victoria potiti sunt, multis hostium navibus captis, multis perfractis demersisque. Simul castra, quæ nullo vallo munita reliquerat Pericles, adoriuntur, eaque nemine prohibente incendunt, totoq; circa ea loca mari dies quatuordecim potiuntur, quæ volebãt interim importãtes & exportantes. Ceterùm Pericle cum classe sua victrice reverso, rursũ circũsessi & cõclusi sunt. Adveniũt non multò post ab Atheãrũ urbe subsidio aliæ quadraginta naves, à Chio verò & Lesbo triginta; Cum hac tanta classe, Samij

Pugna ad Samum.

Samiorum de Atheniensibus victoria.

Periclis de Samiis victoria.

Samij virtutis suæ magis quàm virium memores, concurrere non veriti, gravi prælio superati, nono à cæpta obsidione mense expugnati, se dedunt, obsidibusque datis, mœnia ipsi sua diruunt, naves tradunt, & magnam pecuniarum vim, poscenti Pericli belli in sumptum pendunt.

Diximus superiùs triginta annorum fœdus inter Athenienses & Lacedemonios fuisse pactum. Sed tam longum otium inimicitiæ non tulerunt. Itaque alij alios, nunc terra, nunc mari, hostilem in morem deprædabantur, nec ad apertum jam bellum quicquam præter nomen deerat. Ista autem omnia Cimone in exilio agente contigerunt: is reversus res composuit. Quamvis enim nulla illi tanta ostracismi sui causa fuerat, quàm quod Spartanorum causæ plus æquo in disceptationibus ad populum favere videbatur, tamen ut erat vir bonus & patriæ amans, & singulari in rebus agendis constantiâ notus, ubi primùm Athenas redijt, renitente licèt Principe tum civitatis Pericle, amicitiam cum Spartanis suasit, quæ vivo eo, summa cum fide & religione utrinque colebatur, mortuo verò, ad intestina bella ab oratoribus novis, stultis, adolescentulis pertracti, & inter se commissi, validissimas Græciæ vires mutuis cædibus attenuabant, & gladios, toties Persarum & Medorum sanguine cruentatos, in suis ipsorum & communis Græciæ visceribus condiderunt.

Cap. 37. Huius mali origo fuit à Corinthijs & Corcyræis, ijs quos omnium mortalium primos classibus inter se concurrisse diximus. Causa erat, quòd cùm Corcyræi Epidamnum civitatem,

tem, quæ postea Dirrachium, nunc Durazzo dicitur, Coloniam suam à se desciscentem ulcisci vellent, Corinthij non verbis sed armis intercesserant. Octoginta erant Corcyræorum triremes, Corinthiorũ septuaginta quinq;. Hæ quum ad Actium, quod est Epiri in Græcia promontorium, infestis animis occurrissent, graue inter se prælium conseruērunt. In quo victi Corinthij quindecem triremes amiserunt. Magna ut in tenui fortuna, clades: pugna tamen ipsa non tam clade notabilis, quam vel loco vel eventu: Loco, quòd ibi commissa sit, ubi post aliqua deinde sæcula, Cæsar Augustus ingenti prælio Antonium & Cleopatram debellavit, pacemque terrarum orbi victoriâ restituit: Eventu verò, quòd longi illius difficilisque belli, quod inter Lacædemonios & Athenienses gestum à Thucidide celebratur, causam præbuit. Etenim quum Corinthij ad Actiũ, ut diximus, superati, vindictæ cupidine incensi maiorē quàm antea classem cōpararent, veriti Corcyræi, ne tantis apparatibus per se pares non essent, socios sibi adsciscunt Athenienses: è diverso Corinthij Lacedæmonios adjungunt: quorũ illi navalibus, hi terrestribus copijs reliquos Græciæ populos longè anteibant. Iamdudum Athenienses Periclis orationibus impulsi, rerum novarum causas circumspiciebant. Nec Lacedemonij, quùm jam Cimone defuncto neminē Athenis pacis cupidum restare cernerent, à belli studijs abhorrebant. Sed (quæ dixi) fœdera obstabant, quo minùs apertè in mutuam perniciem & bellum ruerent. Ea enim quum in triginta annos pacta essent, deci-

Corinthiorũ & Corcyræorum pugna ad Actium.

Belli Peloponiaci origo.

mum quartum à tempore pactionis annum non excesserant. Fœdere autem cavebatur, *ne Lacedæmonij & Athenienses alteri alteris, utrorumve socijs bellum inferrent. Qui autem illo fœdere non continebantur, eos altetutræ parti novos socios assumere liceret*, Iam Corcyræi nec horum nec illorum socij erant, sed quales nos hodie neutros seu neutrales appellamus. Hos igitur socios assumere, & pro iure societatis assumptos defendere, salvo fœdere, ut videbatur, potuerũt Atheniẽses. Id verò ita de jure fieri posse dicebant Corinthij, nisi ipsi prius cũ illis bellũ cõtraxissent: rupto autem contra Corinthios fœdere, quin eadem opera contra Lacedæmonios rumperetur, haud ambigui juris erat, quandoquidem illi fœdere cum Spartanis comprehensi erant. Re Athenis per legatos biduò sermonibus & ad populum in concione agitata, ita discedunt Corinthij, quasi rem in incerto pro tempore reliquissent. Itaq; cum instructa centũ quinquaginta triremium classe Corcyram versùs vela faciunt. Nec Corcyræi, cum in conspectum venissent moram pugnæ faciebant.

Cap. 38. *Pugna navalis inter Corinthios & Corcyræos.*

Stabant vtrinquè classes triplici ordine veluti in pedestri acie instructæ: quùm subitò se ostendunt in dextro Corcyræorum cornu decem triremes Atheniensium, duce Lacedæmonio, (id erat nomen) Cimonis nuper defuncti filio; quos quum conspexissent Corinthij, tanquam Deos maris horrentes, remos primò inhibuerunt: mox à Spartanis volonibus qui aderant confirmati, quicquid erat in classe roboris in sinistrum cornu suum transferentes, Atheniensibus

ensibus opponunt. Dato utrinquè signo, infestas proras dirigunt: atrox pugna committitur: non arte Rhodia, quâ postea cœpit gaudere Græcia, sed Marte & virtute, eratque illa pugna campestri & statario prælio similis: nam quum inter se concurrissent, non facilè jam explicare se, vel recipere, vel procurrere, nedum remos detergere, aut alteri alteros remigio eludere valuerunt, sed milites in tabulatis & turribus, corbitisque navium collocati, mutuis se inde vulneribus in vestigio hærentes conficiebant; sæpè etiam alteri in alterorum naves gradu invadebant; & aduersis se invicem umbonibus urgebant; ubique magnus tumultus & confusa demicatio erat: interim naves Atticæ sicubi Corcyræos, novos socios, laborantes conspicerent, auxilio aderant; terrorem quidem hosti sui præsentiâ incutientes, sed à pugna tamen abstinebant se: id enim in mandatis, domo profecti, à populo acceperant. Iamque Corcyræi, in lævo cornu Megarenses Corinthiorum socios in fugam verterant, sparsimque disjectas viginti eorum naves in terram vsque prosequuti fuerant; quo animadverso, Corinthiorum Duces mediam statim hostium aciem, ea parte nudatam, multitudine superantes, circumveniunt. Athenienses, quum Corcyræos suos ultra vires jam premi cernerent, missis ambagibus, apertè opem laborantibus ferunt; ante tamen cavebant, ne ipsi priores aliquem aggrederentur: at postquam palam fuga Corcyræorum facta est, & Corinthij fugientibus instabant; nec se dedentes vivos caperent, sed ad stragem conversi, quos-

cunque ceperant, more barbaro, obtruncarent, tum verò & illi venisse tempus rati, Corinthios hostilitèr invadunt, victoriamque frementibus multo cum sanguine eripuerunt. Erat hæc pugna, non quidem prælijs ad Salaminem & Eurymedonta fluvium, contra Barbaros editis, par aut similis; sed quæ inter Græcos ipsos ante illum diem commissæ fuerant, sive hominum, sive navium, vel multitudinem vel stragem spectes, longè omnibus præferenda. Septuaginta, ne minus, naves ex Corcyrensibus, vel captæ, vel depressæ; ex Corinthijs, triginta desideratæ, magna vis hominum vtrinque cæsa: nox prælio finem fecit, victoriam in incerto reliquit. Postero die, Corcyræi, classe rursus in altum educta, hostibus pugnandi copiam faciunt. Id eâ fiducia faciebant, quòd post hesternā pugnam, sera nocte viginti triremes Athenis missæ, auxilio advenissent: quo comperto, Corinthij stationibus se tenuerunt: certi non pugnare, nisi coacti: nuntium tamen, sine caduceo, ne ut hostes interpellare viderentur, mittunt; qui celoce advectus, Athenienses injuriarum & violati fœderis lenitèr arguebat: illi pro se haud ferocitèr respondent: se nec injuriarum, nec adversus Corinthios temerati fœderis reos esse: venisse jam, non Corinthios oppugnandi, sed Corcyræos novos socios defendendi causa: si aliò quàm Corcyram navigare, si alios quàm Corcyræos oppugnare velint, quò minùs id faciant, Athenienses non intercedere. Hac accepta conditione, Corinthij mox sublatis velis ante ora Corcyrensium transeuntes, & Athenien-

sibus

ſibus in tranſitu militariter ſalutatis, domum redeunt. Reverſi, omnia ſtatim Græciæ concilibula, præſertim verò Lacedæmoniorum conventus, queſtibus & clamoribus adverſus Athenienſes implent: Nec longæ apud Lacedæmonios diſceptationis res erat. Rupta fœdera, bellum Athenienſibus inferendum eſſe decreto ſtatuunt: nec mora, inferunt.

Cujus tantæ tamque inſolitæ, ut inter Spartanos, lentum & cunctatorium in conſilijs expediendis genus, præcipitationis ratio fuit, non (quod vulgò ferebatur) Corinthiorum injuria, ſed quòd Athenienſes ad intolerabilem iam in mare potentiam creviſſe viderentur. Nam ut vetera omittantur, modò duobus prælijs navalibus devictâ Samo, quantum eorum gloriæ? quantum viribus acceſſerat? Tanti nimirum momenti res videbatur, ut major Samo ſubacta Periclis, quàm exciſo olim Ilio Agamemnonis gloria fuiſſe vulgò jactaretur. Quid igitur, ſi ad Samum Corcyra nunc, mox ad Corcyram Corinthus adjiceretur? quid reſtare, niſi ut oppreſſâ Græciæ libertate, pro Perſis domini Athenienſes recipiantur? nec Spartanos latuit, quantoperè illo potiſſimum tempore Athenienſes navali ſtudio incumberent. Nempe ſi quis in commiſſum fortè incidiſſet, non temerè aliam delinquenti pœnam, quàm triremem unam pluresvè, pro perſonæ aut facti qualitate ædificandam, mulctam irrogabant, pro coronide habituri, ſi Corcyram, quæ poſt Corinthios aliquid in mare poſſe videbatur, rebus ſuis adjunxiſſent. Id ſcilicet Pericles, & popu-

lus Atheniensis æquali studio, sed diuerso consilio ambiebant. Stultus populus, si Corcyrã occupassent, Carthaginis & Siciliæ, & Italiæ, à qua non totũ unius diei iter distabat, Corcyra, imperiũ animis præcipiebãt. Pericles verò insulam illam & navali potentia, & loci situ, ad bellum Peloponesiacum, (quod toto animo agitabat) opportunam, si non subditam, attamen beneficijs & societatis jure adstrictam habere expetebat. Quibus rationibus inducti Lacedæmonij, occupant bellum facere. Anno igitur à bello Medico, ut vult Thûcidides, quinquagesimo, à fœdere Euboico, quod in triginta annos pactum fuisse diximus, decimo quarto, ruptis inter Spartanos & Athenienses pacis legibus, bello Peloponesiaco uniuersa Græcia conflagrare cœpit. Primi Lacedæmonij magno cum exercitu per Corinthum in Atticam irruperunt, fœdamque & deformem ei vastitatem intulerunt; neve prædam potiùs quàm pugnam expetisse viderentur, hostem munimentis se tenentem ad pugnam provocant. Id verò indignè pati Athenienses, & pugnam poscere. Instantibus obstabat Pericles; scilicet vltionem in tempus vindictæ opportunum differendam esse monuit. Paucis inde diebus, hoste adhuc Attica vastanda occupato, centum quinquaginta nauium classem silentio profectam, in Peloponesum mittit. Hi totam illam regionem, quà ad mare vergit, circumvecti, navalia incendunt, urbes diripiunt, longius etiam in continentem progressi, agros latè depopulantur: non aris, non focis, non sexui, non ætati parcunt; id modò soliciti, ne

Belli Peloponesiaci initium.

minorem quàm accepiſſent, cladem reddidiſſe viderentur: magna deinde ſtrage utrinquè edita ita utrique domum redeunt, ut meliùs non exiiſſe fuerit. Altero deinde anno ſimilem incurſionem in Atticam faciunt Spartani, tantò atrociorem, quantò magis iam ex cladium acceptarum ſenſu exacerbati fuerant. Pericles verò, in eadem ſemper ſententia perſtare, hoſti in acie non occurrere: ſed tamen ne quod mouiſſet bellum, non & geſſiſſe videretur, non iam alios mittere, ſed ipſe cum centum triginta triremibus, præter Hippagogas, quibus tricenos equos tranſmiſſurus erat, in Laconicam proficiſci ſtatuit: quo quum perveniſſet, ingentem viciſſim ſtragem dedit; prorſus ut in contemplatione damnorum longè major ultio fuerit quàm iniuria; quaſi vero illud eſſet vincere, non ſua tueri, ſed minimo ſuo commodo maximâ hoſtem calamitate afficere; Paulò inde poſt moritur Pericles; ſuſcitato incendio, quod non civium Athenienſium ſanguine, ſed ipſarum Athenarum ruinâ reſtinguendum erat.

Cap.39. *De Pericle conſideratio.*

De quo viro ſubit animum meum cogitatio, quæ in illo intuentes bona, veterum nonnulli, tam amplis eum laudibus & præconijs extulerint. Nam & Thucidides, eum civibus ſuis, &, dum viveret, gratiſſimum,& poſt fata deſideratum fuiſſe, ſcribit; & Plutarchus in ſuis Parallelis Fabio Max. (ingens ad laudem comparatio) æqualem facit. Equidem ingenium & artem quandam tractandi homines, civiumque ſuorum animos, vel ſedandi, vel, ſi oporteret, concitandi non mediocrem in eo vim & facultatem

fuisse non negauerim; (quanquam & his ipsis, sive naturæ, sive disciplinæ dotibus, ad Cimonis, Thucididis, & aliorum præstantiū virorum fraudem & exitium quotidiè abutebatur) sed quæcunque tandem erant, erant illa oratoris magis quā Principis boni argumenta. Fabio verò Max. quid habuit comparandum? constantiam credo & cunctationé. Fabius statim Consul factus, cum exercitu profectus, simul ac castra castris conjunxisset, nunquam vestigium ab hoste abcessit; commeatu eum interclusit; sociorum agros populationibus prohibuit: Hannibalem ipsum cum ratione insultantē tulit; temerè se inferentem, viriliter repressit, victoriamque illi sæpe de manibus extorsit; utque fortunæ, toties à Romanis infœliciter tentatæ, rem committere noluit, ita leuibus subinde certaminibus ex occasione, & cúm ratione contractis, Trebiæ, Ticini, Thrasimeni, ipsarum denique Cannarum, suis doloré & oblivionem, hosti lætitiam & memoriam dempsit. Pericles verò, quum se hostis in Atticam sæpius effudisset, non castrorum vallo, sed urbis mœnibus se continebat; ibi tanquam in vivario, dux prudens, & cautus delituit; hostem verò in Attica, atque adeo sub ipsis Athenarum mœnibus æque liberè licenterque vagari passus est, ac si omnis civitas Atheniensium iterum navibus imposita ex oraculo emigrasset: Scilicet, militem Atheniensem classe imprimis bonum, Spartano in acie parem non esse cogitabat. Non enim Miltiadem, non Aristidem, sed Periclem ducem habuerunt. Illis enim ducibus, nón minùs ad Marathonem &

Pla-

Platæas, quàm ad Salaminem, & Eurymedonta fluvium emicuit Atheniensiũ virtus; Pericle imperãte jacuit: Pericle imperante Athenienses, non ordines servare, non pedẽ inferre, non hostẽ ferire, acie vincere nõ valuerunt. Nã quod ad res ab eo mari gestas attinet, Samum captam si exceperis, opprobriũ est commemorasse. Et isto quidẽ modo Gallorũ olim Reges cum nostris illorum temporum Normanniæ ducibus belligerabant: sed adeò ad extremum Principes utrorumque socios, huius rei depuduit, pœnituitq; , ut Regibus ipsis coram dicere non vererentur, se tam inhonesto militiæ genere ampliùs imp[..]cari nolle. Itaque vel domi suspensis armis desidebant, vel ad terram sanctam sanctiore ibi titulo militaturi, properabant. Vt quid autem Pericles Lacedæmonios ruptis fœderibus ad bellum invitos & reluctantes traxit, si non contra hostem armatum de Græciæ principatu armis contendere, sed satis, pecoribusque, & inermi multitudini, tanquam infaustum aliquod sidus pestem inferre cogitabat? meliùs Lacedæmonij; qui quum hostem in agris non invenirent, in mari quærendum censuerunt.

Itaque ut ad institutum redeam, quum Spartani, nullâ suâ agrorum vastatione hostem in aciem perlicere possent, virtute confisi, maris fortunam tentare statuunt. Centum, quà suis, quà sociorum navibus in mare deductis, Zacynthum, quæ nunc Zant est, insulam nobilem, divitem, opportunam, classe aggressi Atheniensibus eripiunt. Mox cùm quadraginta navibus solventes, viginti Atheniensium triremibus occur-

Cap. 40.

Pugna navalis inter Athenienses & Spartanos.

occurrunt. Fit pugna, qualis inter milites & paganos fieri consuevit. Lacedæmonij rerum navalium tractandarum adhuc rudes (quod in pedestri certamine, numero pauciores, & in desperatissimo rerum periculo constituti interdum faciunt) in orbem pugnant: Athenienses tantam hostium imperitiam videntes, classem suam hostium classi circumfundunt: hostesque introrsùs cedentes magis magisque in arctum cogunt; propè semper instantes, & speciem præbentes, quasi iam iamque omni momento incursuri essent. Dux erat Phormio, quem si fata diutiùs esse voluissent, Themistocli forsitan aut Cimoni parem Athenæ ad hoc bellum ducem habuissent; hic suis præceperat, ut parati intentiq; essent, neu priùs pugnam inirent, quàm à se signum accepissent. Ipse omnia attentissimâ animi curâ speculatus, repetito Themistoclis ad Salaminem ingenio, ventum, qui tempore matutino ex sinu illo flare solebat, expectabat; Quem ut coortum sensit, tum suis signum dat: ibi Athenienses toto impetu congressi unam ex prætorijs hostium nauibus demergunt; indè quacunque impressionem facerent, veluti in pecudes, nemine resistente, sæviebant. Etenim propter magnitudinem tumultus (tantus autem erat, ut nec mandata gubernatorum percipi, nec imperia navarchorum exaudiri, nec remi in loco arcto & procelloso moveri possent) nemo se ex adverso ad pugnam comparabat, sed effusâ fugâ, quà quisque poterat, diffugiebant: & antennarum cornua alia alijs implicata, ipsam fugam impediebant. Naves Phormio consequutus

ſequutus duodecim occupavit, milites magna parte cecidit. Ex navibus unam eamque maximam & præſtantiſſimam, Neptuno ſacram eſſe iuſſit.

Cap.41. Nec tamen Lacedæmonij hujus cladis nuncio territi, animis frangebantur, ſed novum confeſtim militem, novam claſſem, novos duces in ſupplementum mittunt. Imperatori verò ſuo mandant, jubentque, ut ſe ad aliam pugnã navalem confeſtim comparet, neu ſe è mari à tam paucis, cum Spartani nominis dedecore, & flagitio ſuo, pelli patiatur. Videbatur enim ijs, utpote rei navalis imperitis, res inuſitata accidiſſe; nec in animos demiſerant ducum ſuorum (quod neceſſe erat) imperitiam & claſſiariorum in novo genere belli tyrocinium damni cauſam dediſſe; nec conferebant Athenienſium longi temporis uſum, cum recenti ſuâ paucorum menſium exercitatione. Tantos igitur apparatus quum fieri vidiſſet Phormio, nuncium ſtatim miſit, qui recentem, ſimul ſuam de Spartanis victoriam, & novum hunc copiarum hoſtilium apparatum Athenienſibus ſignificaret: hortatur ut majorem vim navium mittant, iterum enim & cum majoribus hoſtium copijs ſibi è veſtigio eſſe dimicandum. Dum hæc aguntur, claſſes hoſtiles in conſpectum veniunt: ſex tamen ſeptemvè dies à pugna temperant. Phormio, quòd novum indies ſupplementũ ab Athenis expectaret; Lacedæmonij, quòd rem audaciæ quàm virtuti propiorem putabant, ſi ipſi priores contra Athenienſes Pæana in mare ceciniſſent: uterque tamen dux ſuos ad prælium adhor-

Pugna alia navalis inter Athenienſes & Spartanos. Phormio.

Cnemus. adhortatur: Cnemus (id erat Spartanorum Imperatori nomen) ſuos ut adniterentur paulò, rogavit; turpe eſſe plures à paucioribus; turpiùs Spartanos ab Athenienſibus ſuperari: maris profectò poſſeſſionem à doctis iſtis & eruditis hominibus Spartana duritie & virtute eſſe eripiendam: ſi ſemel haud incruenti è mari abiiſſent, quieturos: denique vim arte, virtutem peritia potiorem eſſe dixit. Phormio, plures à paucioribus fiducia & arte ſæpe ſuperatos fuiſſe monuit: maris imperium quod à patribus acceperant, poſteris non relinqui temporum illorum probrum & dedecus futurum eſſe prædicabat: denique duo illa, in omni pugna navali præcipue ſervanda eſſe docuit, *Ordinem & ſilentium:* ſatis ſuperque in mari turbarum eſſe inquiens, ex ventorum, remorum & procellarum ſonitu, ſine convitio nautarum & clamore militum. A verbis ad manus quum ventum eſſet, tandem rudes illi peritos iſtos multitudine ſua circumveniunt; & ex viginti (tot enim erant Athenienſium naues) novem intercipiunt; reliquæ ægrè elapſæ, in altum ſe proripuerunt. Quas viginti Lacedæmoniorum naves conſequutæ, dum pugnam incatiùs ineunt, plures à paucioribus, victores à victis viciſſim ſuperantur: ex triremibus aliquot ſubmerguntur: ſex in poteſtatem hoſtium veniunt: reliquæ vadis & brevibus alliſæ: poſtremò jam novem naves prius captæ, ab Athenienſibus recipiuntur. Inde geminata victoria Phormio Athenas cum ſumma omnium lætitia & laude ſua redijt.

La-

Cap.42.

Lacedæmonijs tamen animi in majus creſcere, quod non nihil ſibi in mare contra Athenienſes egiſſe viderentur; itaque ſumma celeritate uſi, magnam rurſus navium copiam comparant: has milite complent, & Pyræum, hoc eſt, portum Athenienſem, ipſamque Athenarum urbem, milite deſtitutam (id enim à ſpeculatoribus compererant) occupare, funeſtoque huic bello, momento temporis finem ponere cōſtituunt; & feciſſent, ſi venti addixiſſent. Venti, quum ſilentiſſima claſſe portui appropinquarent, ex adverſo coorti aliò claſſem disjecerunt. Id temporis Athenienſes ad colligendos animos, & portum præſidijs firmandum ſumpſerunt. Nec tamen nihil hoc incæpto actum Lacedæmonij credere: contemptum ſui hoſtibus dempſerant: mox & opinionem de ſe auxerunt: nam & Ioniæ civitatibus, nihil minus, qnam claſſem Lacedæmoniorum, ſalvis rebus Athenienſium, in illa ora expectantibus, eiſdem navibus profecti metum incuſſerunt: & inde reverſi Corcyram, belli cauſam petierunt: quorum claſſe ſuperata, excenſionem in terram faciunt, agros vaſtant, & ipſi Corcyræorum urbi inſtare videbantur. Quod quum Athenienſes accepiſſent, eò confeſtim ſexaginta triremes mittunt: haud dubiè omnem Lacedæmonijs rerum a ſe geſtarum lætitiam erepturas, ſi quà in eos incidiſſent: incidiſſent autem, niſi novi iſti in mare milites, conſiliū nunquā antea tentatum inijſſent: quo non ſolùm ſalutem in præſens, verùm etiam ſummæ in rebus nauticis ſolertiæ opinionem ad poſteros comparabant.

Erat,

Erat, & nunc est, (Isthmus enim aliquando factus, vi ventorum arenas eodem congerente, rursus continenti, ut ante, coniunctus est) è regione Corcyræ promontorium, quod à rupium albedine, Leucadium appellatur; hoc brevi iugo continenti coniungitur; ad alterum hujus Isthmi latus, qua urbs Leucas sita erat, jam appulerant Athenienses; ad alterum stabant in salo prædæ Corcyreæ partiundæ intenti, Lacedæmonij: quibus sub noctem, sublatis ignibus, significatum est, hostium triremes à Leucate, circumito promontorio, accurrere. Dum promontorium circumeunt hostes, Lacedæmonij navibus incredibili labore, celeritate & arte per Isthmum transductis, in mare alterum evadunt: eòque loci deveniunt, unde Athenienses eodem vespere decesserant: omnesque incolumes, eluso hoste, Spartam redierunt: cujusmodi rem, Annibali postea apud Tarentinos in Italia ingentem ex ingenio admirationem fecisse testatur Livius. Lacedæmonijs certè hoc commentum navale tantam vbique opinionem conciliabat; ut jam non solùm urbes in continenti positæ, verùm etiam Insulæ ipsæ, quæ ad regnum Atheniensium, suo quasi iure, propter rerum nauticarū potentiam, spectare videbantur, illos quàm hos, seu socios seu dominos malle cæperint.

Cap.43.

Insulanorum ab Atheniensibus defectio.

Harum prima erat Scione, ad Thraciæ littus supra Hellespontum posita. Id verò ægrè adeò & indignè ferre Athenienses, ut actum protinus de suo imperio existimarent, nisi gravi exemplo istam Insulanorum insolentiam compescuissent. Itaque sexaginta navium classem, eò

mittunt

mittunt; insulam invadunt; urbem obsidione cingunt; tertio demum anno capiunt; omnes puberes interficiunt: impuberes & mulieres sub corona vendunt; isto quasi documento Insulanis omnibus, quid sibi fortunæ & fati subeundum esset denunciantes, si unquam ad Lacedæmonios respicere comperirentur. Nec multos post annos Meliòs simile facinus aggressos pari supplicio affecerunt. Intereà verò crescentem in mari Lacedæmoniorum gloriam, si extinguere non possent, saltem modis omnibus minuere quærebant: nec cæptis fortuna defuit. Post varias excursiones in Peloponesum factas, ne prædari semper, non etiam belligerare viderentur, tandem Pylum, urbem Nestoris olim senio nobilem, vi occupant; hanc valido præsidio & opere munitam, tanquam jugum Lacedæmoniorum cervicibus imponunt. Quam quum Lacedæmonij frustra à terra aliquoties oppugnassent, magna sua, magna sociorum classe contracta, à mari aggredi cæperunt.

Insula Sphacteria ab Atheniensibus oppugnatio.

Quod simul ac Athenienses accepissent, læti occasione, cũ validissima & ipsi classe profecti hostes in portu improvisò opprimunt. Erat quædam insula nomine Sphacteria, sive Sphagia, à cæde Heraclidarum, priscis temporibus, ut fertur, id nominis sortita, portui ad Pylum, veluti vectis, tota sui longitudine objecta; in qua Lacedemonij, quadringentos & amplius præcipuæ nobilitatis viros insulæ præsidio futuros collocaverant. Classe autem jam in portu oppressâ, desperata illicò erat virorum illorum salus: utpote quibus, in deserta quadam insula deprehensis,

henſis, & à continente interclusis, miserè eſſet & ad libidinem hoſtium vel fame vel ferro moriendum. Hic caſus maſculos illos Spartanorum animos adeò fregit & afflixit, ut inducias ſibi dari poſtularent; interim ut legatos Athenas de pace mittere liceret, petunt. Dux Athenienſis Demoſthenes, vir ſumma fortitudine, & belli artibus nemini ſecundus, id non alitèr concedendum cenſuit, quam ſi Lacedæmonij naves ſuas omnes ex omni Laconica contractas pignori tradidiſſent. Traditis navibus legati Athenas eunt: inde re infecta redeunt. Verùm Athenienſes, quum claſſem hoſtium in ſua ſemel poteſtate haberent, ut eam redderent, non juris, non religionis, non deorum, non hominum reverentiâ unquam induci potuerunt: nec committendum putabant, ut Inſulani deinceps, ullum ſibi à Lacedæmonijs in mari præſidium ſperandum eſſe exiſtimarent: inde ad inſulam obſidendam redeunt. Maior erat, quàm ut ulla navium multitudine circumvallari poſſet; itaque diurno tempore, binis ſemper navibus diverſo itinere profectis, & ſibi ſemper occurrentibus, ſpeculandi cauſa, inſulam obibant; noctu verò quà continentem ſpectabat, cum tota claſſe in excubijs erant, ne quis à terra tranſeundo falleret; ſed qua ad mare patebat Inſula, nulla diligentia præſtari potuit, quin navigia appellerent; præſertim ventis, ut fit, nocte ingruentibus; horum enim metu naves Athenienſium altum ſubinde petere cogebantur, ne vadis colluctatæ, ad littora & ſcopulos affligerentur: contrà verò Lacedæmoniorum ſchediæ, laxatis

hoſtium

hostium stationibus, facilè ex alto ad littus appellebantur. Etenim Lacedæmonij, quum nullam de suo classem reliquam haberent, edixerant ut quicunque vellent ex tota Græcia in insulam frumentum molitum, vinum, caseum, & si quid aliud cibamenti ad tolerandam obsidionem idonei esset, pro viribus importarent; operæ pretium servis libertatem, liberis pecuniam statuerunt. Itaque ex Peloponeso solvebant, undecunque poterant; & de nocte in altum navigabant, è regione insulæ observantes ventum; quo vehementiùs spirante, proni ad insulam deferebantur. Difficile quippe erat Atticis navibus, vento coorto, insulam obire: Illis vero securus erat undique ad insulam appulsus; non enim portum quærebant sed littus; nec lignis, parcebant; sed precio jam antè æstimatas, Lacedæmoniorum periculo, naves ad terram frangere non dubitabant.

Adnatabant etiam à terra merguli quidem, quos urinatores vocant: Varro natatores appellare maluit; eos autem intelligit, qui se maris profundo immergentes, res seu casu seu consilio demersas extrahunt; horum alij, ora, ne fluctus intrent, communiunt: alij spiritum diutissimè comprimunt, dum ima maris vada & scopulorum anfractus perscrutantur. Horum præstantissimi erant ex Delo Insula; inde, veteri diverbio, si quid abstrusioris disciplinæ, & inventu difficile occurrisset, ad eam rem Delio natatore opus esse dicere solebant. Sed ex omnibus qui in hoc genere valuerunt, præcipuus fuisse traditur, homo quidam Siculus, cui nomen Co-

Vrinatores.

G lan:

Colan. lan: singulari ille fato genitus, quique plus in aquis quam terra degere solebat. Is complures sæpe dies inter belluas marinas (tanquam Proteus alter) intrepidè versabatur, & convivebat illæsus, haud secus quam si ex earum numero fuisset; idem maris intimos recessus sæpenumerò penetrabat: inde reversus nautas de futuris tempestatibus præmonebat. Nando autem tantum valuisse dicitur, ut maxima pelagi intervalla spatiaque immensa Delphino velocior peragraret; donec festo annuo solemnique die, in portu Messanæ, (quæ Siciliæ urbs erat) dum pateram auream munus natantibus tunc à rege propositum, effusa omni ad spectaculum multitudine, imo mare eruere conatur, seu vorticibus ad scopulos allisus, seu à belluis voratus, nusquam postea comparuisse memoratur. Ferunt etiam Caroli quinti tempore, in Zericæana Belgiæ civitate natatorem quendam, ipso inspectante Imperatore, multa stupenda in hoc genere perpetrasse; nec desunt qui hoc genus hominum in bellis navalibus multum posse existimarunt.

Cap.44. Verùm ut ad institutum redeam, quum natatores illi ad Pylum in profundum se dedissent, sive vadendo, sive natando ad Insulæ littus perveniebant, trahentes secum semen papaveris melle conditum, & semen lini tritum, & si quid aliud vectura facile usui obsessis esse posset. Id primo clam excubitoribus fiebat; sed tam vigilem hostem diu latere non potuit; ita utrique artes excogitabant: illi ut cibos in insulam immitterent; hi vt importantes interciperent, illi ut rem

in

in hyemem extraherent, hi ut ne extraheretur, contendebant. Athenas vero quum nuntiatum esset obsessis in insula commeatus inferri, animis angi cæperunt, metuentes ne hyems demum oppugnantes opprimeret. Quare prudentissimo consilio usi, alterum confestim exercitum cò mittunt, ut duplicatis viribus de tempore deciderent. Auctis igitur copijs, in Insulam egressi Athenienses, viros fortissimos multitudine sua obruunt; partem occidunt, partem capiunt, & cum captivis insignem de Lacedæmonijs victoriam Athenas reportarunt. Qua elati Athenienses, & omnia armis navalibus inferiora reputantes, primùm Corinthios, qui funesti hujus belli origo fuerant, duce Nicia depopulantur. Corcyram vero, insulam quidem suam, sed in qua optimates à populo dissidebant, classe invadunt. Ibi fœdam & in ultima barbarie inauditam perfidiam cum crudelitate & sanguine cojunctam in optimates, studio partium, exercuerunt. Chios, nouum murum, quem defensionis suæ causa nuper extruxerant, tanquam rebus novis studentes demoliri jusserunt: & ad renovationem fæderum petendam adegerunt. Cythera, Insulam è regione terræ Laconicæ sitam, quam Lacedæmonij magno suo sumptu tuebantur, missa eò classe occupabant, pulsisque Lacedæmonijs, validum in ea præsidium collocabant. Verùm fracti adeo erant ad Pylum Lacedæmoniorum animi, ut nusquam illis cum exercitu occurrerent: sed distributis per regiones copijs, oppida munita præsidijs tuerentur. Quanquam & ex istis quædam, vastationis &

 excidij

excidij metu Atheniensibus se dediderunt. Itaque deflorere jam Lacedmoniorum fama, & eorum imperium a finitimis contemni. Quod ne in deterius, rebus retrò fluentibus, vergeret metuentes, pacem petunt. Athenienses pacem dare gravati, inducias in annum dant; quibus finitis, pax in annos quinquaginta data; quæ quoniam suasore Nicia, qui tum principatum Athenis obtinebat, facta est, pax Nicæa appellata Conditionibus additum, ut olim in fædere cum Dario coito, *ne cui Spartano, nave longa navigare liceret, sed oneraria tantum, eaque parva*; quo nihil unquam à Republica Spartana flagitiosius admissum reperitur.

Pax Nicæa

Cap. 45. Verùm pax ista in quinquaginta annos pacta, sex tantum annos sancta fuit; si tamen sancta dici debuit, quam quum suo nomine condixerant, ex sociorum persona quotidiè violabant; quippe quasi minus periurij contraherent, si ferentes socijs auxilia, quam si suo nomine indicto bello dimicassent. Cæterùm major erat jam Atheniensium fortuna quam ut eam moderatè ferre possent; non enim absolutum tantummodo in mare imperium, concedentibus Spartanis, obtinebant, sed eò etiam ingentem apud omnes populos gloriam compaverant, quòd viris inter ferrum & arma natis arma è manibus virtute sua extorsissent. Quippe reputabant animis, cæsos quidē olim ad Thermopylas à Persis Lacedæmonios, sed quibus arma traderent, seque dederent, & a quibus tam flagitiosas pacis conditiones acciperent, solos inter mortales repertos esse Athenienses memorabant. Constat etiam

am Italiam usque & Carthaginem harum rerum famam,& Atheniensium terrore pervasisse: nec ipsi Athenienses se magnum quid occidentem versus agitare animis dissimulabant; sed Siciliam insulam armis virisque, præcipuè vero classibus potentem imperio suo prius adjungere,è re esse judicabant. Id jam inde à bello Medico concupiverant; sed quà bello, quà pace cum finitimis infida, præpediti,arma in regionem tam longinquam (sic enim tum Sicilia videbatur) proferre non audebant. Vacuis deinde pace Nicæa,& Siculæ dominationis avidis, preces Egestanorum in Sicilia, quorum agros Selinuntij, & Syracusani vastaverant, causam belli quærentibus præbuerunt.

Erant illa tempestate Athenis duo viri ingenio varij, & moribus inter se longè dissimilimi, Nicias & Alcibiades; ille ætate maturus, rerum usu fretus, cõsilio providus,& qui florentes tum Athenarum res, sed non firmissimè constitutas prava dominandi libidine movendas non esse censuit: illud subinde, tanquam è tripode, bellorum non necessariorum flebiles semper exitus esse vaticinando. Hic annis iunior, ingenio fervidus & ferox, quique ad cæteras naturæ dotes, Socratis insuper disciplinam hauserat, & facundia summis illorum temporum oratoribus par habebatur, opes, potentiam, imperium, & quæ alia vulgi studia accendere & proritare solent, proponendo, bellum Siculis inferre suasit; extat utriusque apud Thucididem oratio; sed Siciliæ perdomandæ ardor, Alcibiadis insuper oratione inflammatus, prudens & salutare Niciæ

Nicias & Alcibiades.

preceſque, non quidem per ſingulas naves tanquam de Deorum auxilio ſoliciti, ſed univerſi ſimul ad præconis vocem pro more perfecerunt. Iungebant vota & preces ſuas etiam reliqua in littore multitudo, civium pariter & ſociorum. Cumque jam Pæana Apollini ceciniſſent: (mos enim erat, ut ſicut è prælio cum victoria reverſi Marti canebant, ita ad bellum profecturi Apollini Pæana canerent) à terra provehebantur; & claſſe primum in cornua, veluti ad præſentem pugnam diducta, Corcyram unius diei iter á Sicilia diſtantem navigabant. Ibi claſſem ſocialem apparatiſſimam inveniunt. Ducentæ erant & eò amplius ſociorum naves; & inter illas duæ Rhodiæ.

Rhodij. Parvæ tum erant, vtpote naſcentes, Rhodiorum in mari vires; quæ poſtea ſic auctæ ſunt ut ſummis imperijs, magna quâcunque inclinaverant, acceſſio haberentur. Multas etiam res ipſi ſuis auſpicijs gerebant: nomenque ſuum, non ſolum armis, verum etiam legibus ad res marinas ſpectantibus nobilitabant: quarum legum corpus, Lex Rhodia dicebatur; *Lex Rhodia* Hanc Antoninus olim Romanorũ Imperator maris Dominam dicere non dubitavit: tanta certè juſtitia, æquitate & prudentia conſcripta fuit, ut ne tam longi quidem temporis uſus eum in hunc uſque diem refutaverit: ſed quantum quiſque à lege Rhodia in judicando recedit, tantum à juris & æquitatis fonte diſcedere videatur.

Interea tantæ claſſis & expeditionis nauticæ fama Siciliam pervaſerat: ibi alij rem ridiculam, & ab optimatibus ad terriculamenta ſcilicet po-

pulo facienda inventam esse dicere; alij rem nec omnino inverisimilem, & quoniam vera esse posset, non contemnendam affirmare. Hermocrates genere Syracusanus, & inter suos præcipuæ virtutis & nobilitatis vir, quum per certissimos exploratores perspectissimum haberet, haud vanam esse de Atheniensium classe famam, eamque ad Corcyram jam stare, concilio populi indicto, rem aperit. Monet primum, ne privatas simultates salute publica potiores esse velint: Deinde, nec magnam istam classem, magni faciendam esse docet: paucissimas enim magnas classes procul patria profectas prosperos successus habuisse, rationibus simul & exemplis in rem prolatis confirmat. Denique præter domesticas opes, Carthaginienses, Corinthios, & Lacedæmonios, hos veteres Atheniensium hostes, illos adolescente indies eorum potentia & gloria anxios & suspensos, legationibus ad opem ferendam solicitandos esse censet.

Classis Atheniensium in Italiam appulsus.

Dum hæc aguntur, classis Atheniensis Corcyra profecta sinum Ionium trajiciebat, & cum universo apparatu, nemine prohibente, Tarentum in Italia appulerat; inde quãtocyùs Messanam in Sicilia transmissura. Sed Tarentini eos neque intra muros receperunt, nec commeatum petentibus præbebant, nec communi foro, rerum mercandarum causâ, uti permittebant; pro magno beneficio imputantes, quod aquatione & portu non prohibuissent. Idem & aliæ in illo tractu urbes, quanquam omnes origine Græcæ, faciebant. Si in animo haberent Siciliam invadere, id illis per se integrum fore aiebant;

bant;

bant; se neutris auxilio futuros; nec sine communi Italorum consilio, quicquam moturos esse dicere. Hac spe depulsi Athenienses, capita conferre, & de rei summa deliberare incipiunt: illud imprimis cogitantes, quomodo, aut ex qua parte Siciliam commodissimè invaderent; simul navium, quas ad Corcyram stantes, Egestam miserant, adventum expectabant: scire cupientes de pecunia, utrum ea in parato esset ad stipendia militum.

Atheniensium avaritia ab Egestanis elusa.

Etenim Egestanorum legati, quum Athenis, ut superius commemoravimus, auxilia adversus Selinuntios & Syracusanos peterent, auri nescio quos & argenti montes, & divitiarum omnis generis penes se affatìm esse affirmaverant. Cujus rei certiores quàm primùm fieri, ut par erat, cupientes Athenienses, eò statim legatos miserant; jussos ante omnia, ea res ita esset, necne, diligentissimè explorare. Hos ut fallerent Egestani, legatos subinde ad convivia privatìm invitabant: ibi pocula aliaque vasa per totam Egestam collecta, & quæ ex vicinis oppidis utenda accipere potuerunt, partim aurea, partim argentea, gemmisque distincta, afferebant in convivium, tanquam sua: quúmque omnes ijsdem acciperentur, & ubique multa conspicerent, ea opinione imbuti redeunt legati, ut Egestanorum profectò verba divitijs suis longe minora esse, populo confirmarent. Hæc erat illa Venus, Medæa illa, illa Circe, quæ stultum populum Atheniensem ad bellum Siculis inferendum perpulit.

Quum igitur legati quos à Corcyra Egestam missos

missos diximus, ad classem, quæ Tarenti adhuc stabat; reversi nihil se pecuniarum, ac ne quidem vnde pecunia confici posset, aut in publico aut in priuato reperisse renunciassent, ingens statim metus, & ex metu consternatio omnium animos occupavit. Re inter duces communicata, Niciæ sententia erat, ut cum toto exercitu navigarent Selinuntem, contra quam ab Egestanis in Siciliam evocati fuerant: Si Egestani toti exercitui stipendium, quod convenerat, præberent, consilium ex re capiendum: si fallerent, saltem ut sexaginta nauibus, quas sibi auxilio mitti flagitaverant, commeatus præberetur, peterent: si nihil obtinerent, satius esse clusos jam, quam demum perditos de reditu cogitare. Contra Alcibiades, cum tanto exercitu domo profectos, re infecta, ac ne quidem tentata, redire, rem flagitij plenam, & nomini Atheniensi, magis quam fando explicari posset, dedecorosam esse dicere. Solicitandos profectò esse Siculorum animos; amicos, si non inveniant, faciendos; urbem aliquam munitam, ubi consistant, ubi portum ad naues subducendas habeant, si portæ non pateant, vel vi vel dolo occupandam; ibi sedem belli habituros; inde tanquam ex specula, res Siciliæ, qui amici, qui adversi essent, prospecturos. Tertio loco Lamachus, Syracusas, belli caput, extemplò, dum recentes vigentesque essent militum vires, petendas esse dixit; multa initio torpentibus adhuc hostium animis fieri posse, quæ postea nequicquam expectaveris; si ista videantur, bene esse; si minus, se Alcibiadis quam Niciæ sententiæ

tentiæ accedere; omnino enim nihil agi, non placere.

Cap.47.

Placuit igitur legationibus tentandos eſſe Siculorum animos; ipſe Alcibiades, qui conſilium dederat, operam etiam in eam rem pollicetur, nec pollicetur modo. Meſſanam petit: concilium ei extra urbem datur. ipſe intra muros non recipitur: verba facit: virtutem gloriamque populi Athenienſis & magnitudinem imperij, præſertim in mari, apud maritinam civitatem, verbis ad id exquiſitiſſimis extollit. Sed nihil ei hoſpitalitèr reſponſum. Inde digrediens, alias in illa ora civitates adit: eadem in illis fere dicta, auditaque: nec benignè quicquam pacativè priùs acceptum, quam Catanam pervenit. Erat Catana urbs maritina Siciliæ, Græciæ obverſa, non longe à Syracuſis poſita: eò cum parte claſſis quum appuliſſet Alcibiades, Catanenſes exercitum navaleſve ſocios intra mœnia recipere recuſabant: ſi quid ipſe ad populum vellet, haud abnuere. Caſtris extra mœnia poſitis, ipſe cum modico comitatu urbem ingreditur. Longa ibi oratione populum fatigat: à cuius ore (erat enim res per ſe magna & dicentis facundia iuvabatur) dum univerſi pendent, interea ſocij navales, portulam quandam in averſa urbis parte malè cuſtoditam conſpicati vi effringunt; vrbem agmine ingreſſi, opportuniſſima quæque loca armis occupant: occupata præſidijs firmant: quo facto Catanenſes in Athenienſium poteſtatem, ſeu inviti, ſeu volentes conceſſerunt, & liberè inde abire permiſſis, ſi qui Syracuſanorum partes ſequi mallent, hunc

Catana.

navibus

navibus portium, hanc belli sedem Atheniensibus præbuerunt.

Rebus ad Catanam constitutis, sub fine æstatis, Athenienses de Syracusis invadendis consilium capiunt: Syracusani itidem ad Athenienses Catana, totaque adeo Sicilia pellendos animum advertunt. Facilè intellectum est, Lamachi consilium, si obtinuisset, ad summam belli plurimùm fuisse profuturum. Postquam enim non statim, territis adhuc animis, eos adorti sunt Athenienses, cœperunt indies Syracusani, magis magisque non solum confirmari, verùm etiã ferociores fieri. Petunt igitur à ducibus suis, quandoquidem Athenienses Syracusas venire non audeant, ut ipsi, juvantibus bene Dijs, Catanam ducerent: se ignavissimum hostem, vel Catanæ mœnibus præcipites acturos, vel urbis ruinis obruturos esse spondent. Equites etiam Syracusani, urbis mœnibus obequitantes, eos convitijs & opprobrijs incessere non dubitabant Erat enim hoc Syracusanorum proprium, ut quæcunque essent eorum res, aliquid semper commodè & facetè dicerent. Itaque mœnibus, ut dixi, obequitantes, eos subinde interrogabant; ad quid tandem in Siciliam venissent? ecquid ut uxores ibi quærerent? an quòd malos vicinos in Attica pertæsi, secum nunc in Cyclopum terra habitare mallent? Sensit vetus dux quæ res sui contemptum apud hostem genuisset, eundem igitur studiosè nunc alere, & metum simulando potiundæ urbis spem hostibus facere cupiebat: ut si posset totam vel saltem majorem exercitus Syracusani partem Catanam attraheret. Quum igitur

igitur quicquid esset in exercitu roboris, id omne, relicti Syracusis, Catanam jam tendere ex speculatoribus comperisset, ipse, milite navibus imposito, cum silentissima classe, Syracusas contendit. Ibi nemine præpediente copias in littore ante urbem exponit; castris metandis locum oportunum capit: fidam deniq; navibus, seu reficiendis, seu ex prælio, si opus esset, recipiendis stationem parat: quorum nihil, si præsens hostium exercitus fuisset, sine pugna, forsitan & clade, perfici potuisset. Missi igitur extemplò nuncij, qui exercitum ex itinere Syracusas revocarent. Eodem tempore, & qui ad Catanam erant, quum classem Atheniensem inde solvisse comperissent, urbi timentes citatissimo cursu Syracusas, alteri alteris pavorem incutientes referuntur. Castris vallo fossaque munitis, postero die Nicias productis copijs pugnandi copiam hosti facit: nec Syracusanis animi ad pugnandum defuerunt. Sed quod omni populo à longa pace desidi languentique contingit, ut ad signa frequentes non coveniant, ut ducum imperia non accipiant, ut ordines militariter non servent, hoc illo tempore Syracusanis contigit. Itaque facilè & nullo negotio à peritis imperiti, plures à paucioribus, tirones à veteranis funduntur fuganturque, & trepidi in urbem, multis suorum amissis compelluntur.

Hac potitus victoria Nicias, & notitia locorum accepta, quia hyems jam instabat, & ipse ad hybernam oppugnationem necessaria ad manum non habebat, classe, qua venerat, Catanam redijt: Ibi fructum victoriæ, defectionem populorum

lorum & urbium, expectaturus, Nec eum ſua fefellit ſpes; multæ enim civitates, quæ prius neutris ſe auxilia miſſuros pollicitæ fuerant, hac Athenienſium fortuna & fœlicitate inclinatæ, Niciæ ſe conjunxerunt. Interim Syracuſani quũ ſe & viribus & ingenio, ſed magis ingenio, & rei militaris vſu ſuperari animadvertiſſent, multa animis agitabant: ante omnia Corinthios ut claſſem, Lacedæmonios ut ducem ſibi aliquem ex ſuis mitterent, ſolicitabant. Etiam Siciliæ populos, legatis miſſis honoratiſſimis quibuſque ſuæ civitatis, monebant pariter & rogabant, ne communem patriam prava finitimos ulciſcendi cupidine peregrinis & exteris in ſervitutem tradere feſtinarent.

Cap.48.

Vere ineunte, qui erat annus decimus octavus belli Peloponeſiaci, Nicias cum claſſe Syracuſas redit. Duo erant Syracuſarum portus: quorum alter Thapſus, alter portus magnus dicebatur. Thapſum claſſe occupat; locum caſtris muniendis pugnando capit; multa prælia ſecunda facit: quibus territi Syracuſani, quum nullus è Sparta Dux adveniret, rebus ſuis diffiſi, de pace cum Nicia agere cœperunt. Nicias non pacis ſed deditionis rem eſſe dicere: & jam frequentes hinc inde legati commeabant. Rem deinde, ſive ad pacem ſive ad deditionem inclinatam reſtituit repens primò fama, deinde certus nuntius de Gylippi ducis Spartani ad Tarentum in Italia appulſu, inde ſine mora in Siciliam & Syracuſas ipſas trajecturi. Nulla cum eo auxilia miſerant Lacedæmonij: neq; enim id per fœdera inter ipſos & Athenienſes inita licebat:

Gylippus Spartanus.

bat:

bat: sed is vir erat Gylippus, ut in eo omnium auxiliorum instar esse videretur. Itaque quùm nullum secum exercitum adduxisset, nescio tamen, qua sui opinione, ad quatuor millia hominum brevi tempore ad se attraxerat. His comitatus Syracusas tendit; quà intermissa erant munimenta, stationes hostium nocte aggressus, facile perrumpit,&Syracusis cum incredibili omniũ lætitia, recipitur. Postero die accepto imperio, copias educit: dies noctesque in ipsa munimenta hostium pugnat, vallos revellit, fossas complet, muros diruit, tantaque paucis diebus facta est rerum ad Syracusas conversio, ut qui prius de pace egerant, omnem nunc, præterquam in armis, salutis spem turpem & flagitiosam esse ducerent. Denique Nicias ipse abjectâ urbis terrestribus copijs potiundæ spe, ad mare se convertit: classem armat, apparatque, & Thapso prouectus, magnum portum, quem adhuc tenebant, Syracusanis eripere contendit. Gylippus ne navali quidem gloria Atheniensibus cedendum esse ratus, classem & ipse parari jubet: quo nihil Niciæ, ut inexpectatius, ita formidabilius evenire potuit. Etenim naves suas alterum jam annum, continuis in salo stationibus fatiscere, & rimosiores fieri comperiebat; socios vero navales tam longi temporis spatio, aëre insuper haud quaquam salubri, non solum morbis debilitatos, verum etiam magna parte extinctos esse vidit; qui vero in defunctorum locum ascripti fuerant classiarios, utpote mancipia & servos, totam disciplinam navalem corrupisse querebatur.

Hermocrates.

Intereà Hermocrates Syracusanæ classis præfectus suos ad pugnam navalem ineundam acerrime hortabatur. Quippe ipsos Athenienses maris peritos non natos sed factos esse: non illos maris & insularum regnum a patribus relictum accepisse, sed paucos ante annos, quùm terra contra Medos consistere non possent, ad naves compulsos, agendo, audendo, bene consulendo, virtute denique & viribus imperium maris obtinuisse; posse & Syracusanos, si ad nativum animi robur rerum nauticarum usum & disciplinam adjiciant, istam, qua nunc tantopere exultant Athenienses, navalem gloriam illorum capiti detractam suo imponere, & rem Syracusanam multo quàm à patribus acceperant, auctiorem posteris relinquere. Nicias igitur quùm præter spem suam Syracusanos, totos jam in navibus deducendis, armandis, instruendis esse cerneret, pugna abstinuit. Interim literas legatosque Athenas mittit: quas quantasque clades à Gylippi adventu acceperat, edisserit: vel alium exercitum & classem priori parem mittendam, vel quæ jam erat, salvis adhuc rebus, revocandam esse docet. Re ad populum relata, novum statim exercitum conscribi, & classem adornari jubent. Quoniam vero Gylippum civem Lacedæmonium, unicam ad Syracusas malorum suorum causam esse intellexerant, ideo rupta palam fœdera cum Spartanis esse clamitantes, & ipsi, missa classe, terram Laconicam, non ut antea prædabundi, sed hostiliter invadunt.

Hanc fœderis solvendi occasionem cupidissime

mè arripuerunt Lacedæmonij. Memores enim, priore fœdere præter jus & fas à ſe ſoluto triſtes pleruimque præliorum eventus, & infauſtū belli totius exitum fuiſſe, ad eundem lapidem iterum impingere perhorrebant. Itaque ſi quando Athenienſes præda è Laconica egiſſent, non propterea fædera rupta eſſe interpretabantur, ſed præconio publico edicebant, ut, ſi quis ex ſuis vellet, Athenienſium res ex Attica viciſſim deprædaretur: quo primùm exemplo, jus Repræſaliarum quali nunc utimur, hoc eſt, non legitimo, ſed quo, manente pacis titulo, omnia hoſtiliter æque atque bello per fæciales indicto, perpetrantur, proditum fuiſſe exiſtimaverim. Quum igitur bellum ſibi conſilio publico ab Athenienſibus inferri cognoviſſent, validiſſimo & ipſi conſcripto exercitu in Atticam irruperunt. Id eo audentiùs faciebant, quod hoſtes eodem tempore & longinquo & difficili bello implicari intelligebant. Veniſſe igitur jam tempus rati, quo veterum injuriarum pænas ab Athenienſibus expeterent, præter exercitum quem in Atticam immiſerant, claſſem etiam quantamcunque poterant. Ex univerſa Peloponeſo contractam Syracuſas mittunt; Tanta autē Atheniēſes ceperat illo tēpore dominandi rabies, vt quùm ab Athenarū mœnibus fremitū ferè caſtrorū Laconicorum exaudirent, & regionem Atticam, non vt antea vaſtari, & incendi, ſed ab hoſtibus, qui jam Decelæam, non totis quatuor milliaribus ab urbe diſtantē muniuerāt, poſſideri oculis ipſi ſuis contuerētur, alienatis tamen à tantorum periculorum ſenſu animis, omnes vires

R preſalia.

H ſuas

ſuas navales terreſtreſque Syracuſas converterent.

Cap.49. *Pugna navalis ad Syracuſas.*

Auctis igitur vtrinque ad Syracuſas in mari viribus, ad pugnam navalem ſe parant, ante fauces magni portus concurrunt claſſes: ſexaginta Athenienſium triremes erant, Syracuſanorum octoginta. Initio ſtatim pugnæ ſuperiores erant Syracuſani. Nam & triremes aliquot Athenienſium primo congreſſu depreſſerant, & reliquas ſe inferentes multa vi repellebant; ſed dum in repulſas nullo ordine irruunt, victoriam quam in manibus habebant, hoſti tradunt: vndecim Syracuſanorum navibus demerſis, multis mortalibus interfectis, captis etiam & abductis aliquot triremibus, & qui in illis erant militibus in ſervitutem abreptis trophæum in littore, ut mos erat, ſtatuerunt Athenienſes. Nec tamen Hermocrates Syracuſanos ſuos propter adverſam pugnam inertiæ accuſandos, aut alia verborum acerbitate caſtigandos eſſe cenſuit, ſed leniter conſolandos; non quidem nihil hoc prælio actum eſſe dicere, quòd rudes adhuc & imperiti cum maris peritiſſimis non magna clade dimicaſſent; ex quo ſi nihil aliud, attamen illud certè commodi reportaſſent, quod in quibus peccatum eſſet, compertũ jam & cognitum haberent: jam primùm eo peccaſſe, quod extra fauces progreſſi, aperto mari potius quàm in ipſo portu concurriſſent. Navium agilitate, & circumcurſando, ubi ſpatium detur, plurimum valere Athenienſes: ſe ſtabili genere pugnæ & roſtris incurrendo plus valituros. Ab hac oratione, navium ſuarum roſtra, quæ quò prominen-

tiora

tiora erant eò facilius inter concurrendũ præfringebantur, ad breuiorem mensuram præcidi jussit; littora vero intra portus angustias vallis sudibusq; prægrandibus & acutis, quarum magna pars aquis tegebatur, munivit; vt si ad eas naves hostiles temerè applicuissent, non aliter quam ad scopulos frangerentur. Edicit deinde maris fortunam iterum esse experiundam, nec se prius quieturum confirmat, quam maris istos, si dijs placet, dominos toto mari præcipites egisset. Interim verò triremes decem, duce Agatharcho, ad Italiæ littora, ne quid inde subsidij Atheniensibus veniret, servanda mittit. Intellexerat enim naves quasdam pecunijs alioque commeatu, & materia onustas ad Niciam inde navigare: quibus quum Agatharchus occurrisset, majorem earum partem aggressus cepit, alias, quæ statuminibus, cæteraque materie ad classem reficiendam idonea replebantur, incendit, multaque cum laude Syracusas redijt. Leve deinde prælium circa palos, quos Hermocratem in littore ad belli occasiones fixisse diximus, commissum est. Etenim Athenienses eximiæ magnitudinis navem (quam a magnitudine Myriamphorã, vtpote decem mille non minus amphorarum capacem, appellabant) turribus ligneis instructam, tectamque & egregie munitam in portum immiserant, quam quoniam remis propter magnitudinem versare non possent remulco trahebant, palosque ad eam religatos, multa vi retrahentes evellebant. Addebant & vrinatores, qui sub aquis adnatantes, vallos, qui aquis non extabant, & à quibus præcipuè

periculū erat, excidebant. Adverſus hos Syracuſani è navibus miſſilibus certabant; & Athenienſes ex Myriamphora ſua tanquam ex præcelſa aliqua turre omni telorum genere propugnabant.

Cap. 50. Dum iſta in portu magno vario eventu geruntur, ſeptuaginta trium navium claſſis Athenis miſſa, levi prælio in traſitu cum Corinthijs commiſſo, ad minorem portum, quem Thapſum appellari diximus, applicuit, duce Demoſthene, eo, cujus res ad Pylum, & Sphagiam geſtas ſuperius memoravimus. Quæ res ut animos Athenienſium non mediocriter refecit, ita Syracuſanos ad majora audenda excitabat. Iamque proris navium, juxta Hermocratis præceptum, ad breviorem menſuram præcisis, ligna inſuper, mediæ craſſitudinis, ipſi ſuopte ingenio addiderant, eaque geniculis ad proras navium hinc inde impactis firmabant; vt in naues hoſtium ſive à latere ſive à fronte incurrentibus non præfringerentur roſtra, ſed certiora gravioraque adverſis vulnera inferrent: & ipſi ſe intra portus ſui clauſtra tenebant; pugnādi vel non pugnādi occaſionem in ſua ſemper manu habituri. Demoſthenes, quum paucis ad hoſtem pariter ſuumque militem cognoſcendum diebus ſumptis, illos validos vigenteſque & ſpe plenos, ſuos corpore ſimul & animo languentes comperiſſet, magnopere ſuadere ut rebus adhuc, ſi non ſalvis, attamen non planè perditis, exercitus navibus impoſitus Athenas reduceretur; ſatis ſuperque hoſtium in Attica jam eſſe, rupto cum Lacedmonijs nuper fœdere; nunc præterquam quod

quòd in Attica & Sicilia duos ſimul exercitus ærarium alere non poſſet, periculi quantum adeatur quis non videt. Quid ſi (quod dij omen avertant) dum nos hic, inquit, Syracuſas oppugnantes ſedemus, Lacedæmonij, qui jam Deceleam muniverunt, ipſas Athenas milite vacuas, oppugnatū nunc eant? credo nos & exercitū hunc à Syracuſarum mœnibus, hoc eſt, ab ultimis maris & terræ finibus accerſent. Nam ſi nobis hic adverſi quid terra marivè accideret, cuiquamnè mortalium dubium ſit, quin hi ipſi Syracuſani, hoc ipſo Gylippo duce, qui tantas hic tragœdias excitavit, cum claſſe victrice avolabunt, junctiſque cum Lacedæmonijs copijs vrbem ipſam & Pyræum, ſicut nos Syracuſas, omni genere militiæ excindere nitentur? Hæc & ſimilia his, veluti animi ſui præſagia, in conſilio militari fundebat Demoſthenes: nec ex toto cōſeſſu quiſquam erat, qui vera ea eſſe non ſentiret; ſolus Nicias, iſta ſive de reditu ſive de fuga conſilia tanquam nomine Athenienſium parum digna repudiabat; præſertìm verò ea in concilio caſtrenſi agitari, quæ ſi palàm fiant, hoſti animos addere poſſint, ſuis minuere, è repub. non eſſe contendebat. Privatìm tamen Demoſtheni, ſuam & illius, de rerum ſumma, & totius belli ratione, eandem ſententiam eſſe, lacrymans fatebatur: ſed ſcire ſe populi Athenienſis qui mores eſſent, quæ ingenia: ſi deportato nunc exercitu ad ſuos revertiſſent, infame ſibi corruptelæ & proditæ reipub. iudicium haud dubie ſubeundum: è duobus, malle ſe belli, quam judicij aleam ſubire, & infeſtis potiùs

hostium telis quàm ciuium iratorum suffragijs caput objecturum, & cum dicto, Eurymedonta classi præfectum naves expedire jussit.

Alia pugna navalis in qua casus Eurymedon Athenensis.

Eurymedon, accepto quod roboris in classe erat, cum sexaginta triremibus portum magnum invehitur: Syracusani cum octoginta navibus ex adverso, paratissimis ad dimicandum animis, procedunt. Naves Atticæ multa vi se inferentes, adversis hostium rostris, veluti scopulis excipiuntur: hinc cladis initium: inde strages erat. Toto æquore vincuntur Athenienses. Depressis fractisvè nauibus, si qui forte ad terram enataverant, eos Gylippus in littore egressos trucidabat. Ipse Eurymedon dum Syracusanorum alam circumvehitur, trireme sua ad vada allisa, capitur, & occiditur. Sensit viri casum vtraque statim classis. Itaque præcipiti fuga ablati Athenienses, Thapsum tendunt; fugientibus instat Hermocrates; naves alias capit, alias vulnerat & demergit: paucæ fuga elapsæ intra præsidia pavidæ se receperunt, victoriam de se Syracusanis, qualem nulli vnquam ad illum diem genti, in mari relinquentes.

Hermocrates, quamvis victoria lætus, tamen ne vincere magis, quam victoria vti scire videretur, quum naves hostiles intra præsidia compulisset, majori statim rei animum advertit; illustrem planè apud omnes gentes rem, & tum suo tum Syracusanorum nomini gloriosam fore ratus, si funesto huic bello geminata in mari victoria finem imposuisset; simul veritus, ne si hostes inde elaberentur, aliam belli sedem in Sicilia quærerent, & Syracusanis bellum, auctis viribus,

viribus, pro libito renovarent. Paucis igitur datis ad militem reficiendum horis, ad opus revocatos, quid paret, edocet. Illi nihil ad summam industriã reliqui facientes, & promptissimo studio imperia obeuntes, Thapsios triremibus, alijsque navigijs & lembis ratibusque piscatorijs vndecunque contractis, & transversìm collocatis, ancoris ęas primùm ab vtraque ripa stabilientes, deinde & funibus ancorarijs inter se colligantes, tanquam septo clauserunt, angustissimo in medio spatio relicto, quod classe objecta muniebant: vt Athenienses eo jam, quasi vivario inclusi, vsquam elabi aut effugere non possent. Quibus rebus sic constitutis, Hermocrates, cum Athenienses eruptionem omnino tentaturos esse prævideret, omnia rursus ad prælium navale necessaria summa cura comparabat. Athenienses portu erepto omnem simul commeatus petendi facultatem sibi eripi intelligebant. Itaque de summorum ducum sententia, adhibitis etiam in consilium ordinum ductoribus, & navarchis, statuit Nicias iterum prælio navali decernere, & si qua posset, viam in mare pugnando aperire. Statim igitur editioribus castrorum munitionibus relictis, prope naves locum occupat, naturâ & situ quam potuit munitissimum; non spatio amplum, sed qui impedimentis & ægrotis tutandis sufficeret. Illum præsidijs & excubijs firmat: reliquo peditatu naves, quæ vel ad cursum vel ad pugnam idoneæ videbantur, implet. Classi duces Demosthenem, Menandrum, & Eudemum præficit. Hi junctis inter se navibus, quasi vno

corpore ad perrumpendas claustrorum fauces properant. Sed Syracusani prius egressi cum ingenti navium bellicarum multitudine in statione ante portum aderant. Duces erant, Sicanus & Agatharchus; hi vtrumque cornu tenebant: mediam aciem Corinthij tuebantur. Ipse Hermocrates toti classi præerat, & cum delecto navium numero, si qua suos laborantes videret, accurrebat. Athenienses primo impetu Corinthios pepulerunt; & jam summa vi perrumpere conabantur: sed invectis in eos vndique Syracusanis, mox retro cedere, & introrsus se recipere cogebantur. Nec jam amplius ad septi fauces, sed toto portu pugna ciebatur: in qua magna erat nautarum vtrinque animi vis & fortitudo: & miles cum milite, navarchus cum navarcho, dux cum duce, virtute & omnibus belli artibus certabat.

Ingens pugna navalis ad Syracusas

Itaque tot inter se tam arcto spatio commissis navibus, quum propter loci angustias, excursiones navium in nullam partem fierent, adversis se invicem rostris vulnerabant, & milites in tabulatis collocati, jaculis sagittisque se mutuis impetebant: mox alij in aliorum naves transiliebant: multaque & egregia belli facinora vbique edebantur. Interea clamore & strepitu omnia personabant. Athenienses à littore suis inclamabant, vt vi perrumperent, & pro salute patriæ, si vnquam aliâs, illo potissimum tempore strenuè dimicarent. Syracusani suis, ut bello huic finem illo die imponere non dubitarent. Duces autem, si quem ex suis loco cedentem conspexissent, verbis increpabant.

bant. Athenienses suos interrogabant numquid plus in mari libero quam in terra hostili periculi esse existimarent? Syracusani, an non puderet ab illis fugari, qui nihil aliud pugnando quam fugam quærerent? donec ad extremum cruentissima vtrobique pugna edita, Syracusani hostem longa pugna fatigatum, quum ipsi numero prævalerent, paulatim primùm in fugam conjecerunt: fugatos cum terribili clamore persequendo præcipites ad terram perpulerunt. Tunc navales Atheniensium copiæ, quibus septuaginta & amplius annis steterant, fœdam naufragij speciem dederunt; quotquot autem pugna elabi potuerunt, ij se in castra, fracti animis, confecti vulneribus, & toto corpore debilitati receperunt. Hoc prælio funditus interijt Athenarum gloria: navibus enim amissis, triduo pòst deletæ sunt etiam terrestres copiæ, vnà cum ducibus, Nicia & Demosthene: qui quum vivi in hostium potestatem venissent, paulo post in vinculis sunt interfecti.

Atheniensium ad Syracusas terra marisque strages.

Cap. 51.

Athenas quum fama adlatum fuisset, exercitum cum ducibus occidione cæsos, classem omnem in hostium venisse potestatem, pavor primò & silentium omnia occupabat; nauis deinde vna è pugna elapsa, quum certiora omnia de clade reddidisset, vniversam civitatem ad luctum & lachrymas convertit: nec suæ quisque domus calamitatem magis quam Reipub. fortunam deplorabat. Nam quid prius conquererentur? classem amissam? quasi vero eam, si salvam haberent, aut milite aut remige implere possent. An vero exercitum in Sicilia deletum?

cui

cui, si integer maneret, in Sicilia tamen omninò senescendum foret; quandoquidem nec classis, qua inde reportaretur in parato erat, nec in ærario pecunia, qua in locum amissæ nova comparari posset. Iam insulas omnes & ciuitates socias, subditasque, sui imperij pertæsas quasi communi consilio continuò descituras esse providebant animis. Quid autem si ad illum calamitatum,& miseriarum cumulum, illud jam accederet, ut Gylippus cum exercitu & classe Syracusana, à recente victoria ardens advolaret? Quod vt nè fieret, nullo humano consilio provideri,nullo ingenio sperari potuit. Itaq; impar cæneri sim, si præsentem florentissimæ nuper civitatis fortunã, & ex fortuna habitum, verbis describere & enarrare aggrediar. Sed hac tanta rerum adversarum mole oppressæ civitati, saluti fuit,quod eum hostem habuerunt qui ut in prælijs supra humanas vires fortis & ferox, ita in consilijs capiendis timidus semper & cunctabundus erat, præsertim in rebus quæ ad mare & naves pertinebant. Quare nulla unquam gens rei benè gerendæ occasiones sæpius sibi effugere passa reperitur. Ex quo profecto illud est, quod Thucidides Lacedæmonios omnium commodissimos Atheniensibus hostes fuisse dixit: nimirum hì res præcipitando suam sæpe occasionem hosti dabant; illi oblatam non semper arripiebant; nec is hostis erat, in quo negligentiæ & errori locus interdum non esset.

Itaque Gylippus quum sub Autumno victoriam obtinuisset, non inde statim, quod oportuit, Athenas cum victore exercitu navigabat;

nec

nec ex Spartana disciplina, sed vel voluptatibus, vel pecunijs, (quarum aviditsimum fuisse constat) ex præda corrogandis totam inde hyemem Syracusis insumpsit. Ipsi etiam Lacedæmonij, more suo, tantæ victoriæ nuntio contenti, eâ in præsens frui, quàm vti maluerunt. Ne tamen nihil egisse viderentur, viginti quinque naves illa hyeme ædificandas locabant; majorem aliquantò numerum socijs imperant: proxima æstate vel in Asiam vel in Hellespontum & Thraciam, aut maris Ægei insulas, ad civitates, quæ se dederent, per otium recipiendas profecturi: quum si statim à victoriæ nuncio, vel viginti triremibus armatis instructisque rectà in Pyræum navigando perrexissent, & portum, & vrbem ipsam Athenarum, non defensoribus & armis, magis, quam consilio & animis destitutam pro arbitrio suo occupare potuissent.

Cap. 52.

Intereà Athenienses, quum hostem pro ingenio suo agere, nec quicquam vel à Syracusis, vel Lacedæmone moveri comperissent, animos recipere, consulere, alij alios cohortari, in armis spem ponere, denique in tam afflictis suis rebus, de re tamen publica non desperare audent. Mos erat antiquis, sacrum quendam Thesaurum ad extremos Reip. casus, repositum habere: gravi addita pœna, si quis eum temerè movisse convinceretur. Mille talentorum thesaurum hac conditione reconditum habebant Athenienses, Hunc quum Respub. jam sua vltimo discrimine laboraret, lege prius de mulcta abrogata, movent; & ex eo à vicinis ciuitatibus,

Thesaurus publicus.

bus, vel naves, vel materiam ad naves extruendas coëmunt; celeriterque confecta triginta vel circiter navium classe, & in mare deducta, satis signi hostibus pariter socijsque dant, se non adeo ex recenti in Sicilia vulnere animis cõcidisse, ut non de antiqua sua in mare gloria obtinenda cogitarent. Forte accidit, ut statim cum classe egressi, in parem Laconicarum navium numerum inciderent: eas fundunt fugantque: nonnullas etiam capiunt, & victores ad vrbem redeunt. Quæ res, vt lapsos militum animos non mediocriter restituit, ita non multum ad autoritatem apud ciuitates siue socias siue subditas recuperandam valuit. Quoniam verò omnes vndique in hac rerum inclinatione ciuitates & insulas, solicitantibus Lacedæmonijs, non solum ab imperio suo deficere, verùm etiam contra se arma capere videbant; nec vniversas in potestate continẽdi aut spes aut ratio ostendebatur, ideo ex omni numero duas potissimum in fide retinendas deligebant, Eubœam & Samon: illam, quòd vrbis Athenarum horreum esset, è qua plura quotidianæ vitæ subsidia quàm ex ipsa Attica percipiebant; hanc, quod post ipsas Athenas, inde ab antiquo plurimùm mari poterat. Itaque si maritimæ huius urbis vires ad Lacedæmonios accessissent, actum plane de Repub. sua fore intelligebant. Missis igitur extemplo copijs vtrumque locum firmissimis præsidijs occuparunt.

Cap. 53. Falsi spe sua de Samo Lacedæmonij, aliò se convertunt; & legatos in Asiam ad Tissaphernem Lydiæ præfectum, Sardeis eo tempore agentem,

gentem, mittunt. Rogant pro vetere ſua cum Regibus Perſarum amicitia, vt ſe æſtate proxima adverſus Athenienſes claſſe regia adjutos vellet; interìm, vt ex fœdere, frumentum & ſtipendium in claſſem Laconicam, quæ jam inſtruebatur, cum cura & fide mitteret: fore propediem pollicentes, vt vrbs illa, quæ tot olim turbas regibus Perſarum conciviſſet, meritas ſcelerũ & injuriarum pænas lueret. Lætis auribus hunc nuncium accepit Tiſſaphernes; & vtramque rem Regi Perſarum & ſibi curæ fore ſpondens, legatos dimittit: claſſem centum & quadraginta triremium Phœniſſarum armat ornatque: nec vlli mortalium dubium erat, quin hæ tantæ vires Laconicis adjunctæ, rem Athenienſem ſua mole obruituræ eſſent.

Diximus ſuperiùs Alcibiadem, vnum ex tribus ducibus fuiſſe, qui ad bellum Siculum mittebantur, eumque belli ſedem Catanam in Sicilia occupaſſe. Sed eum ſtadium ingentium rerum gerendarum ingreſſum, furor populi levibus rumuſculorum & ſuſpitionum ventis agitatus, ad cauſam capitis dicendam, Athenas revocavit. Quod quum ægerrimè ferret Alcibiades, cuſtodes fallens in Peloponeſum ex itinere divertit. Inde Spartam miſit, qui veniam ſibi homini Athenienſi, & impunitatem paciſcerentur; pollicitus plus ſe commodi Spartanorum rebus brevi allaturum, quàm prius incommodi attuliſſet. Fide publica accepta Spartam proficiſcitur: vbi lætis omnium animis & oculis accipitur: fit publici conſilij particeps: ſententiam dicere juſſus, quum diſſeruiſſet, ſenſit ſtatim Spartana

res

res quantum virium hostibus ademissent. Quicquid enim postea, vel Gylippi operâ in Sicilia, vel Regis Agidis ad Decelæam in Attica, vel alibi vsquam adversus Athenienses patratum fuerat, id omne virtuti & ingenio Alcibiadis, communi populi judicio, acceptum ferebatur.

Cap 54. Sed dum Rex Decelæam in Attica munit, interim Alcibiades Regis uxorem Lacedæmone expugnat. Id adeo apertè & impudenter ferebatur, vt nec ipsa mulier, sibi à lætitia ex facinore satis temperaverit, & Alcibiades, per ludibrium, non se libidinis causâ id stupri Reginæ intulisse diceret, sed ad genus faciendum, vtque ex se potissimùm procreati Lacedæmone deinceps imperarent. Hæc quum non vanis autoribus ad Agidem deferrentur, tum habita temporis ratione, ea vt ita esse crederet, maximè movebatur; totis enim decem & amplius mensibus ante pueri partum, se cum uxore consuetudinem non habuisse ad animum revocabat. Quare & Leotychidem, (id infanti nomen erat) ut spurium abjecit, & cædem Alcibiadis percussoribus mandabat. Quo comperto, ad Tissaphernem in Asiam profugit Alcibiades; cui se celeriter officij comitate & morum obsequio conciliavit. In consilium adhibitus persuadet Tissapherni, ne tanta stipendia classi Laconicæ instruendæ præberet: quippe memorem esse debere, alienam se victoriam non suam instruere; nec vltrà hoc bellum sustinendum esse, quam vt ne inopia deseratur. Regem Persarum dissentientibus Græcis, semper arbitrum belli & pacis fore: bello finito, statim ei esse cum victoribus dimicandum.

dimicandum. Grata erat hæc oratio Tissapherni: quare commeatus malignè præbere, classem non mittere; si quam misisset, ex causa subinde revocare, Lacedæmonios frustrari: omnia pro Alcibiadis arbitrio agere. Lacedæmonij, quum se à Tissapherne ludi falliq; cernerēt, suis viribus bellū gerere instituunt. Novo exemplo, summū rei nauticæ imperiū certis legibus circumscriptum vni præfecto deferunt. Vnde maris deinde præfecturam, quam nos Amiralitatem dicimus, ad cæteras gentes manasse reor. Is Astyochus nomine dicebatur: qui multa nequicquam in mari agitabat: sed seu consilio, seu fortuna destitutus, nullum vnquam memorabile cum Atheniensibus prælium conseruit.

Primus maris Admiralius Astyochus.

Ei postea successit pari potestatę Mindarus: vir acer & in rebus mari gerendis impiger, quique non frustra præfecturam illam sortitus videretur. Primum omnium Eubœam, quam Athenarum horreum & penum fuisse diximus, missa eò quadraginta duarum navium classe, duce Hamaxandrida Spartano occupare constituit. Qua re cognita Athenienses Timocharem ducem cum triginta navibus insulæ præsidio mittunt. Has Hamaxandridas improvisò adortus, ex illis viginti duas cepit, reliquas vel demersit, vel toto æquore disjecit; insulam verò ipsam, victoriæ præmium, promptissimis incolarum studijs, Lacedæmoniorum imperio sociavit. Athenis postquam allatum eò est de clade ad Eubœam accepta, tantum repente consternationis & pavoris fuit, quantum antea nunquam: ac ne tum quidem, quum de adversa in Sicilia pugna nuncius

Mindarus.

Eubœa Atheniensibus erepta.

nuncius afferebatur. Illo enim casu imperij vires graviter afflictæ; isto, si quæ forte reliquiæ supererant, omnes sublatæ & extinctæ esse videbantur. Quid enim, si Hamaxandridas, quod quilibet dux prudens faceret, & ipse, loci aspectu præsens facere admonebatur, cum tota statim classe, adjunctis Euboeensibus Pyræum appulisset? ibi scilicet nec remigem nec remum ex adverso reperisset. Omnis enim cum classe exercitus ad Samum aberat: & ipsa præterea vrbs intestinis tum maximè seditionibus laborabat. Sed Hamaxandridas (credo ne dux Gylippo melior videretur) victoria lætus, ad Mindarum, lætum nuncium apportaturu abijt. Quo metu liberati Athenienses, quum quò se verterent non haberent, decretum protinus de Alcibiade ab exilio revocando faciunt, fore sperantes, ut patriæ, quamvis ingratæ, attamen suæ, & ad vltimam rerum desperationem adductæ misertus, pro ea qua apud Tissaphernem valebat gratia, Persarum vires Lacedæmonijs avulsas, ad Athenarum reliquias conseruandas adduceret.

Cap. 55.

Alcibiades a exilio revocatus & classi præficitur.

Accepto decreto Alcibiades, statim ex Asia Samum ad exercitum contendit: vbi se copiarum omnium terrestrium simul & maritimarum præfectum à populo constitutum intellexit. Accepto imperio, omnia summa animi moderatione, & prudentissimo consilio administrabat. Tumultum militarem authoritate sua præsens repressit, sed ante omnia, quum Mindarum, Archithalassum Spartanum, Byzantium, cum valentissima classe profectum accepisset, nulla mora

ra interposita Thrasybulum eò & Thrasyllum, viros militia claros, cum octoginta sex navibus misit; quibus Mindarus cum sexaginta & octo expeditissimarum navium classe occurrit. Fit atrox & cruentum in angustissimo freto prælium primo congressu pulsi aliquantulum sunt Athenienses. Id conspicatus Thrasybulus in cornu, qua Mindarus ipse pugnabat, totis viribus incurrit: & qua confertissimæ erant hostium naves veluti fulmen penetrando, classem hostilem, metu territam, in fugãm vertit. Naves aliquot occupavit: plures occupaturus, nisi freti angustiæ tutum fugientibus è propinquo receptum in terra præbuisset. In hoc prælio, major pars exercitus & omnes ferè hostium duces cæsi: naves octoginta captæ. Posito igitur in littore tropæo, confestim Thrasybulus triremem cum cum victoriæ nuncio Athenas misit, quæ quum appulisset, & legatus ad id missus rei gestæ seriem & victoriæ modum populo exposuisset, alios statim singulorum vultus, alium vrbis ipsius habitum aspiceres. Hactenus enim cladibus, in Sicilia primùm, deinde ad Eubœam, veluti vulneribus super vulnera acceptis territi, nomen ipsum Spartanum, veluti infaustum & suæ vrbi fatale futurum perhorrebant: nunc vero alij alios lætioribus oculis intueri, non in totum Dijs immortalibus rem Atheniensem invisam esse dicere: habere & Lacedæmonios suas, ut victoriarum ita cladium vicissitudines. Denique de domminio maris repotiundo partim cogitare, partim etiam, Dijs bene juvantibus, sperare occipiunt. Anxios tamen & solicitos habuit,

Pugna navalis in q[ua] vincunt Athenienses

quòd Mindarus, collectis ex fuga navibus, alijſque inſuper Lacedæmone in locũ amiſſarum acceríitis, Pharnabazo etiam Perſarum ſatrapa, qui illa Aſiæ littora tenebat, adjuncto, liberè ut antè & impunè per omnes maris oras volitabat. Quanquam & ipſum Mindarum malè habuit, quòd eodem tempore Hermocrates Syracuſanorum dux cum ſua claſſe (viginti autem navibus conſtabat) ad Pœnorum vim propulſandam in Siciliam revocatus abceſſerat.

Cap. 56. Quibus rebus intellectis Alcibiades, rebuſque ad Samum & in Ionia vbique conſtitutis, cum centum viginti triremibus, omni apparatu nautico inſtructiſſimis, Helleſpontum, cum Mindaro quacunque occuriſſet pugnaturus contendit. Id modò curæ erat, ne Mindarus totam claſſem adveniſſe, vel ſe omnino in claſſe eſſe perſentiſceret: quare reliquis intervallo ſubſequi juſſis, ipſe cum quadraginta triremibus hoſti in conſpectum venit. Eas Mindarus conſpicatus, veluti ad prædam occupandam accurrit. Dum pugnam trahit Alcibiades, tota claſſis advenit: & ipſe Alcibiades cum ſuo cornu mediam hoſtis aciem perrumpit; jamque in frontem ſimul & in terga Mindari pugnabatur, nec vlla ad fugam via patuit. Rarò vlla cruentior in mari pugna commiſſa. Pharnabazus paucis navigijs comitatus inter tumultum evaſit. Ipſe Mindarus, ne tantæ claſſi ſua auſpicia ſ quutæ ſupereſſet, vt ſe & nomine Spartano dignum erat, fortiſſimè pugnans occiditur: redditaque eſt æqua pugnæ Syracuſanæ clades. Nam & in terram egreſſus Alcibiades, Cyzicum & Perynthum validiſſimas

Pugna navalad Helleſpontum qua caſus Mindarus.

validissimas vrbes occupavit; & Pharnabazum vniversa illa Asiæ ora decedere coegit. Rebus terra fœliciter gestis, ad classem redijt. Lacedæmonios toto mari pepulit, & maris dominium clade Sicula amissum, memorabili ad Hellespontum prælio Atheniensibus restituit. Inde omnes ex vtraque Hellesponti ripa civitates, omnes Ægei maris insulas recepit; nec vlla res jam perinde atque Alcibiadis nomen in mari formidabile esse videbatur.

Cap. 57.

Lysander classi Spartanæ præficitur.

Lacedæmonij, quùm cæso Mindaro, res suas retrò fluere, & Alcibiadis seu virtuti seu fortunæ cedere animadverterent, & circumspicerent vndique quem potissimùm ducem Alcibiadi parem ad hoc bellum mitterent, Lysandrum haud dubiè illum esse occurrebat; notæ fortitudinis, & prudentiæ virum, summo loco natum, & pecunia inexpugnabilem. Hunc igitur classis præfectum loco Mindari substituunt. Qui quùm nihil ad summam diligentiam in classe comparanda reliqui fecisset, cum ingenti omnium spe, ac prope certa victoriæ fiducia profectus, Ephesum in Ionia appulit: eam verò quùm præ cæteris ad bellum Atheniensibus inferēdum opportunam sedem esse animadvertisset, castra ibi metatus, edixit, vt si quibus se convento opus esset, omnes eodem ad se venirent; triremes insuper & actuarias eò loci fabricandas locabat: quo facto, brevi temporis spatio, Ephesi civitatis, portum mercatoribus, forum opificibus, domos opibus & divitijs replevit: vt ab eo primum tempore, ab ignoti ferè nominis porticulo, ad eam postea pulchritudinem &

Vrbis Ephesi incrementa.

magnificentiam excreuerit, qua ſummas & antiquiſſimas Aſiæ ciuitates ſuperauit.

Dum omnia Epheſi loca claſſibus parandis, armandis, ornandis fervent, vacuum tempus nactus Lyſander, quum Tiſſaphernem ad cauſam capitis dicendam Suſas à Rege Dario evocatum, Cyrum verò Regis filium cognomento Iuniorem Lydiæ præfectum Sardeis veniſſe accepiſſet, eò aſcendit, colloquij cum Cyro, & Tiſſaphernis ad eum accuſandi gratia. Cauſa erat quod claſſe Regiam ex fœdere non miſiſſet; quòd ſtipendium in nautas integrum non præbuiſſet: denique quòd ex Alcibiadis ſententia contra rem Spartanam omnia adminiſtraſſet. Grata res Cyro erat Tiſſaphernem accuſari, hominem improbum & ſibi privatim inimícum. Ob hanc,& reliquam in convivendo comitatem, qua præcipuè adoleſcentem demerebatur, Cyri gratiam nactus, ad bellum eum cohortatus eſt contra Athenienſes ex fœdere exequendum. Quùmque Cyrus diſceſſurum convivio excepiſſet, & cum multis verbis rogaſſet, vt ſecurus repulſæ peteret quod vellet, Lyſander, quandoquidem ita vis, inquit,oro te Cyre atque obteſtor, vt ſtipendio nautico, quod trium hactenus obolorum fuit, quartum adjicias. Viri ingenium miratus adoleſcens, quòd nihil ſibi privatim, publicè verò ſtipendium militi petijſſet, decem millia Daricorum dono dari iuſſit. Hac de pecunia Lyſander, obolum nautis viritìm diſtribuit: qua ſua liberalitate, parvo tempore claſſem Athenienſem remige ſocijſque navalibus ſpoliauit: dum claſſiarij vel ad plus nu-

merantem

merantem transfugiunt, vel ſi manebant, ſtipendij tenuitatem ducibus ſuis exprobrando, eorum imperia cunctantèr obeunt. Nec tamen prælium navale conſerere audebat, Alcibiadem metuens, virum acrem, belli artibus clarum, conſilio prudentem, & perpetua ad illam vſque diem fœlicitate in bellis vſum.

Cap. 58.

Fortè accidit, vt Alcibiades, quum Lyſandri virtutem Cyri opibus adjutam, non contemnendam eſſe duceret, Cariam pecuniæ in ſtipendium militum parandæ cauſa nauigaret. Diſcedens curam claſſis Antiocho familiari ſuo delegauit, denunciauitque, ne loco ſe moueret, neuè ſe abſente cum hoſte confligeret. Antiochus, vt erat homo nauticæ quidem rei non ignarus, nec inſtrenuus, cætera verò temerarius, & Lyſandro congreſſus haud quaquam par, juveniliter elatus, cum vna aut altera triremi, Epheſum, quæ non longè aberat, navigabat. Ibi multa jocularitèr dicendo faciendoque, hoſtium proras, vt ad ancoras ſtabant, prætervehitur. Lyſander rei indignitatem non ferens, paucis navibus emiſſis, hoſtem longiùs ſummoveri jubet; deinde vt fit, reliqua claſſe Athenienſium ſubſidio Antiocho veniente, & ipſe Lyſander ſuam educit: cæſoque Antiocho, quindecim etiam triremibus vel captis vel depreſſis, victoriam, titulo magis claſſis Alcibiadeæ devictæ, quàm morte Antiochi, nobilem reportauit. Reuerſus Alcibiades rem, ut cognovit, ægerrimè tulit; ſed Antiocho fatis ſubtracto, quem culpæ argueret, præter ſe, habebat neminem. Tota deinde claſſe profectus,

Pugna navalis ad Epheſum in qua Antiochus cæſus.

fectus, Lysandrum ad pugnam elicere tentabat; sed is parta de Antiocho victoria contentus intra præsidia se continebat.

At ex inimicis Alcibiadis qui in castris Atheniensium erant non pauci, & inter eos Thrasybulus, summæ apud plebem gratiæ & authoritatis vir, locum hunc criminandi nacti, varijs sermonibus contra Alcibiadem populum concitabant; illum vnicum cladis acceptæ authorem prædicantes; illum, quum classis hostium stationem in proximo haberet, imperium, non viro alicui gravi, & militia claro, sed Antiocho, juveni, compotatorum & ganeonum suorum vni, tradidisse: scilicet vt ipse intereà temporis Myoparone circumvectus, pecunias corráderet, luxuriæque & ebrietati & meretricibus vacaret. Nihil est populari concilio incónsultius. Imperium Alcibiadi indicta causa abrogant. Quo audito, ipse in voluntarium exilium abit.

Alcibiadi imperium abrogatum.

Cap. 59. Eodem tempore & ipsi Lacedæmonij Lysandrum, pravis de eo suspicionibus imbuti, revocant: eique Callicratidem successorem mittunt: virum certè fortem, & animo sat magno præditum, sed quem Lysandro mutatum nolles. Ad classem quum venisset, sensit illicò non Lysandri magis in se invidiam, quàm totius exercitus stomachum & contemptum. Lysander vsque eò simultatum processit, vt quod supererat Daricorum, Cyro decedens reddere, quàm successori tradere maluerit. Classem verò Ephesi quum ex more traderet. *Hanc*, inquit, *classem ego Lysander pugna nuper navali victor, & maris dominus tibi trado.* Cui Callicratidas, Quin tu, inquit,

Lysander demum revocatur.

Callicratidas classi Laconicæ præficitur.

inquit, si re non verbo maris dominiū acquisiuisti, abi, & Samum, vbi nunc statiua hostis habet, cum classe hac prætervectus, eam mihi Mileti tradito. Quod quum Lysander facere detrectaret, satis expressam iactantiæ confessionem ratus, hominem dimisit, seque ad res pro imperio gerendas convertit. Ante omnia, contractis ex Chio, Rhodo, alijsque fœderatis ciuitatibus quinquaginta nauibus, classem auxit, vt cum Conone, Decemvirorum (decem enim viros populus in locum Alcibiadis suffecerat) Principe confligeret. Cæterùm quum se in omnibus circulis, atque adeo commessationibus & conuiuijs tanquam rerum maritimarum ignarum, & inutilem bello ducem carpi intelligeret, concione aduocata, ita differuit, vt munus illud sibi à patria injunctum, non a se per ambitum quæsitum fuisse diceret, optare se, vt vel Lysandrum, vel alium quem ducem se potiorem habeant; sibi verò, quùm imperium à patria demandatum acceperit, adnitendum esse, vt illud pro virili sua exequatur. Vos modo, inquit, in præsenti rogo, vt palàm dicere velitis, manendumnè hic mihi, an domum redeundum esse censeatis, vt quis hic rerum status sit, de sententia vestra magistratibus exponam. Quum silentio defixa tota concio aliquandiu stetisset, obmurmuratum tandem est, facienda sibi esse quæ Imperator iusserit: Imperatori modò videndum, vt quæ ex vsu sint imperet.Ità dimissa concione ad Lesbon Insulam, & Methymnam in ea vrbem expugnandam nauigat. Vrbe expugnata prædam omnem militi concessit.

Qua quum delinitos paululùm militum animos sensisset, extemplò Cononi denuntiat, effecturum se brevi ne is vltrà mare constupraret. Quo diuerbio, quid sibi vellet homo Laconicus non intelligo, nisi forte, propter crebros in mare successus, ipsum Conon sibi desponsasse apud suos ferebatur. Nec vana ei, quicquid erat, verba ceciderunt: luce enim proxima eum in aperto mari nactus, cum magna hominum naviumque strage profligauit, & in Mytilenem (altera illa erat ejusdem insulæ ciuitas) compulsum cum classe obsedit: Diomedonta verò subsidio Cononi cum duodecim navibus venientem ad ortus, decem ex eo numero triremes cepit. Quibus rebus vehementiùs commoti Athenienses, statuunt in summæ rei discrimen descendere. Itaque infra triginta dierum spatium centum quinquaginta navium classem instruunt, militeque nulla vel ordinis vel ætatis excusatione, complent.

ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν θάλασσαν. Ξενοφ. βιβ. α. Ἑλλην.

Cap 60.

Erat autem hæc classis qualis nulla vnquam á clade Sicula Athenis visa fuerat. E portu cùm soluissent, primus illis appulsus ad Samum, proximus ad Arginusas (locus erat in continente Asiæ è regióe Lesbi insulæ positus) descēsus fuit. Callicratidas cùm tantam hostium classē aduentare à speculatoribus comperisset, naves quinquaginta in Mytilenes obsidione reliquit, eisque Eteonicum præesse jussit; ipse cum reliquis, quæ centum & viginti numero erant, hostem quærere instituit; Sub vesperam profectus media ferè nocte totum ad Arginusas littus ignibus collucere vidit. Quos vt Atheniensum esse

Pugna navalis ad Arginusas.

esse cognovit, rectà in eos navigare statuit, vt nec opinantes nocturnó impetu opprimeret; sed tanta subitò ingruit ventorum fulgurumque vis, vt nec remi iam neç gubernacula ampliùs tractari possent. Sole surgente ceciderunt venti, vtque navigandi facta potestas est, Arginusas versus remis contendit. Venienti occurrunt Athenienses, classe per cohortes instructa Læuum cornu, singuli cum quindecim triremibus, duxerunt Aristocrates & Diomedon: dextrum Protomachus & Thrasyllus, cum pari cohortium & navium numero tenuerunt: mediam aciem Samij, Hippeo duce, tuebantur: quæ omnes alijs rursùs cohortibus à tergo dispositis, & post illas alijs, triplici ordine firmabantur, ne de facili perrumpendi facultas hostibus præberetur: enitebãturque hoc tempore Athenienses, contrà quam olim facere consueuerant vt confertis maximè ordinibus cum hoste confligerent. Cuius mutationis ratio ea erat, quòd post tot acceptas in mare clades, nauibus iam non pro arbitrio suo ædificatis, nec ad circumcursandum habilibus, sed pro facultate factis, vterentur. E diverso Spartani aciem suam, nulla parte subsidijs firmabant; cornua modò longissimè extendebant, planè vt appareret nihil aliud quæri, quàm vt hostem indagine cinctum circumvenirent: frustrà inclamantibus trierarchis, nihil introrsùs roboris esse. Hermius verò prætoriæ gubernator, multis sæpe prælijs navalibus spectatæ fortitudinis & virtutis vir, quum sic instructam classem cerneret, ipsum Callicratidam subinde monere non destitit, ne

rem

rem perditam foveret. At ille, me verò, inquit, moriente, salva tamen, deorum beneficio, Spartanorum res erit: de me autem, si fugero, quid fiet? simul triremem suam, in confertissimos hostium dirigi iussit. Summa vi & virtute vtrinque gerebatur res: nec Athenienses ita ordines seruare valuerunt, vt Spartani se, hic, illic, non insinuarent; & iam vtraque classis sanguine redundabat, ancepsq; vbique pugna fuit; donec Callicratidas puppe excussus in mare decidit, & extinctus est. Nec tamen ab illa parte incepit victoria; sed Spartani amisso quamvis duce, vim tamen hostium magno animo subsistebant. At Protomachus, quem sinistrum Atheniensium cornu tenuisse diximus, dexterum hostium latus incursando, resistentes magna vi in fugam vertit. Inde pavor vniversam hostium classem peruasit, & Spartani diuersos portus fuga ablati petierunt. In hoc prælio Athenienses naves viginti quinque cum supplementis, Spartani septuaginta cum duce etiam suo amiserunt. Sub finem pugnæ rursus coorta tempestas est: Athenienses victores Arginusas redeunt. Ibi duæ simul res, in deliberationem quum venissent, constitutæ sunt: altera, vt naufragi sine mora tollerentur, altera vt Eteonicum qui Mytelenen vrbem, & in ea Conona ducem obsessum tenebat, nec opinantem opprimerent naufragorum cura Therameni & Thrasybulo cum quadraginta sex navibus demandata fuit. Reliqui ad Conona obsidione liberandum ire parant. Quorum alterutrum ne fieret, tempestatis vis impediebat. Ita naufragi, qui tranquillo

cœlo

cœlo seruari potuissent, propter præsentem maris intractabilitatem omnes misere perierunt. Eteonicum vero celox vna, medijs fluctibus penetrare ausa, eorum quæ ad Arginusa acciderant, certiorem fecit. Is nuntium rem omnem silentio premere iubet: mandatque vt vultu ad hilaritatem & lætitiam composito in publicum prodiret. Ille vt iussus est, rem præclarè ad Arginusas gestam, vicisse Callicratidam, Athenienses funditùs interijsse memorat; modum etiam rerum gestarum refert: hic se Callicratidas, illic Protomachus inferebat. Ipse Eteonicus coronatus ad aras stans ingentes dijs gratias agebat, multaque lætitia, maxime vt ab Atheniensibus conspicerentur diem celebrabat. Interim vero ministris suis secretò in mandatis dat, vt quæcunque possent in naves comportarent. Primis verò tenebris cum classe & exercitu proficiscitur: verebatur enim ne vel Athenienses, si tarderet, cum victrice classe ad se opprimendum venirent, vel Conon, si rem persensisset, in abeuntes eruptionem faceret. Postero die, cum portum navibus vacuum, castra vero Laconica deserta, excubitores è speculis vidissent, extemplò rem ad Conona perferunt. Ille deductis properè navibus vela facit, incertus tamen quam potissimùm regionem peteret: naviganti occurrit Atheniensium classis, ab ijs quid ad Arginusas contigerat intellexit, & ipse vicissim, quid de Eteonico actum esset, exponit, mutuaque sequuta est rerum vtrinque benè gestarum congratulatio.

Magna erat hæc & per omnem Græciam cla- Cap. 61.

ra

ra victoria, magnamque inde gloriam Athenienses percepissent, nisi ipsi eam turpi & crudeli iudicio deformassent. Octo statim ex ducibus qui prælio intererant reos capitis accersunt. Crimen erat, quod naufragos post prælium non sustulissent: accusator Theramenes, vnus & ipse ex ducibus, & cui cum Thrasybulo curatio illa à cæteris delegata fuerat. Rei, quod res erat, tempestatem causabantur; si quis tamen peccasset, ipsum Theramenem esse, qui rem suæ fidei concreditam non perimplesset; non ipsos, quibus ad Conona obsidione liberandum, de consilij sententia, navigandum erat. Denique diem ex lege ad causam dicendam sibi dari petunt. Haud facilè dixeris iustiornè defensio eorum an petitio fuerit: neutra tamen accepta fuit, latumque extemplò ad populum est, & perlatum, vt certo inde die de tot ciuium præclarissimorum vita suffragia inirentur. Incitato per se populo aculei insuper addebantur: projidt enim in concionem homulus quidam, spontene sua an subornatus dubium, qui se in vase farinaceo incolumen enatasse dixit; mandasse autem sibi eos qui perijssent, & è medijs fluctibus orasse, vt si quidam fato aliquo saluus euaderet, populum suo nomine edoceret, quos qualesque cives præclari isti Decemuiri in vltimo discrimine destituissent. Ista verò vox incensum jamdudum populum, furoribus impleuit; nec tamen deerant, qui huic tam injusto decreto intercederent, autoremque ejus reum legibus postularent. Id verò plebs indignum esse dicere, hujusque sententiæ participes non minùs quàm

Crudele iudicium populi Atheniensis in suos duces.

ipsos duces reos agendos vociferari: qua voce audita, cæteri omnes conticuerunt, veriti scilicet, ne & ipsi eodem judicij incendio haurirentur. Solus Socrates, enimuerò nunquam se consensurum esse dixit, vt de vita ciuis contrà legem anquireretur. Itaquè fortissimi innocentissimique ciues, quique de patria sua optimè in illo prælio meruerant, publicatis bonis, nefando judicio perierunt. Sed hujus tamen facti ipsos mox pœnituit autores. At Spartani, propè vt læti ducis sui casu viderentur, legatis properè Lacedæmona missis petierunt, vt Lysander classi secundò præficeretur: haud ambigue præ se ferentes illo se potissimum duce fidere. Vsque adeò dux duci præstat, & viros fortes sub idoneo imperatore de vita & sanguine periclitari juuat. Eadem & Cyrus per suos petijt. Quippe eorum votis lex obstabat; lege non ita pridemde maris præfectura, seu Ammiralitate Spartæ lata, additum in ea fuerat, *ne quis maris præfecturam iterùm gereret*. Itaque Lacedæmonij, quum nec suam ipsi legem violare, nec sociorum, & præcipuè Cyri studijs aduersari vellent, eò demum decurrunt, vt ignobili cuidam homini nomine Araco nomen & titulum præfecti maris deferrent, ei verò Lysandrum, verbo legatum, re ipsa summæ rei præfectum darent.

Cap. 62.

Lysander accepta classe, quum neque pugnæ, copijs naualibus impar, rem committere auderet, neque militem simul & remigem, potando & scortando in naualibus corrumpi vellet, Epheso profectus, insulas nonnullas in suam redegit potestatem; Quumque Hellespon-

tum

tum desertum ab Atheniensibus inuenisset, Lampsacum copijs maritimis expugnauit. Quod quum Athenienses accepissent, confestim cum centum octaginta triremibus, Seston in ipso Hellesponti ore ad sinistram sitam, & Leandri olim seu amore seu fato claram, appulerunt: vnde commeatu ad paucos dies sumpto, ad Ægospotamos, fatalem huic bello locum, & in desertissimo littore jacentem, nauigabant: hostium classe adhuc è regione ad Lampsacum statiua habente. Duces erant Atheniensium, inter alios, Conon & Philocles: quorum Philocles pridem populo persuaserat, ut quotquot illo bello ex hostibus caperentur, ijs dextræ manus pollex præcideretur; ut eo supplicij genere mulctati hastam non ferre, remum sat commodè tractare possent. Quum ex adverso constitissent classes, primo die vtrinque cessatum à pugna est; sequente, suspensos omnium animos prælij expectatione cerneres. At Lysander, quum classem hostium in loco deserto & importuoso, sine præsidio, sine vigilijs nocturnas stationes habere ex transfugis comperisset, majus aliud consilium animo struebat.

Alcibiades. Ferunt Alcibiadem, cum in illis locis sedem exilio delegisset, fama classis Atheniensis ad Ægospotamos stantis excitum, ciues nuper suos salutandi causa, ad mare descendisse. Quumque locum alioqui intutum, nullis insuper operibus munitum, & nec stationes nec excubias more militari habitas, Lysandrum vero hostem classem non contemnendam in vicino tenere comperisset, eos publicè privatimque quanto in periculo

riculo verſaretur admonuiſſe; Verùm quum probra ei vndique ingererentur, & inter cætera, vocem exulis inter ciues audiendam non eſſe, ſucclamatum eſſet, triſtem abijſſe: illud modò præfatum, aut ſe belli hoc genus, hoſtem hunc, & Lyſandrum ducem ignorare, aut nobiliores breui clade Athenienſium Ægoſpotamos futuros, quam pridem Syracuſæ fuerant.

Cap. 63. Itaque Lyſander nautis ſimul & nauarchis, tanquam prima luce pugnaturus, edixit, vt ſummo mane, firmatis cibo corporibus, naues omnes conſcenderent: ibiquè ordine & ſilentio ſeruato, in armis ad ſubita imperia intenti ſtarent. Poſtero die, Athenienſibus pro more adnauigantibus, & ad pugnam cum conuicio & clamore prouocantibus, Lyſander miſſis vndiquaque lembis, quales ad obeunda in mari miniſteria haberi ſolent, ſeueriſſimè ſuis denuntiat, ne quis ſtatione excederc, aut contra hoſtem injuſſus pugnare auderet. Sub veſpere feſſi ſtando quùm receſſiſſent Athenienſes, Lyſander non priùs ſuos è nauibus dimiſit, quàm binæ ternæue naues, quas ſpeculandi cauſa mittere ſolebat, hoſtem nauibus ſuis egreſſum eſſe renuntiaſſent. Idem poſtridiè, tertio etiam, & quarto die factitabat, nec quicquam prætermiſit, quo ſui contemptum, & vltimi metus opinionem hoſtibus confirmaret.

Quinta demùm luce, quum poſt varia ignauiæ & timoris jactata probra Athenienſes ſe recepiſſent, Lyſander ſpeculatorijs nauibus pro more emiſſis mandauit, ut quùm certò perſpexiſſent hoſtes nauibus ſuis penitùs egreſſos, quàm

poſſent

possent velocissimè ad se reueherentur; & ne quid temporis in reditu, totum trajectum conficiendo, perderetur, quum in medium peruenissent, signum tollerent. Ipse interim nauarchos & triremium præfectos, nauigio circumuectus, monet, hortatur, vt signum intenti expectarent. Dato signo, vt summa vi hostem inuaderent; adesse tempus, quo tot tantasque Atheniensium injurias vlciscantur, & viginti septem annorum bello manum vltimam imponant. Nec dum finem loquendi fecerat, quum è nauibus speculatorijs signum quod conuenerat sublatum conspexit: quo viso, è naue prætoria signa canere jussit. Extemplò ruunt omnes è portu & citatissimo cursu, quantum remis lacertisq; contendere valebant, transmisso freto, classem hostilem vel in salo stantem, vel ad terram subductã, sed nullo prorsus præsidio munitã inuadunt. Primus à terra, hostilem classem aduentare sensit Conon: is quantùm potuit socios ad classem reuocabat; sed frustrà. Statim enim nauibus egressi, per agros commeatum quærendo palati fuerant; ipse cum octo nauigijs, medijs hostibus elapsus, Cyprum ad Regem Euagoram profugit, seque ad meliora patriæ suæ tempora reseruauit. Reliquam classem adortus Lysander cepit: viros partim in præsenti trucidabat, partim postridie trucidandos asseruabat: inter cæteros Philoclem; prius tamen interrogatum, quam pœnam meritum existimaret, qui tam diri decreti (cujusmodi illud erat, superiùs memorauimus) author fuerat: cui ille, non te, inquit, O Lysander judicem sed victorem agnosco.

Cononis fuga.

Pugna naualis ad Aegospotamos & belli Peloponesiaci ab ea finis.

noſco: & ne fortiùs loquutus quàm feciſſe videretur, ceruicem præbuit. Lyſander, cæſis cum Philocle tribus millibus Atheniensium, direptiſque terra marique caſtris, ad tibiæ cantum Lampſacum reuertit: quùm rem maximam minimo labore, & longiſſimum bellum, vnica hora confeciſſet. Inde Athenas vela facit: muros diruit. Quùm in concilio ſociorum, *delendæne eſſent Athenæ*, quæreretur, nec deeſſent qui vrbis ſolum in paſcua vertendum eſſe dicerent, negabant Spartani ſe, è duobus Græciæ oculis, alterum eruturos.

Cap. 64. Incidit hæc pugna & Athenarum ab ea excidium, in annum decimum nonum ante captam à Gallis Brenno duce Romam, vt vult Polybius: decimo item nono, eodemque vltimo Darij cognomento Nothi Perſarum Regis: à Trojæ excidio, ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono: ab orbe verò condito, ter milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, ſi Philippi Melancthonis judicium ſequamur. Cujus calculi quoniam parùm mihi conſtat ratio, ideo autorem pro re poſui: haud ignarus, quantum Scaligerus, Petauius, Gualterus Raleighius noſtrâs, fœlicioris ingenij quam fortunæ vir, alijque Chronographi, & ab illo, & inter ſe, hac de re diſcrepent.

Libri primi finis.

Sit laus Deo.

LIBRI SECVNDI
Argumentum.

Agesilaus classe ad Aulidem conuenire iussa, contra Persas exercitum in Asiam transmittit. Dercylides nauarchus Spartanus mare infestum Persis facit: quo reuocato, classis imperium Agesilao defertur; Conon Atheniensis clasis Persicæ nauarchus constituitur: ejus pugna naualis ad Gnidum, in quo Pisander Spartanus interficitur. De Dionysio Syracusarum tyranno, eiusque apparatu nautico & in mari potentia; pugnæ aliquot nauales varia fortuna inter Pœnos & Siculos commissæ; classis Dionysiana à Magone penè deleta; Pœnorum à Dionysio nocturno diurno prælio continuato penitùs extincta. Hispanorum constantia & virtus; variæ res aduersus Spartanos à Conone in mari gestæ. Calumnijs oppressus, à Pharnabazo satrapa in vinculæ conjicitur, & incerto demùm fato extinguitur. Atheniensium & Spartanorum de Rhodo insula & ciuitate certamina naualia; Telentias Agesilai frater, nauarchus constituitur; victoria ejus naualis aduersus Athenienses ad Gnidum, & memorabile ejus in deuictos factum. De Thrasybulo Atheniensi, & portorio primùm ad Byzantij fretum constituto Byzantij situs, & opportunitas: maris Baltici & Euxini comparatio. Iphicrates nauarchus Atheniensis; Eteonicus nauarchus Spartanus. Æginetarum ab Atheniensibus de-

 fectio.

fectio. De Hierace nauarcho Spartano, & ejus legato Gorgopa. Pugnarum naualium quarundam exitus. Pax inter Persas & Græcos, procuratibus eam Spartanis facta; quâ Græcæ in Asia ciuitates Persis omnes deduntur. De Timasitheo Liparæ insulæ Regulo & pio ejus erga Deos facto. Dionysij in mari clades: Rhegij in Italia expugnatio. De freto Siculo, Scyllaque, & Charibde; pugna naualis memorabilis inter Persas & Cyprios ad Cisium; alia pugna naualis ad Paron insulam inter Spartanos & Athenienses. Expeditio Persarum in Aegyptum. De septem ostijs Nili; Iphicratis nauarchi Atheniensis res in ea militia præclarè gestæ: Thebani maris imperium suadente Epaminonda affectant. Philippus Alexandri pater, Piraticam exercet; prælium nauale ad Syracusas, in qua Philistus Dionysij junioris nauarchus occiditur; aliud prælium nauale inter eosdem, in quo funditur item Nipsius Dionysij nauarchus. Bellum sociale in Græcia; ingentes apparatus Persarum nautici. De Timoleonte ejusque in Siciliam expeditione; Iphicratis vel potius populi Atheniensis sacrilegium in mare commissum: alias prætereà res ad mare pertinentes liber secundus continet.

THO. RIVII HISTORIÆ NAVALIS LIBER SECVNDVS.

Cap. 1.

QVantæ olim fuerunt nauales Athenienſium res, ſi alia re nulla, ea tamen vna æſtimari poſſit, quod ad eas opprimendas Europæ Aſiæque vires concurrerant; Quanquam ne ſic oppreſſi quidem penitus jacuerunt, ſed ad omnem proſperioris fortunæ vultum attollebant ſe, donec ad extremum, communem Græciæ ruinam ſequuti, Macedonici Imperij faſtigio ſe ſubmiſerunt. Afflictis verò ad Ægoſpotamos Athenienſium rebus, moritur paulò poſt Darius Perſarum Rex; eique in regno ſucceſſit Artaxerxes cognomento Mnemon. Subverſis deinde Athenis, quod ſexto demùm poſt cladem acceptam menſe contigit, fatis etiam ceſſit Lacedæmoniorum Rex Agis. Cui, deiecto Leotychide, ſiue Agidis illo, ſiue Alcibiadis filio, Lyſandri opera ſucceſſit Ageſilaus.

Cap. 2.

Ageſilaus.

Hic vniverſam Græciam, quod nulli vnquam à Trojano ſæculo contigerat, imperio complexus, bellum Perſis inferre ſtatuit. Et fortè accidit, vt eodem tempore quidam ex Aſia venientes renunciarent, Regem Perſarum ingenti comparata claſſe totum in eo eſſe, vt Lacedæmonios è toto mari pelleret. Id verū falſumnè nihil moratus, ſed vtendum occaſione ratus Ageſilaus, tulit ad populum, *vellent, juberent*, (ea enim erat Spartani populi poteſtas) *Perſarum Regi bellum inferri necnè*; populus Regis impe-

 tum

tum sequutus bellum inferre jussit. Itaque classe confestim Aulidem (portum classe olim Agamemnonia & mille carinis Trojam inde profectis celebrem) circũmmissa, eodem ipse pedestri itinere contendit; Ibi dum ventum expectat, nocte quadam gravi somno oppressus, vocem (siue dæmonis illud ludibrium erat, siue fraus humana intercessit) sed vocem audijt, *Intelligis ò Rex neminem vnquam præter Agamemnonem & nunc te vniversæ Græciæ Imperatorem fuisse constitutum; Itaque quum & eisdem, quibus ille tunc imperabat, tu nunc imperas, & eosdem bello petas, eodem etiam ex portu profecturus es, diuæ quoque eidem, eadem te quæ ille fecit, sacra facere par est.* Excusso somno venít ei illicò in mentem Agamemnonem olim, quum inde Trojam peteret jussu aruspicum filiam ibi suam Dianæ (cuius Templum Aulide religiosissimè colebatur) pro victima immolasse; Inde nihil animo turbatus surrexit, req; ad amicos exposita, se verò Deam ijs sacris, quibus Deam eandemq; Virginem gaudere par sit, honoraturum esse dixit. Stultitiam vero Agamemnonis imitari nolle. Itaque ceruam coronatam aris admoueri iussit. Quo sacrificio ritè peracto, & placato mari, Ephesum trajecit. Inde verò in interiora Asiæ progressus multa & egregia belli facinora terrestri exercitu edidisse memoratur. Nec minores ferè strages classis Spartana toto littore Asiano dedit: classem certè Regiam quácunque deprehensam magnis cladibus, nec dubio vnquam Marte, afflixit. Nauarchus vero erat Dercylides, Agide

adhuc

adhuc regnante, illi muneri præpoſitus. Is in hanc militiam vtcunque delectus, quum videret aduerſus duos Perſarum ſatrapas, Pharnabazum & Tiſſaphernem maximarum gentium viribus ſuccinctos eſſe dimicandum, cum altero pacificandum eſſe cenſuit. Aptior viſus Tiſſaphernes, qui vt armis viriſque inſtructior, ita ingenio apertior ſimpliciorque erat. Quæ res Tiſſapherni vertit in exitium. Illicò enim eum Pharnabazus ad Regem criminatur, quòd Lacedœmonios Aſiam ingreſſos non repuliſſet armis, ſed Regijs impenſis aluiſſet. Indignum eſſe ait cauponari bella non geri, argento hoſtem, non ferro ſummoueri. Quibus vocibus Regem à Tiſſapherno alienatum hortatur, vt in locum eius ſufficiat Cononem Athenienſem. Quippe Athenienſibus, quamvis fractæ ſint opes, manere tamen rei navalis vſum, manere & virtutem; nec ſi eligendus ſit ex omnibus nauarchus, alium Conone toto orbe reperiri poſſe meliorem.

Dercylides nauarchus.

Hic eſt ille Conon, quem cum octo navibus ad Ægoſpotamos elapſum Cyprum ad Regem Euagoram profugiſſe, & ad meliora patriæ ſuæ tempora ſe reſeruaſſe diximus. Hunc Rex virtute clarum, & adverſus Spartanum hoſtem certiſſimæ fidei virum Perſarum claſſi nauarchum dedit. Qua ille accepta, ita confeſtim impigrè, ſolertèr, ſtrenuè omnia procurabat, nullum vt Lacedæmonijs toto mari conſiſtendi locum relinqueret. Quibus rebus cognitis Lacedæmonij à Rege Ægypti, ad nauale quod inſtabat prælium ſubſidia petunt. Ille centum

Cap. 3.

Conon Perſarum nauarchus.

triremes & sexcenta millia modiûm frumenti misit, à cæteris quoque socijs ingentia auxilia contrahunt. Sed tantæ classi & contra tantum ducem non placebat Imperator Dercylides. Itaque quum eodem tempore Agesilaus incredibili fœlicitate hostes terra profligaret, missa ad eum scytala, maris etiam præfecturam (qui honos nulli vnquam Spartanorum Regi ad illam diem concreditus) detulerunt. Nec facilè jam dixeris, quod aliud par ducum tam benè commissum fuerit. Matura vtrique rebus gerendis ætas, par armorum vsus, multis sæpe prælijs æqualitèr spectata virtus. Fama vtrique vna, nisi quod terrestribus hic, ille navalibus prælijs clarior habebatur. Magni igitur amborum apparatus, magna quò fortuna inclinaret hominum expectatio erat. Sed Cononem in ipso rerum gerendarum ingressu seditio militum excepit. Causa erat, quod ministri Regis eos stipendio fraudabant. Itaque Conon diu Rege per epistolas frustrà fatigato, ad postremum subductis navibus (quid enim otiosæ in salo starent?) ipse ad eum Susis tunc agentem magnis itineribus contendit. Queritur maximi & ditissimi omnium regis bella penuriâ dilabi, quique exercitum & & classem parem hostibus habeat, pecunia vinci. Pecuniam nervum belli esse monet. Nec illud se iam contendere, vt sibi pecuniæ regiæ concredantur. Belli modò impensam, & vnicum eius ministrum sibi dari postulat: quippe pluribus id muneris mandari perniciosum esse. Dato stipendio ad classem redit. Reuersus nullam rebus gerendis moram facit. Quinimo veluti

luti tempestas quædam latè omnia prosternit. Nec iam amplius de littore Asiatico solicitus, vltro incendium & vastitatem terræ Laconicæ inferre parat: in quam hìc, illic, omni parte egressus agros vicosque nullo resistente depopulatur.

Quibus rebus territi Lacedæmonij, ad patriæ tutelam properè ex Asia Agesilaum reuocant. Itaque frendens fremensque redit Agesilaus; tacitus tamen iram coquit, satis persuasus se hærentem jam in possessione Asiæ non tam patriæ necessitate vlla, quàm maleuolorum inuidia & fraude inde diuelli. Discedens Pisandrum vxoris suæ fratrem, virum nec ætate, nec rerum vsu, cum alijs plurimis comparandum, nedum Cononi parem, in curatione classis vicarium reliquit. Quo primùm facto, & existimationi suæ, & reipublicæ Laconicæ securim inflixit. Quasi verò populus classis præfecturam fortunæ non virtuti, aut auspicijs ejus potiùs quàm consilijs tribuisset. Conon, quùm Agesilaum Spartam reuocatum, curam verò classis Pisandro mandatam comperisset, omnes statim pugnandi occasiones sedulò quærebat, nec Pisander se minus quàm illum pugnandi cupidum videri voluit. Itaque belli aleam tentaturus magna cura classem instruit, contendebatque ne Agesilai de se judicio indignus videretur; neuè per tot secula tot prælijs & bellis quæsitum imperium breuis momenti culpa subuerteret. Conon tum primùm cum exercitu hostili justa classe concursurus, summa arte & industria ordinat suos. Non enim tam Persis quàm

Cap.4.

Pisander.

quàm patriæ ſuæ ſtudebat: & quoniam author inter alios amiſſæ ad Ægoſpotamos dominationis fuerat, volebat idem redditæ haberi, patriamque quam victus amiſerat, parta ab hoſtibus, ſi fors tuliſſet, victoria recipere. Inſtructis claſſibus ad Cnidum, (Aſiæ minoris vrbs erat, & nunc eſt, in promontorio, quod Doris olim vocabatur, ſita) ingentibus animis, concurritur: modus pugnæ à nemine, ac ne ab ipſo quidem Xenophonte, diligentiſſimo aliòqui ſcriptore traditur: prælium tamen inter pauca memorabile, & vel pugnantium virtute, vel cæſorum numero inſigne fuiſſe conuenit. Itaque quò majus prælium, eò clarior Cononis victoria fuit: victi Lacedæmonij in terram ſe ejiciunt, & fuga Cnidum petunt. Piſander inter confertiſſimos dimicans interficitur. Conſtat ex Xenophonte Pharnabazum cum nauibus Phœniſſis huic prælio affuiſſe, ſed omnis gloria vertit in Cononem. Hic Athenienſibus reſumendæ potentiæ initium, Lacedæmonijs habendæ finis fuit. Conon enim profligata vbique hoſtium claſſe, Athenas ſuas pergit; inde præſidia Spartanorum dejecit. Triginta tyrannos (ſic enim optimates à Lyſandro inſtitutos per inuidiam appellabant) vel vrbe ejecit, vel è medio ſuſtulit; leges & magiſtratus, hoc eſt, ſtatum popularem reſtituit, vrbem mœnibus, ſumptum Pharnabazo miniſtrante, cinxit, nec minorem cæſis modo ad Cnidum nauali prælio Spartanis, quàm Themiſtocles olim profligatis ad Salaminem Perſarum copijs gloriam ferè, certè apud ciues ſuos gratiam reportauit.

Pugna naualis ad Cnidum.

Per

Per eosdem ferè dies varij Siciliam motus exceperunt. Hermocrates, quem dudum ad res Siculas contra Pœnum tuendas reuocatum diximus, quum multa & egregia belli facinora contra patriæ suæ hostes, diuersis in locis omni militiæ genere perpetrasset, domestico populi Syracusani vitio, effæta jam ætate in exilium agitur. Filia huic erat adolescentula, quam Dionysio ejusdem gentis & ciuitatis viro desponsauerat: viro omnibus belli artibus, multisque insuper animi dotibus insigni, nisi tam splendidas virtutes fœdiora vitia, perfidia, sæuitia, & immodica dominandi libido deformassent. Hic firmata Syracusis tyrannide, veteres Siciliæ hostes Carthaginienses, face ferroque sequi statuit; confestim igitur fabros, & omnis generis artifices conquirit, quibus in ergastula conclusis, immensam armorum vim breui tempore conflauit; sed ante omnia naues, triremes & quinqueremes fabricandas curauit. Refert Diodorus Siculus Dionysium hunc quinqueremes primum instituisse; rationem affert, quòd quum triremes Corinthi nuper ædificatas accepisset, exemplari inde sumpto, quinqueremes in Siciliam ad majorem hostium terrorem extruendi impetus eum ceperat. Quasi verò Ameinocles illis ipsis diebus vixisset, & non trecentis circiter ante annis triremem Corinthi ædificasset: aut quasi ingens illa inter Persas & Græcos ad Salaminem pugna triremibus suis caruisset. Quinqueremis inuentio non Dionysio, non Syracusanis, non Siculorum genti, sed Salaminijs frequentiore scribentium calculo tribuitur;

Cap. 5.

Dionysius.

Quinqueremis.

quam

quam in rem anxiè magis inquirerem, nisi quàm difficilis tã & inutilis esset hac de re disceptatio; nisi cum notitia rerum ipsarum vsus euanuisset. Denique si quid triremis, quid quinqueremis esset, inter horum temporum Philologos co..-veniret. A ternis quinisque remorum versibus triremes & quinqueremes dictas fuisse, vno omnes ore prædicant. Sed quo ordine versus il-li dispositi, vtrùm in porrectũ, vt sentit Bayfius, an in altũ, vt Scaligerus, lis est, cui hoc tempore me immiscere nolim. Itaque vt ad Dionysium redeam, quùm jam totus in bello contra Pœnos adparando esset, & materiam nauibus ex Italia affatìm præbitam haberet, vno statim tempore ducentas naues nouas instituit, centum quinquagenta ex veteribus refecit, centum & decem, quæ in naualibus condebantur, nouis ad bellum apparatibus instruxit: facilè vt appareret, eum, cum quo hoste sibi res futura esset, altè in animum dimisisse. Nec naues fabricasse sat erat; sed quia bellum illud cum bellicoso & potente populo non vnius diei fore prouidebat animo, domus insuper nauales, singulas binarum triremium vel quinqueremium capaces toto portus Syracusani ambitu ædificandas curauit, in quas à bello fessæ subducerentur naues; ne vel in salo perstando computrescerent, vel ad Solem expositæ rimosiores fierent, & ab æstu torridæ corrumperentur. Cujusmodi est illud jam Venetijs ædificium, quod Arsenale vocant: opus, vt perhibent, si totum sumas, cum antiquis illis Ægypti operibus, hoc est, cum mundi miraculis comparandum. Postquam igitur nauium apparatuum

Arsenale Venetum.

paratuum.-

paratuumque (dies enim noctesque intentus, ea sola quæ ad id bellum spectabant, animo cogitabat,) nauticorum curationem absoluisset, ad comparandas ilicò remigum sociorumque naualium copias conuertit animum: non enim consultum existimabat, hos longo ante tempore conduci, ne parum necessaria sumptuum mole ærarium oneraret.

Cap.6.

Quibus sic, vt erat, instructus, legatione extemplò missa, edicit Carthaginiensibus, vt è Græcis, quotquot erant in Sicilia, ciuitatibus præsidia deducerent; liberasque esse & suis legibus viuere paterentur: ni faxint, bellum indicit. Legatis re infecta reuersis, cum septingentarum nauium classe profectus, pedestribus copijs subsequi jussis, Motyam Punicæ ditionis vrbem terra marique obsidet. Iacebat hæc vrbs in insula, non procul à Pachyni promontorio, quâ Africam Sicilia spectat, sex stadijs à continente dissita, mari circumflua, nisi quod tenui aggere continenti jungebatur. Eum Motyani quantotiùs præcidunt, immissoque mare effecerunt, ne quis illàc pedestri exercitui accessus ad vrbem præberetur. Dionysius situm vrbis paulispèr contemplatus aggerem, quá priùs erat, ab aduerso littore ad vrbem ducere instituit. Longisque nauibus in ipso vrbis portu subductis, onerarias in littore, juxta aggerem, anchoris firmat. Simul vt agger ipse objectu nauium faciliùs restitueretur, aut si ea res non succederet, per ipsas tamen naues transitus exercitui è Sicilia ad vrbē, vt olim Xerxi ad Hellespōtū, pararetur. Quibus sic peractis; rei naualis summæ

Motya vrbs.

Leptinem

Leptinem fratrem præficit. Ipſe cum pedeſtribus equeſtribuſque copijs ad reliquas ciuitates recipiendas proficiſcitur. Intereà Himilco Carthaginienſium dux contractis copijs nauarchum quendam cum decem triremium claſſe in Siciliam mittit, juſſum vt curſu Syracuſas tenderet: & noctu portum ingreſſus, quaſcunque ibi offendiſſet naues, cum quo maximè poſſet tumultu incenderet. Id hoc conſilio agebat, vt nauales hoſtium vires diſtraheret, & Dionyſius partem nauium, quibus obſeſſam Motyam arctiſſimè tenebat, ad tuendas Syracuſas mittere cogeretur; Nauarchus juſſa impigrè exequitur; portum Syracuſanum ſilente nocte ingreſſus non exiguum nauigiorum numerum immiſſo incendio momento temporis abſumit, omniaque tumultu & clamore implet. Conſurgit tota ciuitas, præſidia per muros diſponunt: vrbi timent. Nauarchus, quùm ad quod venerat, ſatis executus videretur, ſummo mane iter Carthaginem reflexit, vix vt Syracuſanis conſtaret à quo hoſte tantum illa nocte incommodi accepiſſent.

Himilco.

Cap 7.

Dionyſius peruaſtatis Carthaginenſium agris & hoſtibus vbique intra mœnia concluſis ad Motyam obſidendam exercitum reducit. Repente igitur maiore vi operi incumbens (non enim is erat Dionyſius qui ſi quid fieri mandaſſet ſtatim factum putabat, ſed ipſe præſens omni tempore operantibus inſtabat) aggerem à littore ad vrbis mœnia perducit: machinaſque in aggere ad hoſtem mœnibus ſubmouendum diſponit. Eodem tempore Himilco certior per

Motæ vrbis obſidio.

explo-

exploratores factus de navibus Dionysianis in portum Motyanum subductis centum triremes armat: fore ratus, vt improuisò adortus illam, saltem classis hostilis partem facilè opprimeret. Itaque Carthagine solvens in Siciliam navigat, & nemine hostium præsentiente summo mane ad portus Motyani fauces accessit. Naves extra portum in salo stantes primo incursu opprimit. Inde portum ipsum subit, vbi naves suas ita instruxit vt Dionysianas in portum subductas omninò invasurus videretur. Dionysius repentina re turbatus, pedites ad portus fauces ducit: sed cum eas ab hostibus jam insessas animaduertisset, frustra se eruptionem ea parte tentaturum ratus, naues suas omnes, militum copia fretus, auersa ab hoste parte trans aggerem tractas in apertum mare deduxit, easque cum reliqua classe coniungere properabat, vt circumita insula hostem in portu hærentem à tergo aggrederetur. Qua re animaduersa, Himilco properè è portu soluit: mox parùm consultò se facturum ratus si viribus inferior, cum instructissima hostium classe mare libero, & iusta acie concurreret, Motyanos frustratus, retro Carthaginem nauigauit.

Himilco Pœnorum nauarchus.

Cap. 8.

Motyani à Pœnorum duce deserti, in rabiem ex desperatione versi, ferocesq; & vltra vires humanas fortes hostē à mœnibus propulsabant. Et quoniam Dionysius turribus admotis omnem murorum altitudinem superabat, illi vicissim defixos in mœnibus vrbis malos tabulatis iungunt, vt turres hostium altitudine æquarent. Inde omnem telorum vim in hostem ingerunt, & stu-

& ſtuppam pice illitam incenſamq; in machinas conijciunt. Materia igitur celeritèr à flammis correpta, ortoq; diuerſis ſimul partibus incendio, Dionyſius repentè cum electa militum manu ad opem ferendam accurrit. Horum opera reſtincto incendio; & muro, defenſoribus nudato, frequentes arietes adducit, quorum impulſu magna pars muri ſtrata iacuit. iamque copiæ pedeſtres per aggerem tranſductæ patentem ruinis vrbem inuadunt, & ſæuam vbique ſtragem edunt. Non illi ſexui, non ætati pepercerunt. Sed nec inter Motyanos quiſquam repertus, qui vitam ab hoſte ſibi dari peteret: quin omnes in vulnera & mortẽ, auidis & auerſis ab imminentis mali ſẽſu animis ruebant. Tandem deſperata murorũ defenſione, angiportibus obſtructis, extremas ſub ipſis mœnibus domos veluti murum ad id ipſum extructum occupant. Inde in ſubeuntes omne telorum genus effundunt; vt qui captis mœnibus vrbem ſe cepiſſe exiſtimabãt, in maximo iam periculo ſe verſari cernerent; ſed turres ædibus properè admotæ, inde etiam magna cum ſtrage Motyanos deijciebant. Denique cum complures pariter dies à mane ad veſperam ſic intra vrbem pugnatum eſſet, tandem copiæ etiam nauales, cum nulla ampliùs vrbem ea parte virium oppugnandi cauſa eſſet, relictis nauibus, copijs terreſtribus ſe adiungunt. Iamque omnia vrbis loca occupauerant, & hoſtilem virtutem pertinacia & cædis auiditate æquantes, multitudine ſua obruebant. Feſſi igitur pugnando Motyani, quum ferrum vltra tractare non poſſẽt, iugulum ferientibus intrepidè præbuerunt. Dionyſius

onysius quùm tantam hostium virtutem & constantiam edito loco stans intueretur, receptui signum suis dedit, edixitque vt à cædibus temperaretur. Sed surdis omnia auribus canebantur. Siculi vindictæ in Pœnos auidi, ferociores in cædem ruunt. Infantes, senes, mares, fœminas, puberes, impuberes, omnes immani animi crudelitate mactant. Dionysius igitur tantæ Motyanorum calamitatis misertus, quum milites alitèr à cæde auertere non posset, præcones misit, qui voce Motyanis denuntiarent vt ad religiosa Græcorum loca confugerent. Ea vox remisit à certamine animos: & à cædibus passim temperari cæptum. Inde ad deripiendam vrbem discursum. Dionysius prædam militi in strenuè nauatæ operæ præmium concessit: milites, quorum maxime eminuit in hac pugna virtus, amplissimè donauit. Motyanos captiuos sub corona vendidit, Græcos, quòd Barbaris se adiunxissent, in crucem egit. Inde præsidio ad vrbis custodiam relicto Syracusas triumphans rediјt.

Cap. 9. Interim Himilico ingenti exercitu comparato cum quadringentis longis nauibus, sexcentis onerariјs; iter in Siciliam adornabat: profecturus, singularium nauium gubernatoribus obsignatas literas tradit. Quas ne priùs resignarent, quàm in apertum mare peruenissent, edixit. Id proptereà commentus fuerat, ne quid de suo in Siciliam traiectu in vulgus emanaret, neuè ad quem potissimum Siciliæ portum appellere statuerat, speculatoribus ad Dionysium perferendi facultas esset. Quod Himilconis

commentum multò mihi consultius videtur, quàm quod hodiè à nostris ferè vsurpatur. Literas obsignatas Admirallo dant, vetant ne eas priusquàm ad certam altitudinem peruenerit, resignet; Interim oborta sæpe tempestas classem disjicit. Ita maior pars classis quo tendant ignari, diuersa petunt, aut ipse fortasse dux, antequam tempus refringendis literis adueniat, bene gerendæ rei occasionem amittit. Scriptum autem erat, vt Panormum in Sicilia omnes tenderent. Sed in traiectu onerariæ tempestate diuulsæ à longis nauibus, diuersum iter tenuerunt: in quas Leptines classis Siculæ præfectus cum triginta nauium classe à Dionysio missus impetum facit, & ex illis quinquaginta deprimit: reliquæ omnes Himilconi ad Panormum incolumes occurrunt. Quoniam verò Dionysius cum exercitu diuersam Siciliæ partem illo tempore tenebat, ideo Himilco, Motyam recentibus, sicut erat, ruinis deformatam, nec quâ par erat, curâ ab expugnatione, munitam, eiecto inde præsidio Siculo recepit. Inde Messanam vi occupat. Multas præterea ciuitates vel metu vel consilio se dedentes adiungit, postremò belli caput Syracusas petit. Inde Magonem classis præfectum Catanam petere iubet. Dionysius autem veritus ne, si tantis naualibus simul pedestribusque copijs Syracusæ obsiderentur, impar tanto oneri ferendo esset, Leptini in mandatis dat, vt classem hostilem littus legentem omnibus viribus inuaderet. Monet tamen necubi ordines laxaret, sed densissima quàm posset acie hostem aggrederetur. Leptines simul ac in

Mago.

con-

conspectum hostium venisset, mandatorum oblitus, cum expeditis triginta triremibus, procurrit: quumque ad primas hostium naues peruenisset, eas non instrenuè adortus, partim vulnerat, partim auertit. Sed quum tota Pœnorum classis circumfusa vnam cohortem premeret, facilè, id quod necesse erat, pauciores à pluribus vincebantur. Leptines cum sua triremi fortissimè dimicans, viâ sibi inter confertas hostium naues factâ, erupit. Reliquæ omnes vel captæ, vel depressæ. Inde ad reliquam quæ interuallo sequebatur classem conuersus Mago, eam fundit fugatque omnem. Centum & ampliùs ex classe Sicula hoc prælio naues desideratæ, supra viginti hominum millia amissa.

Pugna naual. ad Catanam aduersa Dionysio.

Cap. 10.

Qua victoria ferocior iam factus Himilco, cum victrice classe in magnum portum, veluti Motyanorum vmbris Syracusarum excidio parentaturus inuehitur. Erat hic terribilis Syracusanis aspectus. Quanto ille terribilior, quum eodem temporis momento trecenta armatorum millia vrbis mœnibus à terra circumfusa conspicerentur? Himilco hostes subinde ad pugnam naualem prouocat; vbi neminem ex aduerso prodire sensit, ad vrbem obsidendam se vertit. Et terrestria quidem castra eodem loco pariter & euentu muniuit, quo ante illum Atheniensium Dux Nicias fecerat. E classe verò centum præstantissimas naues ad reliquos Syracusarum portus tentandos mittit. Dionysius amissa classe, socijs orbatus (omnes enim post nauale ad Catanam prælium ab eo defecerant) se intra vrbem tenuit simul occasionibus intentus, simul

Syracusæ à Pœnis obsessa.

militum animis à recenti clade saucijs mederi cupiens. Ante omnia ex amicis fidissimos ad auxilia è Græcia magno stipendio conducenda mittit. Interim leuibus velitationibus fortunam tentat; quæ quoniam secundæ pleræque erant, animos militum non mediocriter reficiebant; interim castra Punica non vno mali genere laborare. Iamque religio incessit animos; & fremebant vulgò milites ducem Himilconem, siue rerum successu tumidum, siue ingenita superbia inflatum, tentorium suum in templo Iouis, quod extra vrbem erat, fixisse. Scilicet, omisso hoste cum Dijs immortalibus bellum geri, & quoniam vrbs primo impetu capi non posset, sacratum Iouis fanum per scelus occupari. Inde panici terrores castra Punica nocturnis sæpe horis inuadebant, sonitusque armorum interdiù, hoste nusquam se mouente, audiebantur: tumultuatumque in castris, & ad arma concursum, ac si hostis vallo aut portis improuiso incidisset: mox etiam pestis ex aëris intemperie orta tota castra cum infanda militum strage, peruasit. Inde languor Pœnorum non corpora magis quàm ipsos animos occupabat. Dum hæc aguntur, triginta naues è Græcia duce Pharacide Lacedæmonio adueniunt. Fortè accidit, vt Dionysio cum parte classis ad rem frumentariam faciendam profecto, Syracusani sibi redditi nauem hostium onerariam fauces portus subeuntem conspicati, in eandem cum quinque nauibus suis impetum facerent, captamqne ad vrbem traherent. In quos dum quadraginta cum nauibus tendunt Carthaginienses, totam mox ex aduerso

classem

classem instruunt Syracusani, & prælio commisso Prætoriam hostium nauem capiunt, alias viginti quatuor injecto igne inflammant, totam denique hostium classem persequuti, quum intra natalia compulissent, à faucibus statim in altum se receperunt, & relicto ad aciem instruendam spatio, hostem rursus ad prælium nauale conferendum prouocant. Cæterùm quum Pœni insperata re territi, se intra præsidia continerent, Syracusani Pæana canentes ad vrbem redeunt.

Cap. 11

Reuersus Dionysius milites laudat, monetque vt sic semper fortes & patriæ amantes esse velint. Paucis inde diebus interjectis, Pharacidæ & Leptini mandat, vt cum octoginta nauibus in classem Punicam impressionem facerent; ipse noctis concubio, circumductis tacitè copijs, quarta demum vigilia ad locum, qui Cyanes fanum dicebatur, vbi castra hostium erant, ducit. Dum totus Pœnorum exercitus ad hostem illa parte arcendum accurrit, classis ad castellum in littore munitum ex condicto appellit; tum ingens metus Barbaros incessit, ancipiti enim periculo perculsi, cui potissimùm parti succurrerent alternis dubitabant. Diuisis tandem operibus! hostem vtrobique irruentem propellere contendunt; sed tanta erat Dionysianorum in mare celeritas, vt dum Pœni naues conscendebant, illi in imparatos rostris incurrerent, quasque obliquas percusserant, vno sæpe ictu ita vulnerabant, vt inutiles pugnæ deinceps redderentur, ruptaque nauium latera horrendum fragorem mistum morientium gemitibus dederunt; orta verò luce, totum vndique littus

Pugna naualis funesta Pœnis.

ex nocturna cæde cadaueribus ſtratum cernebatur. Quo conſpecto, Syracuſani vſque eò jam hoſtem contemnere cæperunt, vt in hoſtium naues vltroneo ſe ſaltu darent; indeque eos præcipites in mare ſeu viuos ſeu mortuos deturbarent. Dum toto jam portu feruet naualis pugna, Dionyſius cum pedeſtri exercitu naues alias hoſtium, partim in littus ſubductas, partim ad littus religatas, & à pugna immunes ſumma vi inuadit. Erant præterea quadraginta longæ naues, præter onerarias & triremes alias, quæ non procul inde in ſalo ſtabant: in has ignem omni parte immittit, qui ſubitò diffuſus, omnes momento temporis corripuit; & quia validus tum ventus flabat, incendium ab hijs ortum ad triremes & onerarias in ſtatione hærentes voluebatur, quarum rudentibus ancoralibuſque igne ſubito depaſtis, ipſæ vi ventorum temerè actæ & inter ſe colliſæ, vno omnes incendio perierunt: jamque tam emeritæ militiæ ſenes, quàm nondum bello per ætatem idonei pueri, & imbellis multitudo ſcaphas nacti ad pugnam & prædam ex vrbe properabant; totaque illa dies Pœnorum cædi, & claſſium incendio data eſt: ſub noctem ſignum Dionyſius receptui claſſarijs dedit; ne quid tamen temporis hoſti ad colligendum ſe daretur, caſtra ſua eadem nocte Pœnorum caſtris jungit.

Cap. 12. Pœni terra marique paritèr preſſi, & ad vltimam rerum ſuarum deſperationem adducti, per legatos flebili oratione à Dionyſio priuatìm petût, vt victoria, qua nulla vnquam glorioſior homini Siculo aduerſus Pœnos contigiſſet, conten-

contentus, vltrà odijs ne tenderet, sed exercitus reliquias in Africam abire fineret, neuè tantum munus gratis ab hoste petere viderentur, trecenta ei auri talenta, quæ sola supererant, clàm se missuros pollicentur. Dionysius, id verò integrum sibi fore negabat, vt omnibus simul fuga abeundi potestatem faceret: ciuibus tamen Carthaginiensibus, si fugam occulere & silentio proripere se possent, noctu abeundi facultatem non grauatè concessurum ait. Nocte inde quarta ad eam rem constituta, Dionysius, veluti per occasionem, exercitum in vrbem reducit; tum Himilco trecenta talenta Dionysij ministris, qui harum rerum curationem habebant, clam Siculis, ex pacto tradit. Vbi tempus fugæ statutum aduenisset, quadraginta naues ex omni numero capacissimas Pœno milite implet, abitumque suos magis quàm hostem fallens parat. Corinthij, qui illa fortè nocte in statione erant, abeuntes senserant: fit clamor, rem ad Dionysium deferunt. Ille fidem excubitorum laudare, præmia polliceri, nocturnas insidias timere, milites conuocare, consulere, perplexis mandatis, alijs alia impedientibus, tempus ducere; vt interim Himilco, via arrepta, ante lucis exortum quàm longissimè à terra auferretur. Fuga ablatis Carthaginiensibus, Dionysius tanquam vnus omnia de Pœnorum abitu ignorasset, summo mane ad castra hostium ducit. At Siculi, qui in castris Punicis militabant, quùm ducis sui, & quod roboris in exercitu erat, fugam persensissent, clam Barbaris, in suas & ipsi quique ciuitates maturè dilapsi, sibi consuluerunt.

Pœnorum fuga.

runt. Barbari verò plerique (etenim ex omni ferè gente Himilco sub signis illa militia habuerat) quùm simul à duce, simul à socijs se deseri prodique animaduertissent, abjectis cum armis animis, è castris se ejecerunt. Sed hij omnes dispositis priùs à Dionysio per vias stationibus, in potestatem hostium deuenerunt. Soli Hispani retentis armis, in orbem collecti, non solùm de vita, verumetiam de societate ineunda, misso caduceatore, pacisci ausi: nec Dionysius tam fortiũ virorum societatẽ aspernatur, fortique & fideli eorum opera, in multis magnisque rebus posteà vtebatur. Naues omnes à clade hesterna, & fuga nocturna reliquæ, in portu, veluti in cauea inclusæ, Dionysio deduntur, præda omnis militi concessa, captiui venum dati. Insigne, si quod aliud, rerum humanarum spectaculum in vtramuis partẽ, Himilco erat. Quippe tam ingentibus copijs terrestribus maritimisque modo fretus, tot victorijs clarus, quique extra Syracusarum mœnia, omnia Siciliæ loca suæ ditionis fecerat, in Deos suos superbus & impius, nemine prout impellente, corruit. Non enim Iouis, in cujus templo tentorium fixerat, non Cereris & Proserpinæ, Diuorumque aut Diuarum aliarum, quorum ædes violauerat, virtus, quæ nulla planè est, tantam ei cladem irrogauit: sed vt in libro Sapientiæ diuinissimè scriptum reperitur, *peccantis pœna super injusti præuaricationem perambulabat*. Contra Dionysius, solo Himilcone sceleribus minor, de rebus suis non desperando, non solùm pristinam fortunam recepit, verumetiam ampliorem eam, auctioremque multò

Hispanorum virtus.

multò quàm priùs erat breui tempore effecit.

Cap.13.

Verùm vt ad Cononem reuertar, partâ ille ad Cnidum de Spartanis victoriâ, cum victrice ſtatim claſſe Lacedæmoniorum ſocios inuaſit. Primo ſtatim appulſu, Chios, Coos, Cyclades, omnes maris Græci inſulæ, omnes in Ionia & toto littore Aſiatico ciuitates, & inter illas Epheſus, partim excuſſo Lacedæmoniorum iugo libertatem ipſæ ſuam repetebant, partim rerum nouarum ſtudio Athenienſiū imperio aduerſus Spartanorum vim & ſuperbiam fauere occipiunt. Quibus rebus ſic in Aſia terra marique conſtitutis, Conon belli incendium propiùs Spartam admouere properans, Cithera Inſulam, Spartanorum coloniam conditionibus recepit. Deditos ex pacto Lacedæmona tranſmiſit. Inde Corynthum nauigat: eam Athenienſibus facilè adiungit. Quibus viri ſucceſſibus territi Lacedæmonij, Antalcidam virum linguâ promptum, manu non inſtrenuum ad Teribazum copiarum Regiarum in Aſia præfectum legatum cum ampliſſima poteſtate mittunt. Corā quum veniſſet, adeſſe ſe dixit, vt à Rege pacem Reipub. Spartanorum peteret, non conditionibus perplexā, ſed qualem Rex ipſe cuperet. Nolle Lacedæmonios de Græci nominis in Aſia ciuitatibus cum Rege ampliùs contendere: illud modo orare, vt inſulis, reliquiſque extra Aſiæ continentem ciuitatibus, legibus ſuis vti per Regem liceat. Athenienſes, quum legatos Sparta ad Teribazum miſſos accepiſſent, legatos & ipſi nobiliſſimos quoſque ſuæ ciuitatis viros, & inter illos Cononem ad eum mittunt. Verùm Antalcidas quùm

Antalcidas legatus ad Perſas miſſus.

quùm legationem ſuam publicè, vt moris eſt, expoſuiſſet, Teribazum remotis arbitris monere non deſtitit, cononem eſſe, qui Regis commodis vnicè obſtaret: illum victoriæ de Lacedæmonijs ad Cnidum, Perſarum, quod nemo dubitauerit opibus partæ gloriam, totam a Perſis ad ſe auertiſſe: illum vrbem Athenarum, Regibus ſemper infeſtam, & toto orbe notiſſimum aduerſus Perſas propugnaculum, non ſolùm ædificijs nunc, verùm etiam mœnibus inſtauraſſe. At enim fecit Conon, quod quilibet vir bonus in patriæ ſuæ cauſa faceret; Illud quid? Quòd inſulas, quòd vrbes, quòd gentes totas Athenienſium imperio quotidiè adiungat? quòd claſſem inſtruat? quòd copias paret? Hæccinè rerum nouarum? hæc in Græciam affectatæ? hæc in ipſam mox Aſiam exercendæ tyrannidis indicia non eſſe & argumenta? Teribazus & publicam legationem, & priuatam Cononis criminationem facilè ad aures admittebat. Minimùmque abfuit, quin pacis leges, verba Antalcida præeunte, confeſtìm ſcriberentur. Moram attulit, quòd cum acerrimis & antiquis admodũ Perſici nominis hoſtibus inconſulto Rege amicitiam & fœdus iungere non audebat. Itaque mediam viam ingreſſus, Antalcidæ pecuniam ad claſſem inſtaurandam clàm dabat; eo conſilio, vt maritimis eorum copijs conſpectis Athenienſes eorumque ſocij pacem oblatam lubentioribus deinceps animis amplecterentur. Cononem verò, tanquam veri criminis compertum in vincula coniecit. De quo viro quid poſteà factum ſit non inuenio; credo vt Alcibiadem

biaden à Pharnabazo, sic hunc à Teribazo fuisse interemptum.

Hijs gestis Teribazus ad Regem de rerum summa consulturus proficiscitur. Pacem ab Antalcida quibus conditionibus petitam narrat. Re audita Artaxerxes mirificè, vt par erat, adlætatus, Teribazo apud se retento, & in honore habito, Strutham ad exercitum in Ionia accipiendum mittit. Struthas, siue inuidia Teribazi, siue alia qua re motus, statim vt venisset Atheniensium rebus impensè fauere cæpit: Quo animaduerso, Lacedæmonij, nihil cunctati, misso in Asiam Thimbrone duce, bellum aduersus Persas renouant; In quo Thimbro cum exercitu primo congressu à Strutha occiditur. Eodem tempore nobiles quidam Rhodij, à plebis factione pulsi, Spartam veniunt. Se a plebe sua Atheniensium auxilio subnixa opprimi queruntur; indignum esse, aiunt, Rhodum insulam ab Atheniensibus, sua dudum tueri non valentibus, occupari. Lacedæmonij facilè intelligentes Rhodum vniuersam in Atheniensium breui concessuram potestatem, si summâ rerum populus potiretur, octo naues instruunt: quibus Ecdicum præficiunt. Ecdicus quum ad Cnidum peruenisset, ex transfugis cognoscit plebem Rhodiensem, pulsis optimatibus, rerum arbitrium paucos ante dies obtinuisse; propterea, vt qui perditis iam rebus superuenisset, inde se mouere non ausus, quo in statu res essent Ephoros per literas certiores fecit. Illi siue viri ignauiam pertæsi, siue gratia Agesilai moti, abrogato statim Ecdico imperio, Teleutiam fratrem Regis

Cap.14.

Ecdicus nauarchus.

Teleutias nauarchus.

vterinum eò properè nauigare iubent.

Cap. 15. Teleutias, contracta viginti septem nauium bellicarum classe, Cnidum appellit. Ecdicum Spartam remittit. Ipse, ne sub nouo duce bellum senescere videretur, Rhodum versùs nauigat. Eodem forte tempore accidit, vt Artaxerxes Euagoram Cypriorum Regem magnis viribus oppugnaret. Athenienses quamuis Regis amicitiam etiamnùm colerent, vim tamen & exitium Euagoræ, Cononis sui olim post cladem ad Ægospotamos acceptam hospiti, & perpetuò vrbis Athenarum amico inferri, parùm æquis oculis aspiciebant. Itaque duce Philocrate, cum decē nauigiorum classe, opem ei submittebant. In has, dum Cnidum præteruehuntur, impetum fecit Teleutias, & prælio victos ad vnum omnes interfecit. Exemplo, vt Xenophōti quidem videtur, nouo & memorabili; Etenim quum Athenienses Persarum amicitiam apertè colerent, contrà Lacedæmonij bellum cum eisdem ex professo gererent, eos tamen Teleutias, qui ad inferendum communi hosti bellum nauigabant, tanquam iustos populi Spartani hostes aggressus, interemit. Ego nihil in hac re noui exempli reperio; primùm enim via quà tum insistebant Athenienses Rhodum, quod caput tum belli erat, æquè ac ad Cyprum insulam ferebat. Quis autem Teleutiam cogeret, vt hosti de se diuersa affirmanti crederet? Deinde, si non ambages illæ pro tempore confictæ, sed res veræ erant, attamen quantò satius erat Spartanorum Reipub. Euagoram, potentem & clarum tum Regem, tanto beneficio Atheniensibus

Clades naualis Atheniensium.

bus

bus non deuinciri,quã tam exigua virium acceſſione, Perſarum Regem, eſto,hoſtem oppugnari? Denique ad bellum cum hoſte gerendum non ad priuata officia miſſum ſe eſſe, Teleutias, vt puto, cogitabat. Quod ſi domum reuerſus amiſſi è manibus hoſtis inſimulatus ad Ephoros fuiſſet, quis non videt, vel ſtultæ credulitatis, vel proditæ forſan patriæ iudicium, illud cum famæ, iſtud cum vitæ diſcrimine ei fuiſſe ſubeundum? Teleutias,hoc patrato facinore,Cnidum redit; vbi præda diuendita, & inter milites diuiſa, Rhodum,quod inſtituerat, ire pergit. Eò quum veniſſet, leui certamine vrbis & inſulæ imperium plebi ereptum optimatibus reſtituit.

Cap.*16.*

Athenienſes quum Lacedæmonios vires in mare paulatim recipere comperiſſent,Thraſybulum cum quadraginta triremibus,omiſſa Cypro, rectâ Rhodum nauigare iubent. Ille, claſſe accepta, à Rhodienſi etiam expeditione abſtinuit. Quid enim quadraginta nauium claſſis, contra vrbem & ſitu & opere munitam, præſidio inſuper validiſſimo à ſummo duce defenſam,poſſet? Itaq; verſo ad Helleſpontũ itinere, quũ hoſtem ibi non reperiſſet,primùm loci illius Regulos & Dynaſtas mutuis bellis ſe atterẽtes, & inter ſe,& cum populo Athenienſi,amicitia coniungit. Inde Byzantium anguſtiſſimo freto poſitum contendit, ac decumam è Ponto in Helleſpontum, & viciſſim ab Helleſponto, & mare Mediterraneo in Pontum nauigantibus, portorij nomine indictam publicanis locat: quo commento & vrbem ipſam firmiſſimo neceſſitudinis vinculo Athenienſibus aſtrinxit, & ampliſſimum repentè

Decuma freto ad Byzantium impoſita.

tè vectigal ad omnia belli onera Reipub. suæ comparabat. Id quo jure quauè injuria fecerit Thrasybulus, hoc loco dicere nihil attinet: illud certè constat, hujusce generis exemplum, ante hoc tempus in omni historia editum non reperiri. Nam quod de Alcibiade ad Chrysopolim, vrbē in eodē freto sed interiùs paulò, & aduerso littore positam narrat Xenophon, satis quidem apparet, id eum tentasse potiùs quam perfecisse. Neque verò ea ad Chrysopolim, aut alibi tota freti illius longitudine, loci opportunitas constabat quæ ad Byzantium. Sita enim erat in ipso exitu freti versus Propontidem, vbi nunc Constantinopolis extructa cernitur. Huic ex aduerso in Asiæ littore respondit, vrbs non incelebris, nomine Chalcedon, cætera quidem Byzantio par, in confinio Asiæ Europæque posita, ab altera manu Pontum, ab altera mare Mediterraneum omne habens: sed dispar aquarum cursus disparem & dissimilem vrbium duarum fortunam fecit.

Byzantij vrb situs & opportunitas.

Pontus enim per fretum centum viginti stadiorum longum in Propontidem, quæ nunc Mar de Marmôre dicitur, erupturus, primo statim freti ingressu, feruidiùs quidem & concitatiùs, sed tamen propter cursus rectitudinem, æquabiliter fluit; medio verò spatio, quá coeuntibus inter se rupibus angustissimum fretum est, acceptus, ingenti cum sonitu sinistrorsum in Asiæ littus fertur; vbi ab obstantibus cautibus repercussus, rursus ad dextrum & Europæ littus voluitur, vnde iterum repulsus, Chalcedonem versùs rapitur: sed aperientibus se eò loci freti fauci-

faucibus, medio ſpatio langueſcens vnda, torrentis in modum, nullo tamen nauigantium periculo, Byzantium decurrit; vix vt inde vlla remorum ventorumuè vi, in aduerſam ripam, quà ſita eſt Chalcedon, enauigari poſſit. Eadem nauigandi ratio eſt, ſi quis ab Helleſponto Byzantium aut Chalcedonem nauigare velit: facilè enim & veluti æſtu deferente, per Europæ littus Conſtantinopolim peruenitur; Chalcedonem verò aduerſis vbique fluctibus adnauigatur. Quo quidē fit, vt inuitis Byzantinis nulla temere nauicula fretum illud vel intrare vel exire poſſit; vt non ſine ſummo præſtantiſſimi imperatoris conſilio locus ille poſtea delectus fuerit, in quo imperij ſedem Roma tranſlatam figeret; nam præterquam quòd in conterminio Europæ Aſiæque ſita eſt vrbs, maris etiam vtriuſque Pontici & mediterranei, & gemini veluti orbis opum & diuitiarum ſequeſtram arbitramque agit. Id verò ita fiet manifeſtum, ſi quæ merces ex Borealibus Euxini partibus in maris Mediterranei oras, hoc eſt, in terrarum orbis theatrum, incredibili copia aſſiduè perferantur animis conſideremus. Ad neceſſarios vitæ vſus coriorum omnis generis ingentem vim, mel, inſuper & ſalſamenta, & picem: vt diuites interim auri argentique venas, calybique fodinas, quibus Colchorum regio in extremo Ponti termino ad Orientem poſita, omni tempore abundauit, omittam: tabulas verò, malos, ſpartum, omnem reliquam ad tot tantaſque vel fabricandas vel inſtruendas claſſes materiem, vnde (quæſo) nunc magnus Turcarum dominus,

niſi

nisi ex mare Euxino comparat? quas quidem diuitias tanti æstimare dicitur, vt neminem Christiani generis hominem eò nauigare aut pedem inferre facilè patiatur. Nimirum, vt rem amplam breui oratione complectar, ea omnia Pontus Mediterranei maris accolis præstat, quæ nobis mare Balticum pleno, quod aiunt, cornu subministrat. Vtque omnia ex hoc mare, per fretum Danicum ad nos perferuntur, ita ex illo per fretum Constantinopolitanum in Græciam & omnem maris illius conclusi tractum, pari rerum copia importantur. Hij enim duobus veluti ostijs & exitibus, omnes vastæ illius regionis, quam Russiam nunc & Moscouiam vocant, opes & diuitiæ, quas nequicquam alioqui natura procreasse existimari posset, cum nostri hujus mundi mercibus, facili mercatorum opera permutantur. Denique ne hæ duæ regiones cætera pares in re præsenti non conuenire censeantur, vt ad Constantinopolim Turca, ita illustrissimus Daniæ Rex, ad Elsinoram, pari loci opportunitate fretus, portorium, prisca loci consuetudine nauibus mercatorijs indictum percipit: ibi enim Zelandia & Scauia, prominentibus vtrinque promontorijs ita propè coeunt, vix vt vnius milliaris Italici interuallo distent; ad hunc locum omnes naues cursum hinc orientem versus & mare Balticum instituentes feruntur: eodem ab intimo vsque sinu Liuonico, qui non multorum dierum iter a Ponto abest, ad nos redeuntis pari itineris ratione appellũt; locũ Sundã, hoc est, fretũ vocant, in ipso maris Baltici ore positum, & firmissimis arcibus hinc inde ad

porto-

portorium exigendum comparatis permunitum.

Thrasybulus,rebus ad Byzantium constitutis, pecunijsque affatim instructus, Rhodum vrbem tandem iter adornabat, in itinere ad Aspendum in Asia,malis auibus descendit: ibi quùm milites nonnulli remigibus admisti, castrensi licentia, loci incolis injuriam & vim intulissent, incolæ injuriam non ferentes impetum in tentorium Thrasybuli noctu faciunt; ibi summum virum,siue gnari quis esset,siue ignari, in tumultu obtruncant. Mœsta viri casu ciuitas Iphicratem magnæ tum spei adolescentem ad Hellesponti oram obtinendam mittunt è diuerso Lacedæmonij, cognito quantam rem Thrasybulus ad Byzantium peregisset, Anaxibium ducem cum classe aduersus eum mittunt; inter quem & Iphicratem multa belli facinora edebantur; sed Anaxibio demùm in Antandro insula insidijs accepto & oppresso, Iphicrates omnes nunc vires ad Rhodum Lacedæmonijs eripiendam conuertit. Quo cognito Ephori Teleutiam reuocant, eique Hierraca successorem dant. Redit ergo Teleutias,omnium imperatorum militi gratissimus: argumento fuerit, quòd quùm discessurus ad mare descenderet, nemo omniũ esset,qui non deduceret; qui dextram lachrimans non prehenderet: alius serto, alius infula abeuntem coronabat; quòd si quibus præ turba hominem adeundi facultas non esset, corollas illi in mare dejiciebant, multa ei faustaque votis omnibus comprecati: ea nempe erat viri comitas, ea in stipendijs tum comparandis cura, tum soluendis fides, & in omni vi-

Cap. 16.

Iphicrates

tæ ratione virtus, vt quãuis res magnas per fortunam nunquam gesserit, parem tamen laudem & gratiam cum summis imperatoribus apud omnes reportaret; vulgatumque erat de matre ejus per Græciam elogium, fælicem eam esse, & præ omnibus mulieribus fortunatam, quæ Agesilaum & Teleutiam, alterum terra, alterum mari, summos duces procreasset.

Cap. 17.

Hierax nauarchus.

Hierax accepto maris imperio aduersus Iphicratem Rhodum nauigat, duodecim triremibus ad Æginam insulam sub Gorgopa legato relictis. Ægina poetarum fabulis aliâs celebrata multis nominibus inter nobilissimas maris Mediterranei insulas à Strabone recensetur; & nos in primo hujus operis libro eam cum Atheniensibus de maris imperio olim certasse memorauimus. Opera Themistoclis Atheniensibus tandem sociati ad hæc tempora maiestatem populi illius comitèr conseruauerant. Hos nunc ab illis diuellere summa ope Lacedæmonij nitebantur. Tandem subdolis Eteonici legati sui suasionibus effecerunt, vt ruptis tam diuturni temporis fœderibus rebus nouis studere mallent; & Atticam ingressi hostilitèr eam deprædarentur. Agrestes fuga in vrbem delati, quùm Æginetas hostilia ausos exposuissent, illicò Athenienses Pamphilum ducem cum classe & exercitu ad Æginam terra marique expugnandam mittunt; sed Gorgopæ virtute & industria breui tempore effectum est, vt Athenienses magis ipsi obsideri quàm hostem obsidione premere viderentur. Qua re intellecta Athenienses, abjecta pro tempore Æginæ potiundæ spe, & de

exercitu

exercitu suo ad eam sedente soliciti, eum inde reducendum curant. Gorgopas de Ægina jam securus, victricem classem circumferendo, crebris incursionibus Atticam vexabat; longiùs deinde progressus, nihil vsquam vel in mare vel in littore maris Atheniensibus eorumuè socijs & fœderatis pacati relinquebat. Itaque aduersus eum tredecim naues armant Athenienses, ijsque cum imperio præficiunt Eunomum. In hunc Gorgopas, dum ex Epheso Æginam reuertitur, fortè fortuna incidit; quoniam verò viribus inferior videbatur, omissâ pugnâ, fuga abripitur, portumque Æginæ ante Solis occasum tutus subit. Ibi jussis properè cœnare militibus vnicè folicitus, ne illius diei fugæ prius quàm vindictæ nuntius ad Hierraca perueniret, Eunomi discessum tacitus expectat. Eunomus, frustrà prouocatis ad pugnam hostibus, sero vespere naue prætoria lumen ferens, ad quod reliqua classis cursum dirigeret, retrò ad Atticam omni cura solutus nauigabat; Gorgopas extinctis luminibus ponè sequebatur: neuè gubernatores celeusma, vt mos est, canendo, silentio noctis, rem proderent, lapillorum percussu, remos vel incitandi, vel inhibendi taciti signum vt darent, monebantur. Postquam Eunomiani successu læti, & nihil de Gorgopa suspicantes, ad Zostera in Attica applicuissent, jamque pars in terram exposita, pars terram capiendo, vt fit, tumultuaretur, Gorgopas à tergo signa canere jussit, simul in auersos territosque impetum fecit; & jam luna recens orta sublustrem noctem fecerat; quod vt vim à tergo inferentibus satis commo-

dè euenit, ita hostibus confusis & territis non incommodè ad fugam arripiendam accidebat. Itaque qui nauibus egressi non erant, cursum ad Pyræum, qui juxta erat, dirigunt. Quatuor tamen triremes Gorgopas captas & ad suas religatas Æginam traxit. Ipse verò Hierax paulò post à Chabria Atheniensium duce, ad eandem Æginam insidijs exceptus, perijt.

Cap. 18. In eius vero locum iterum suffectus Teleutias, quum ad classem venisset, ingenti militum sociorumq; naualium fauore exceptus est. Concione aduocata, pecunias quidem se nullas in stipendium afferre dixit; eam esse domi ærarij inopiam: veruntamen bono eos animo esse jussit; breui enim effecturum, vt omnium rerum copia classis repleatur, parati modò, & ad imperia accipienda intenti essent. Cognito deinde per exploratores, Atheniensium classem in Pyræo, loci fiduciâ, sine vigilijs sine stationibus agere, edoctis militibus quid parabat, sera nocte Ægina soluit, & nascente jam luce, Pyræum ingenti cum clamore inuehitur; ibi naues plerasque remige vacuas occupat: si qui erant, semisomnes obtruncat, onerarias abducit, triremes, quotquot assequi potuit, incendit; jamque clamor & trepidatio in portu orta ad vrbem peruaserat; ibi pars arma capere, pars quid rei esset, obuios sciscitari: demum cùm hostem in Pyræo, atque adeò ad portas esse cognouissent, omnes ad præsidia per muros disponenda currere. Ceterùm Teleutias, peracto ad quod venerat negotio, & amplissima præda ad stipendium militi numerandum parta, Æginam redit. Illud certè

certè apud omnes constabat, Teleutiam, si parem virtuti classem habuisset, luctuosam illam, si non extremam, Athseniensibus noctem facturum fuisse.

Cap. 19.

Interim Antalcidas præfectus maris cum majoribus copijs constitutus Hellespontũ omnem Atheniensibus eripuit, & portorium Byzantinis à Thrasybulo locatũ magno totius Græciæ & consensu & applausu dissoluit. E diuerso Athenienses ad maris imperium propè jam amissum, recuperandum omnibus viribus se comparabant. Sed hæc tantarum rerum molimina, quæ totam Græciam expectatione suspensam tenebant, celerem & facilem exitum habuerunt: jam enim Teribazus, literis ab Artaxerxe receptis, indicto Græciæ concilio, pacem esse jusserat. Quæ quoniam Antalcida eam conciliante facta erat, pax Antalcidæ vocabatur. Literæ hac formula perscriptæ apud Xenophontem libro historiæ suæ quinto recitantur. *Artaxerxes æquum esse censet, vt vrbes in Asia sitæ omnes, vnà cum insulis Clazomenijs & Cypro sibi pareant; cæteræ Græci nominis ciuitates, magnæ, paruæ, sui juris sunto. Lemnus, Imbrus, Scyrus excipiuntor: quas vt olim ita nunc etiam Athenienses obtinento. Hanc pacem quicunque rejecerint ijs eorumque socijs & fautoribus bellum inferam.* Hæc cùm ciuitatum legati audijssent, singuli ad suos referebant, omnes exceptis Thebanis ratam habuerunt. Ita omnis Ionia, omnes Græci nominis in Asia ciuitates, de quarum libertate, populo Atheniense autore, à Darij Hystaspis vsque temporibus, tot Græcorum tot

Pax Antalcidæ.

Thebani.

Persarũ fusis cęsisq; exercitibus tanta cum gloria certatũ fuerat, flagitioso fœdere, autoribus Spartanis, sub jugum Persarũ redierunt; vindicẽ mox libertatis suæ Alexandrum Magnum habituræ. Incidit autem hæc pax in annum quo capta est à Gallis Brenno duce vrbs Roma: decimo nono post cladem Atheniensium ad Ægospotamos acceptam anno, qui vndeuigesimus, regni Artaxerxis ochiannus erat.

Cap.20. Sub hoc tempus, quùm Camilli virtute recepta à Gallis Roma esset, Romani ex decimis prædæ à Gallis captæ, craterem aureum Delphos Apollini dono mittunt. Id qui perferebant legati, dum oram Siculam legebant, in piratas Liparenses inciderunt, capti à prædonibus Liparam deportantur. Ibi Timasitheus insularũ illarum Regulus, vir haud intacti religione animi, de itineris causa certior factus, non modò legatos cum donario illæsos dimisit, verũetiam ne similia deinceps infesto tum piratis mare, in itinere paterentur, classem suam præsidio misit, Delphosque incolumes perduxit. Reuersi legati, cum de Timasithei beneficio populum edocuissent, grato adeò animo rem accepit populus, vt non solùm in præsenti hospitium cum eo, missa legatione, jungeret, verumetiam quùm post annos centum triginta septem Liparam Carthaginensibus eripuissent, Timasithei posteros inquisitos a tributis immunes & omni tempore liberos esse juberet.

Timasitheus.

Cap.21. Hoc statu rerum in Oriente, Dionysius, quùm vniuersam jam Siciliam, pulsis inde Pœnis imperio obtineret, arma in Italiam proferrę statuit;

tuit;commodum viſum à Rheginenſibus incipere. Hij ad fretum quod Italiam & Siciliam intercurrit poſiti, viriſque & opibus præter cæteros abundantes, Italiæ propugnaculum illa ætate habebantur. Sub ſignis tum habebat Dionyſius peditum viginti millia, equites mille, naues centum viginti. In fines igitur Locridis non procul à Rheginẽſium agro diſtantes exercitum tranſmittit. Inde per Mediterranea pacato agmine iter faciens, quùm in Rheginenſium fines perueniſſet, omnia ferro & igne peruaſtabat. Intereà claſſis lecto littore Rhegium appellit; ita omnibus ſimul copijs terreſtribus naualibuſque ab externo hoſte potentiſſima Italiæ vrbs oppugnatur. Itali de Dionyſij aduerſùs Rheginẽſes tranſitu edocti, veriti nè incendium ab illis ortum rerum ſucceſſu ad ſe breui volueretur, communicato conſilio ſexaginta ſtatim naues, vt ferebant illa tempora & loca, inſtructiſſimas ſubſidio mittunt: in quas, vt Rhegio iam appropinquabant, Dionyſius cum quinquaginta expeditis triremibus euehitur: quo conſpecto fugiunt illicò Itali; fugientes perſequitur Dionyſius; illi naues in terram ejiciunt, Dionyſiani injectis funibus, eas à terra conuellere conantur. Iamque propè erat, vt tota claſſis in hoſtium poteſtatem veniret, quùm vniuerſa Rheginenſium multitudo ad auxilium ferendum effuſa, miſſilibus hoſtem à littore propellunt. Summotum horrida ſtatìm ventorum vis & tempeſtas inuaſit; qua tota claſſis diſjecta, ſeptemque naues cum militibus mille & quingentis amiſſæ; multi etiam cum ad terram enataſſent

viri in Rheginensium manus venerunt. Tyrannus ipse in quinqueremi fugiens, quùm identidem haud multum abesset, quin fluctibus hauriretur, vix tandem sera nocte ad Messanam in Sicilia expulsus, rerum nouarum metu properè Syracusas redijt; eodèm exercitum ex Italia reuocabat. Anno verò sequente cum majoribus copijs in Italiam redijt, vbi terrestri prælio aduersus Italos victor, cæsis cum duce decem millibus hostium, cum trecentarum quadraginta triremium classe ad Rhegium iteratò obsidendam venit.

Cap. 22. Rheginenses recenti Italorum clade territi, pacem orant; Dionysius, quùm vrbem per se validam classem etiam non contemnendam in parato habere non ignoraret, ita pacem se daturum respondit, si naues traderent: nihil recusatum; traduntur naues; & pax à Dionysio per quicquid Deorum erat, sanctissimè confirmatur. Iam verò ab ineunte tyrannide inexplebili aduersùs Rheginenses odio flagrabat Dionysius; causa etiam odij ejusmodi fuit, vt mite alioquin & moderatum ingenium vindictæ cupidine accendere posset. Etenim quùm ille olim rerum suarum incrementa captans, amicitiæ cum Rheginensibus jungendæ causa, vxorem illis, ciuium suarum aliquam desponsari per legatos petijsset, illi carnificis sui filiam, perpulchram sanè puellam, & tali, vt aiebant, marito dignam ducendi potestatem faciunt. Itaque non priùs Italia excedere statuit quàm Rheginensium & rempub. & vrbem sustulisset. Nauibus verò jam ademptis, & auxilijs à mari interclusis,

cluſis facilem de vrbe victoriam ſibi promittebat. Itaque moras in Italia nectens, nunc mare, nunc ventos, poſtremò, vt cœtera proſpera eſſent, aduerſam valitudinem cauſabatur; omnibus demùm conſumptis morandi excuſationibus, ad fretum quaſi trajecturus deſcendit; ibi cœteris ad nauigationem comparatis com neatum deeſſe querebatur; eum à Rheginenſibus ſibi, nouo hoſpiti & amico miniſtrari petit: quicquid ſcilicet accepiſſet, propediem cumulatè redditurus; id hoc conſilio fecit, vt ſi nihil dârent, juſtam vrbis oppugnandæ & excindendæ cauſam habuiſſe videretur: ſin promptè largirentur, poſt exhauſtam annonam, fame domitos faciliùs expugnaret. Rheginenſes nihil ſuſpicati, cibaria primò liberalitèr exhibebant: conſilijs deinde intellectis, clauſis portis & diſpoſitis per mœnia præſidijs commeatum caſtris ampliùs inferri vetant. Id verò perindignè ferre Dionyſius: nam quo ſuo merito jus hoſpitij recentèr contracti à Rheginenſibus violari? quam ſe amicitiam abſentem ſperare poſſe, quùm ad victum alimẽta præſenti denegentur? i q; fœdera planè rupta eſſe queritur; neue ipſe præter jus & fas agere videretur, obſides remittit, & exercitu vrbi circumfuſo nunc à terra nunc à mari, omnì armorum & operum genere oppugnat: ſed fruſtrà erat omnis operibus oppugnatio: Fame, quam vltrà naturam humanam, vltrà fidem tollerauerant, tandem edomiti in poteſtatem tyranni conceſſerunt; ibi omnia crudelitatis exempla in captiuos edita: ſed inter omnes conſpicua erat Phytonis Rheginen- *Phyto:*

ſium

ſium ducis mors. Hic filium vnicum adoleſcentem habuit: cum tyrannus in mare dejici & demergi juſſerat; quo nuncio poſtridiè accepto, Phyto, enimuerò filiũ vno die patre fœliciorem eſſe prædicans, mortem intrepidus expectabat: verùm eam non ſine tormentis inferri tyranno placuit. Itaque flagris & omni tormentorum genere publice laceratum quùm jam propè eſſet, vt ab ipſis militibus ſuppliciorum immanitate ad humanitatem & miſericordiam motis è carnificis manibus eximeretur, ad mare deferri, & eodem quo filius perierat, fati genere extingui mandat; vrbs ipſa in veteris contumeliæ vindictã incendio data; qui cædi ſupererãt, nullo ætatis aut ſexus diſcrimine in ſeruitutẽ abrepti.

Cap. 23. *Rhegium ciuitas.*

Hic Rhegij pro tempore fuit exitus. Vrbis antiquæ, nobilis, diuitis, & omnium per Italiam ciuitatum longè florentiſſimæ: non enim Tarentum, non Metapontus, non Crotona, omnes maritimæ, cum Rhegio comparandæ erant. Nam ad Romam quod attinet, præterquã quòd ex recenti tum Gallorũ incendio adhuc ſumabat, nondùm illa vel ædificiorũ ſplendore vel vrbis amplitudine parem huic vel ad reliquas Italiæ ciuitates, vel ad exteras gentes, dignitatem & famam obtinuerat. Sita nempe erat in ipſo Italię angulo, qua Siciliam breuiſſimo freto interiecto ſpectat. Loco ad commercia longà commodiſſimo. Eſt autem fretũ ipſum adeò anguſtũ, vt fama tenuerit, Siciliã Italiæ illo in loco olim cohærentem. Poſteris temporibus vel vndarum impetu, vel terrarũ motu abruptam, Rhegij nomen huic loco, & vrbi ibidem conditæ indidiſſe.

diſſe. Erat nempe hæc priſcorum temporum opinio, multas terras olim conjunctas ſimili fato à ſe inuicem diuulſas fuiſſe; ſic Hiſpaniam ab Africa immiſſo freto ad Gades antiquitùs diſterminatam, ſic Europam ab Aſia ad Helleſpontum & Boſphorum Thracium, ſic Angliam à Gallia ad portum Iccium, ab Anglia Hiberniam ad Sacrum promontorium diruptam fuiſſe prauis rerum opinionibus imbuti fabulantur. Ad Rhegium verò quod attinet, quæ nunc Rhezo dicitur, non eam à rupta illo in loco terrarum compage Rhegium, ſed ab vrbis nobilitate, totius Italiæ Regiam priſcis vocatam fuiſſe narrat autor imprimis bonus Strabo: locum tamen ipſum naufragijs infamem fecerunt veteres: Charibdes neſcio quas & Scyllas & canum latratus in illo littore memorando; Eſt autem Charibdis vaſtum quoddam non procul à Rhegio, propiùs tamen Siciliæ latus ad Meſſanam profundum; vbi concurrentibus inter ſe maris Tyrreni & Adriatici aquis, montium inſtar ſæpe (ad leuem quemuis ventorum motum) & planè inexuperabiles præſertim illorum temporum nauigijs fluctus ciebantur; quorum vorticibus hauſtæ ſubitò naues paulò pòſt in littus Tauromenitanum, quod ad Orientale inſulæ latus jacet, ejiciebantur. Hinc Charibdis, monſtrum ſcilicet marinum, & perpetua fame rabidum, *nunc ſorbere rates*, *nunc reddere* & euomere, apud poetam prædicatur. Par horrore & vanitate fabula de Scylla ferebatur: erat enim Scylla aliquantulum excurrens in mare non procul Rhegio promontorium; cujus collum, quà conti-

continenti iungitur, Anaxibius Rheginensium olim tyrannus operibus muniuit, simul vt Thuscis, alijsque maris inferi accolis per ea loca nauigantibus statio tuta pararetur, & præsidio ibi collocato prædonibus per fretum illud iter intercluderetur. Fluctus vero magna vi ad scopulos allisi horrendos sæpe sonitus agrestibus edebant. Eos veteres illi Græcorum fabulas sequuti Scylacas, hoc est, catulorum latratus interpretabantur. Nam quòd nullum tantum ibi fuerit periculum, præsertim vel tranquillo, vel mediocritèr turbato cœlo, ex eo constat, quod hinc Rhegium in Italia, illinc Messanam in Sicilia, celebres omni tempore mercaturis vrbes habuit, noctesque ac dies transitus illac patuit, & etiamnum patet.

Cap. 24. Diximus superiùs flagrante inter Athenienses & Spartanos bello Artaxerxem Euagoræ Cypriorum Regi bellum intulisse. Nempe ad eum opprimendum Teribazum cum trecentarum triremium classe miserat; Quibus rebus territus Euagoras, Acorim Ægyptiorum Regem, graues cum Persis illo tempore inimicitias exercentem patronum asciuit. Tyrus etiam vrbs eandem rerum inclinationem sequuta à Rege Persarum ad Euagoram defecit. Multi prætereà in Asiæ continente Reguli & ciuitates vel militem, vel in stipendium pecuniam dabant. Quibus copijs instructus Euagoras magno animo ad bellum cum Persarum rege gerendum se comparabat. Principio cum myoparonibus, quarum sat multas ad manum habuit, onerarias hostium commeatum portantes aggressus, alias

cepit

cepit, alias in fugam vertit; ex quo effectum eſt, vt quum mercatores in Cyprum ad Perſarum exercitum frumentum comportare propter magnitudinem periculi non auderent, ſummæ ſtatim annonæ anguſtiæ in illis caſtris ſint conſequutæ. Quæ res atrociſſimæ ſeditioni mox cauſam præbuit. Multique tribuni à mercenarijs, propter non exolutum ad diem ſtipendium in caſtris obtruncati. Itaque ad leniendos militum animos, Teribazi legatus nomine Gaus non iam ampliùs mercatoribus ad commeatum ſubuehendum fidere, ſed ipſe cum vniuerſa claſſe profectus, magnam repente annonæ vilitatem fecit. Euagoras claſſis Perſicæ magnitudine conſpecta ſuam & ipſe claſſem auxit. Sexaginta naues naualibus extractas de ſuo adjecit. Ab Acori Ægyptiorum Rege quinquaginta alias accerſiuit, vt triremes in vniuerſum ducentas, præter myoparonas, claſſe complecteretur. Has magnificè & diligentèr ad prælium inſtructas, crebris velitationibus veluti præludijs exercens ad prælium nauale, ſi qua fors cócurrendi daretur, erudiebat. Accidit forte vt claſſis Perſica Citium (ea Cypri Inſulæ vrbs erat) nauigaret; eam Euagoras longè venientem conſpicatus, è portu Salaminæ properè ſoluit, & promontorium ſuperantem veluti ex inſidijs aggreſſus, primo ſtatim impetu turbabat: multaſq; triremes, vt erant incompoſitæ, & ad iter magis quàm ad prælium comparatæ, vel demerſit vel in fugam vertit. Id videns Gaus, ipſe cum ſua triremi in primam aciem prouolabat. Quo facto, & hoſtium impetum compreſſit, & ſuis

Prælium nauale ad Citium.

ſuis ex maximo timore colligendi ſe, & ordines reſtituendi ſpatium dabat: inde recruduit omni parte pugna. Euagoras magna voce, partam iam victoriam è manibus eripi indignum eſſe, ſuis inclamabat. Gaus, non ſi primo ſtatim impetu turbata paulisper fuit acies animum ſtatim & victoriam deſpondendam eſſe cenſuit. Itaque cum omni virium ſuarum mole incumbens, hoſtem à latere, à fronte preſſit. Nec vim Perſarum vltra iam Euagoras ſuſtinere valuit: quare fuga abreptus Salaminam rediјt. Gaus, quò intenderat, Citium peruenit. Huius pugnæ fortunam ſequuta eſt Salaminæ expugnatio, totiuſque inſulæ, & ipſius Euagoræ, cum omni claſſe deditio. Qua ex re facilior & expeditior Perſis ad Ægyptum expugnandam via parabatur.

Cap. 25. Pace verò inter Perſas & Græcos, confirmata, ſubortæ ſunt non ita multò pòſt nouæ inter ipſos Græcos inimicitiarum & bellorum cauſæ; iamdiu inueterato & inexplebili aduerſus Thebanos odio flagrabat Ageſilaus; ſed eo iam ardentiore ſtudio in eorum peſtem & ruinam incubuit, quòd pacem à Lacedæmonijs per Antalcidam à Perſis procuratam, non ſolùm vt inutilem non admiſerant, verumetiam, vt dedecus & flagitium, propter proditas eo fœdere Græci nominis in Aſia ciuitates deteſtari ſe non diſſimularent. Itaque Thebanorum arcem per Phebidam ducem improuiſò occupat. Vnde quum opera Athenienſium è veſtigio expellerentur Spartani, bello neutiquàm denunciato, Sphodriades, Cleombronti (is alter Spartanorum

Rex

Rex erat) iuſſu, cum decem millibus armatorum Pyræum Athenarum inuaſit. Sed rem præſenſerant Athenienſes. Itaque Sphodriadem vrbis mœnia ſcandentem, multo Spartanorum ſanguine repulerunt; pacemque prius initam, palam nunc ruptam eſſe interpretantes, magnam Græciæ partem ad belli contra Spartanos ſocietatem pertrahunt. Ita rurſus in duas partes tota Græcia diſceſſum; multaque & funeſta prælia inter Græcos commiſſa; inter alia grauis pugna naualis, Naxon inter & Paron (duæ illæ in mari Ægæo inſulæ erant, marmoribus hæc, illa Bacchi fano nobilis) edita memoratur. Lacedæmoniorum nauarchus erat Pollis, Athenienſiũ Chabrias, multis ſæpe prælijs ſpectatæ fortitudinis & conſilij vir: Pollis quum magnam frumenti copiã Athenas deferri ex ſpeculatoribus cognouiſſet, tectus promontorio, in aduentum claſſis frumentariæ intentus ſtabat, vt in tranſeuntes impetum ex improuiſo faceret. Qua de re certior factus Athenienſium populus claſſem armatam præſidio onerarijs miſit: eaque opera onerarias omnes cum ſuo onere incolumes recepit. Chabrias frumento in vrbe perducto, confeſtim claſſe ad pugnam inſtructa Naxon petit. Ibi Pollẽ cum ſexaginta nauiũ claſſe reperit. Chabrias in claſſe octoginta tres naues habuit, triremes omnes: Simul in conſpectum venerunt, vterque dux ſuos ad pugnam inſtruit: pugna inita, Pollis dextrum cornu tenens, primus in oppoſitos ſibi in ſiniſtro cornu Athenienſes cum quanto maximè potuit impetu incurrit, & forte accidit, vt Codonem, qui ſiniſtro Athenienſium

Pugna naualis ad Paron inſulam.

cornui

cornui præerat, depressa triremi interficeret. inde ad alios conuersus magnum vbique terrorem & stragem intulit. Quo animaduerso Chabrias nauium suarũ aliquot quas in dextro cornu habuit missis, cladem illam correxit, & Pollidis impetum viriliter repressit. Ipse cum expedita classis cohorte circumuolitans, & animosè vbique dimicans aduersas triremes omnes vel vulnerauit vel fugauit, vel deniq; cepit. Sed quas fugauerat insequi non audebat pugnæ scilicet ad Arginusas & feralis aduersus duces ob non seruatos ciues iudicij memor. Itaq; omisso hoste milites hìc illìc natantes tollit, & seruatis quotquot spirantes reperit, defunctos ad terram delatos more patrio tumulabat. Quæ si illum cura non tenuisset, classem hostilem funditùs delere potuisset. In hoc conflictu naues Atheniensium decem & octo perierunt; ex Lacedæmonijs viginti tres submersæ sunt; duodecim cum remigibus & defensoribus integrè in potestatem hostium venerunt; qua tanta victoria insignis Chabrias cum incredibili ciuium lætitia, effusa omni ad spectaculum multitudine, Athenas reuehitur. Erat enim prima hæc à bello Peloponesiaco pugna naualis iustis classibus inter duos potentissimos Græciæ populos cõmissa; ad Cnidum enim non suis opibus decertauerunt. Ciuis modò suus alienæ classi præfectus victoriam ab hostibus ad vrbis suæ vtilitatem reportauerat.

Cap. 26. Sub idem tempus Artaxerxes bellum Acori Ægyptiorum regi illaturus, quoniam Græco milite in eam rem vti plurimùm desiderabat, iterum dirimendis in Græcia litibus animum intendit;

tendit. Quam pacis conciliandæ occasionem reliqui omnes Græciæ populi non inuiti amplectebantur. Soli Thebani, vt pacem Antalcidæ priùs respuerant, ita secundis nuper bellorum successibus inflati, & ducum insuper suorum fiduciâ freti, pacis mentionem non animis, non auribus accipiebant. Duces erant Pelopidas, Gorgias, & Epaminondas; è quibus Epaminondas, omnes ante se Græcorum Imperatores quà belli quà pacis artibus antecelluisse communi omnium voce prædicatur: Pax autem inter reliquos Græcos hijs conditionibus conuenit, *Vt omnes deinceps Græciæ ciuitates suis legibus viuerent, neuè cui vrbi præsidia externa imponerentur.* Publico igitur consilio extemplò missi, qui præsidia ex vrbibus & castellis tota Græcia deducerent. Thebani modò totam Bæotiam, bello à se nuper occupatam, præsidijs tenere voluerunt: cui tam peruersæ dominandi libidini, quùm cæteri omnes, tum maximè Athenienses (quibus Thebani in omni suo discrimine fidelissimis socijs & amicis vsi fuerant) & Lacedæmonij acerrimè resistebant. Postquam enim Lacedæmonij & Athenienses semper hactenùs de Græciæ principatu dimicare soliti, ea nunc & sua inuicem confessione, & aliorum existimatione ab armis discesserant, vt alteri terra, alteri mari quasi iure quodam hæreditario à maioribus transmisso plus posse censerentur, indignum esse aiebant, si Thebani, ijsdem qua reliqui Græciæ ordines conditionibus bellum finire recusarent. Artaxerxes verò pacatâ vtcunq; Græciâ, & viginti armatorum millibus inde conscriptis

ſcriptis, ducem Iphicratem, cuius celebris tum erat fama, ab Athenienſibus ſibi dari petijt. Mittitur itaq; Iphicrates, cum quo Pharnabazus militiæ princeps ad Acon Syriæ vrbem, non procul Ægypti finibus deſcendit. Vbi luſtrato exercitu, ducenta millia Barbarorum ſub Pharnabazi ſignis, ſub Iphicratis imperio viginti Græcorum millia in numeros relata cenſebantur. Claſſis verò numerus, triremes trecentæ, penteconteri ducenti erant, præter onerarias quæ duplum eius numeri continebant. Sub æſtatis initium cum pedeſtribus naualibuſque copijs ab Acon digreſſi Ægyptum petunt. Ægypti Rex illo tempore, mortuo nuper Acore, Nectanabus erat. Qui quum tantis vndique copijs ſe peti cerneret, regionem natura egregiè munitam operibus inſuper munitiorem effecerat. Septem olim erant Nili oſtia, quorum quod primum, Ægyptum à Syria & Paleſtina ab oriente intrantibus occurrit, Peluſium priſcis dictum. Quod verò Lybiam & Africam ad occidentem attingit, Canobiticum appellatur. Media erant quinque, Sebenniticum, Saiticum, Mendeſium, Bolbitinum, & Bucolicum. E quibus Bolbitinum & Bucolicum effoſſa erant; reliqua natiua. Hijs autem ſeptem, vt vocabantur, oſtijs, miraculum illud naturæ Nilus in mare Mediterraneum effundebatur. Ad quorum ſingula vrbs valida extruebatur; & ab vrbibus oſtia ipſa nomina ſua acceperunt. Hodiè quatuor tantummodò à Coſmographis recenſentur. Peluſiacum, ad quod ſita eſt Damieta, bellis olim Chriſtianos inter & Saracenos nobilitata,

Iphicrates.

Nectanabus.

Nili ſeptem oſtia.

bilitata, & Canobiticum seu Heracleoticum, cui vicina ab Alexandro posteà, quum Ægyptum victricibus armis peragraret, extructa est vrbs Alexandria. Hæc duo longissimo tractu aduerso flumine, vsq; ad caput Deltæ, & Memphim vrbem; Indeque ad Catadupas vsque grrādia admodū nauigia ferunt. Alia duo portū tantummodò ad mare singula efficiunt: cætera limo & aggere oppleta, ipsa portuum cum vsu nomina amiserunt. Nectanabus quamuis omnes Ægypti à mare introitus haud segnitèr communiuerat, Pelusium tamen, quod vrbs illa primum hostium impetum sensura videbatur, impensiùs curandum esse existimabat. Vijs igitur, per quas terrâ aditus erat, magnam aquarum vim ingenti fossarum molimine induxerat. Quà verò nauibus introitus patebat, aggeribus & mœnibus per profundum ductis vias obstruxerat. Quo factū, vt nec equitatui pedestribusuè copijs à terra, nec classibus à mari aditus pateret. Itaque quum Pharnabazus & Iphicrates ad os Pelusij cum classe appulissent, omnia ibi tam firmis præsidijs occupata, tam ingentibus operibus munita repererunt, vt nihil ibi sine multo suo sanguine, & militum strage tentari posse appareret. Quare nihil temerè aggrediendum rati, retróque in altum è conspectu reuecti, Mendesium (quòd alterum Nili ostium fuisse diximus) cum classe appellunt: vbi virtute militum castellum super ostio fluminis extructum, & valido trium millium præsidio occupatum, aggrediuntur. Quamuis igitur & altitudo loci, & munimenta, quæ nulla parte adiri, nisi arduo

& difficili ascensu possent, defenderent, & hostes superiore loco stantes, in aduersum nitentes multa vi deturbarent, vicit tamen omnia pertinax militum virtus; & plures subinde è nauibus subsidio veniebant; Itaque expugnato demùm castello, magna cæde superantur. Ægyptij, qui cædi supererant, è castello in vicinum oppidum refugerunt. Eos Iphicrates cum Græcis suis persequutus, simul cum fugentibus in portam incidit, vrbem ipsam magna ciuium edita strage expugnat, & portum, quò Persæ in Ægyptum tutò libereque appellerent, magna apud omnes gloria occupauit.

Piratioam ex. rect.

Cap. 27. Inter hæc Iphicrates à captiuis Memphim, quæ totius Ægypti regia & caput erat, præsidio carere comperit. Hanc igitur vrbem quantumuis longè a mare positam, quia tamen præcipui ad regnum ipsum occupandum momenti esse videbatur, priusquàm Ægyptij se ex metu colligere possent, classe fluuiatili Iphicrates occupandam esse censuit; contra Pharnabazus, siue consilium non probabat, siue autori inuidebat, reliquas copias expectandas esse dixit. Tum Iphicrates, se, si ita videretur, cum suis Græcis rem sine Regis dispendio confecturum esse pollicetur; vnde fiduciam pariter & fortunam viri suspectam habens Pharnabazus, veritus etiam ne si is suo Marte Ægyptum occuparet, major inde Græcis, quam Persarum genti gloria accresceret, rem ancipitem & periculi plenam tentari vetuit. Itaque Iphicrates tantæ rei gerendæ occasione amissa dolens, præfatus modò, si hanc nunc occasionem sibi è manibus Pharna-

Pharnabazus elabi fineret, frustrà eam posteà requisiturum, se continuit. Paulò deinde pòst Nilus toti regioni, vt stato anni tempore solet, superfusus nullum tanto exercitui locum vbi consisteret, tota Ægypto reliquit. Tum verò Persæ, ne naturæ repugnare viderentur, fugam inde maturabant. In Asiam cum redijssent, Pharnabazo cum Iphicrate odia recruduerunt; ex quo timens sibi Iphicrates, clam nauigio cóparato, Athenas redit. Eum verò, missis illico legatis Pharnabazus tanquam rerum in Ægypto malè gestarum reum, ad populum accusabat; Responsum est à populo, se de reo juxta leges anquisituros: si sontem reperirent, impunè non laturum. Quod autem populi de eo fuerit judicium inde apparet, quòd quùm contra Lacedemonios dux breui deligendus esset, omnium statìm oculi in Iphicratem conjiciebantur.

Cap. 28.

Lacedæmonij Corcyram oppugnant.

Dum enim ista in Ægypto gerebantur, Lacedæmonij ruptis palam fœderibus populo Atheniensi bellum intulerant: simul potentiæ in mare quærendæ auidi, Corcyram cum sexaginta quinque nauium classe duce Mnasippo inuaserunt. Corcyræi missis extemplò legatis auxilium ab Atheniensibus petierunt; hij vetere instituto, promptissimis studijs auxilia Corcyræis decernunt; & pro tempore Stesiclem cum paucis triremibus & sexcentis militibus auxilio mittũt, majores copias sub clariore duce paulò pòst missuri. Aliud deinde fit decretum, vt sexaginta triremes ad hoc bellum instruerentur, quarum Timotheus Cononis clarissimi patris filius non inglorius, imperator designatur. Is verò ac-

Stesicles.

cepto imperio, quùm Athenis propter ærarij difficultatem illũ numerũ explere non posset, insulas obibat, vt inde pro ea qua apud omnes valuit autoritate classem compararet: rem enim planè temerariam, & periculi non dedecoris modò plenam esse existimabat, paucula nauigia, nec ea instructissima sexaginta quinque triremium classi ad Corcyram stanti objicere. Intereà Stesicles Corcyram appellens, in auersa insulæ parte militem exponit; & eâdem nocte hostium stationes fallens, vrbem, plus spei secum quam opis ferens, ingreditur. Ingressus omnia intestinis odijs flagrantia offendit; sed compositis mox controuersijs ciuium, & correcta militum disciplina, magnam statim rei benè gerendæ spem omnibus fecit. Vnum erat in vrbe malum, cui nullo ingenio mederi potuit, fames. Ea tam atrocitèr tum sæuiebat, vt quotidiana ex vrbe transfugia fierent: adeò quidem vt Mnasippus, per præconem ediceret, si quis ad se transfugeret, eum se extemplò venditurum; sed quùm nullo seruitutis metu à transfugiendo inhiberentur, flagris cæsos in vrbem redire compulit: qui quùm à suis non reciperentur, in medio, cum lamentis & ejulatibus expirabant. Ea res soluendi disciplinam militarem Mnasippo causam dedit. Enimuerò quùm fame jam edomitos, in suam mox potestatem venturos animo prospiceret, noua planè ratione cum mercenarijs agere instituit: alios statìm exautorabat, quos verò sub signis retinuit, duorum triumuè mensium stipendium debebat. Itaque murmur totis castris, militiam detrectantium, & imperia

ria ſpernentiũ exaudiri ceptum; eò magis quòd non rerum penuria, ſed ducis auaritia indigna viris pati cogerentur. Inde ſigna infrequentia relinquere, per inſulam nullo ordine vagari; plures emanſores in agris, quàm milites in ſtationibus aut caſtris eſſe, nihil pro more militari, nihil pro vſu & conſuetudine caſtrenſi agi. Qua re animaduerſa Steſicles, edocto priùs milite ſuo quid animo agitaret, ciuibus deinde, forti & parato ad demicandum animo, ſi ſalui eſſe vellent, opus eſſe monitis, eruptione ſubitò facta, caſtra Laconica inuadit; & primo ſtatìm impetu, alios cædit, alios capit: quo tumultu excitatus Mnaſippus, cum ea, quam ad manum habuit, cohorte procurrit. Præfectis imperat, vt mercenarios educerent; ſed quùm ductores ordinum pro ſe quiſque reſponderent, non poſſe contineri in officio militem ab eo duce, qui debita ſtipendia non exolueret, ille hunc baculo ferire, illum gladio vulnerare cæpit: itaque cum diris execrationibus, & ſuo quàm hoſtium duci infenſiores, caſtris egrediuntur: mox pugnam, tanquam qui vincere nollent, ineunt: ipſe Mnaſippus a ſuis deſertus, & mortem minùs quàm judicij infamiam horrens, ab hoſte interficitur. Steſicles ſucceſſu ferox, caſtris hoſtium imminebat; minimumque abfuit, quin ea nocturno tumultu occuparet: & res ex voto ſucceſſiſſet, niſi depoſitis cum morte Mnaſippi odijs, omnes jam, tam ciues, quam ſocij & mercenarij ſibi & vtilitati publicæ conſuluiſſent.

Mnaſippi mors.

Hac clade perculſi Lacedæmonij omnem Corcyræ obtinendæ ſpem abjecerunt, de ſua

hostilem fuga abreptum cognouisset, Stesiclem imprimis, deinde & militum virtutem collaudauit. Quoniam verò rem, ad quam venerat, confectam reperit, ipse alias rerum gerendarum occasiones circumspicit, refectoque milite in Epirum, aliaque loca vicina, quæ ad Spartanam vel ditionem vel societatem spectabant, transmisit, vbi multas statim ciuitates, vastatis latè agris, & terrore agrestibus injecto, cepit. Intereà temporis orta ab Atheniensibus pacis mentione, omnes Græciæ populi Lacedæmona legatos suos cum mandatis & amplissima potestate mittunt. Ibi pax aduersis quidem Thebanorum animis, sed tamen consensum impræsentià præbentibus firmatur; additum conditionibus, sicut in priore pace fuerat, vt præsidia vrbibus deducerentur. Quæ omnia, inscio Iphicrate, & bellum vltra Peloponesum occidentem versùs magnis successibus contra Spartanorum socios gerente, agebantur: sed Athenienses legatos ad eum extemplò mittunt, cum mandatis, vt quæcunque post diem sacramenti de pace præstiti bello cepisset, omnia cum fide restitueret. Omnia igitur cum cura conquisita summa fide ab Iphicrate restituuntur. Iam enim Athenienses, bellorum pertæsi, de fœderibus seriò cogitare cæperant; & vltrò se inter Lacedæmonios & Thebanos, qui omisso mari, sæuissima inter se prælia, ad Leuctra, ad Mantinæam, sub ipsis denique Spartæ mœnibus, magna omnia Thebanorum gloria, conseruërant, arbitros belli & pacis offerebant; semel etiam ipsam Spartæ vrbem vltima rerum desperatione laborantem, è

Bonorum post pacis diem restitutio.

Thebanorum manibus tanquam ex incendio eripuerunt.

Cap.30. Id verò ægerrimè ferens Epaminondas Thebanorum princeps, cōposita ad id oratione, suasit populo, vt maris etiam imperium Atheniensibus eriperent; quam rem non minùs factu facilem, quàm re ipsa vtilem & gloriosam fore confirmabat: quippe maris dominiū terrarū imperiū, velut vmbram corpus sequi solitum: victos in terra Spartanos jam esse; vincendos & in mare Athenienses esse: vtrobiq; eundē belli esse Martem; & omni in loco ignauiam virtuti cedere: fit itaque decretum, vt triremes centum, totidemq; ad eas conseruandas casulæ, more Siculo, extruerentur, vtq; Rhodij, Chij, Byzantini ad subsidiariam hijs cæptis operam præstandam inuitarentur; Epaminondas vt rem quam verbis suaserat opere promoueret, ad hanc legationem operam ipse suam vltrò offerebat; quæ res magno assensu audita, omnem vltra dubitandi causam sustulit. Itaque cum modica triremium cohorte ad memoratas ciuitates missus properabat. In itinere Lachetem Atheniensem ad Thebanorum conatus in mari impediendos missum, improuisò adortus ita conterruit, vt subducta mox classe toto mari cederet, vrbesque passim Epaminondæ possidendas linqueret. Quòd si longiùs vitæ spacium huic viro fata concessissent, nemini dubium videbatur, quin illo duce terræ simul marisque imperium, reliquæ Græciæ omni præreptum Thebani occupassent. Sed eo paulò post ad Matinæam, clarissima priùs parta de Lacedæmonijs victoria, ex vulnere mortuo

Thebanorum de Athenensibus in mare victoria.

Epaminondas ex vulnere mortuus.

mortuo, occubuit Thebanorum virtus. Cujus pugnæ euẽtus eò maximè memorabilis videtur, quòd Macedonum imperio initium & causam præbuit; vt enim Thebanorum animi cum duce suo ceciderunt, ita Lacedæmoniorum vires eo demùm prælio adeò attritæ, afflictæque sunt, vt omnem Græciæ imperio deinceps complëctendæ fiduciam abjicerent.

Cap.31.

Hinc Agesilaus octogenarius jam sed irrequieti ingenij vir omissa Græcia, Tacho siue Tao Ægyptiorum Regi aduersus Artaxerxem, qui quadragesimum secundum regni annum tum agebat, rebellanti auxilio ibat. Chabrias etiam Atheniensis, bellorum in Græcia pertæsus, priuato consilio ad eundem Regem militaturus proficiscitur, à quo ducentarum triremium classi præfectus, rem ejus naualem egregiè curabat, & vniuersum Ægyptum inter & Asiam mare imperio & classe obtinebat. Agesilaus verò vnà cum Rege Tao Palestinam vsque itinere terrestri contra Persas profectus, magnam sibi & Spartano nomine gloriã ad exteras gentes comparabat. Sed quùm Tai filius patris absentia pro occasione vsus, regnum paternum occupasset, ab expeditione Persica reuocatus pater, in Ægyptum redijt: vbi fuso rebellium exercitu, & filio recepto, rebus item cœteris ad votum constitutis, Agesilaum multis honoribus, magnisque pro merito præmijs cumulatum dimisit. Is verò dum ad Cyrenem ventum expectat, moritur; corpus ejus melle conditùm (ita enim illorum temporum ferebat vsus) Spartam reportatur: quùm quadraginta jam & duos an-

Agesilaus moritur.

nos,

nos, regnum Spartanum magna cum gloria, variante quamuis sæpenumerò fortunâ, tenuisset. Non me latet aliam Diodori Siculi, aliam Plutarchi de hac Agesilai in Ægyptum expeditione esse sententiam; ille totus in laudibus Agesilai est; hic eum aduerso hominum rumore bellum hoc & suscepisse & perpetrasse, desertoque, ad quem primò venerat, Tao patre, Nectanabo filio operam posteà, parum regiè vendidisse narrat: quorum ego dicta vtpote ad rem & institutum nostrum minùs pertinentia, nec tueri in alterutram partem, nec refellere institui. Temporis potius hujus rationem habendam esse censui: vna enim Olympiade, paucisq; adeò ejusdem Olympiadis (erat autem centesima quarta quæ anno mundi ter millesimo sexcentesimo octauo initium cæpit) mensibus, summi omnes qui tum claruerunt viri, vitam morte commutarunt: mortuo enim in Ægypto Agesilao, statim moritur Artaxerxes Mnemon: pari vterque ætatis, pari ferè regni termino defunctus; paucis verò ante diebus mortuus est ad Mantinæam Epaminondas, & ante illum ejusdem gentis vir, & pari cum eo laude præditus Pelopidas. Dionysius enim Siciliæ tyrannus, primo centesimæ tertiæ Olympiadis anno, magnis rebus gestis in fata concesserat; mortuo verò Epimanonda, fugam è Thebis, quâ obses ab Alexandro fratre datus tenebatur, in Macedoniam arripuit Philippus, Amyntæ filius natu minimus, Alexandri magni pater. Is accepto Macedoniæ regno multa contra Illyrios, Bastarnas, Dardanos, Thracas, Thessalos etiam aliasque vicinias gentes magna virtute,

Philippus Alexandri pater.

tute, magno ſucceſſu geſſit; ſed quùm ſub initio regni paupertate premeretur, in Helleſponti freto piraticam exercuit, centumque & ſeptuaginta nauium ſpolia vno impetu, nullo amicitiæ aut inimicitiarum diſcrimine, rapuit. Facti inuidiam lenibat, quod ſic partas opes, majore aliquantò quàm quà pepererat fide, militibus in obſidione Byzantij illo tempore hærentibus, diuiſit: eò magis, quod vno in mari admiſſo flagitio contentus, eo poſtea abſtinuit, & ad imperium in continente firmandum conuerſus, omnem Græciam partim dolo, partim virtute, ſed mira prorſus in omnibus fœlicitate domuit.

Cap. 32. Dum iſta in Græcia gerebantur, nihilo meliore in ſtatu res in Sicilia erant: mortuo enim Dionyſio patre, ſucceſſit ei in tyrannide Dionyſius filius, vitiorum paternorum, amicitiæ, perfidiæ, crudelitatis, ex aſſe hæres, prudentiæ, induſtriæ, fortitudinis, bellicæ artis, aliarumque virtutum, quæ ſummæ in illo erant, vix vnciolam aſſequutus. Hic natiuæ ignauiæ ſtudium pacis & quietis publicæ ſedulò prætendebat. Itaque cum quingentas triremes a patre accepiſſet, omnes in naualibus à patre extructis tanquam alteri ſæculo profuturas condidit. Vino interim, & ſtupris, rapiniſque & ciuium cædibus incubuit. Inter quos dum Dioni conſanguineo ſuo, Platonis nuper diſcipulo, necem machinabatur, graui bello ſe implicuit. Dum enim abſens, vrbibus, quas à patre ſemirutas in Italia acceperat, reſtaurandis vacat, Dion cum duobus non ampliùs nauigijs Corintho, quem locum exilio delegerat, reuerſus, confluente ad eum vndique ciuium

uium multitudine, cum quinquaginta millium exercitu Syracusas intrauit; & totam (præter arcem quæ tyranni præsidio tenebatur) vrbem, magno ciuium consensu traditam accepit. Cuius rei accepto nuntio Dionysius, Philistum nauarchum cum sexaginta triremibus Syracusas præmittit. Ipse quum exercitum in Siciliam ad fretum transmisisset, ad vrbem pedestri itinere contendit. Syracusani, effractis naualibus Regijs, Philisto portum magnum intranti cum classe occurrunt. Acre ibi prælium committitur; in quo sua primum virtute Philistus præualebat. Sed ab hostibus tandem pluribus numero circumuentus, nè quæ captis fieri solent viuus pateretur, sibi mortem vltrò accersiuit. Syracusani prælio victores dilancinatum Philisti cadauer, & omni contumeliarum genere affectum, insepultum proiecerunt; vt quam iram in ipsum tyrannum exercere non possent, saltem in tyrannidis ministrum seu viuum seu mortuum effunderent. Dionysius, hoc vulnere accepto, valido arci præsidio relicto, in Italiam redit, animum ibi à sensu malorum auocans, quorum vim præsens non sustinuerat. Veruntamen, quum arcem ipsam, quantumuis milite simul & natura munitam fame iam laborare, & præsidium in ea relictum de se dedendo colloquia cum hoste serere, accepisset, Nisippū genere Neopolitanum loco Philisti suffectum Syracusas cum commeatu properè misit. Hic pridiè eo appulit, quam arx, ex conuentione, ciuibus tradenda fuerat. Solutis inducijs Syracusani magna vi impetum in Nipsium faciunt. Fit prælium; funduntur

Philistus Dionysij iunioris nauarchus.

Prælium nauale ad Syracusas.

Nipsius Dionysij nauarchus.

duntur Dionysiani, naues aliæ franguntur, aliæ integræ capiuntur, aliæ ad terram præcipitantur: qua pugna penitus concidissent tyranni tres, ni Syracusani rei lætitia ad epulas & crapulam conuersi, suam hosti occasionem vrbem noctu inuadendi, & ciues ad lassitudimem vsque trucidandi præbuissent. Nec eo contenti Dionysiani, vrbem incendunt, latéque diffuso igne, fœdam pulcherrimæ nuper ciuitati deformitatem inferunt. Id eò impuniùs faciebant, quòd Syracusani paucis ante diebus, salutis & libertatis suæ recuperatorem Dionem, tanquam affectatæ tyrannidis reum, vrbe sua per iniuriam & scelus eiecissent. Eum igitur nunc siue facti pœnitentia, siue rerum suarum sensu moti, decreto reuocant. Isque subitò reuersus Dionysianes vrbi expilandæ etiamnũ intentos aggreditur, & graui strage vrbis mœnibus exactos intra arcis suæ munimenta se recipere coegit.

Prælium nauale Dionysio aduersum.

Cap.33.

In hoc ipsum tempus incidit Bellum in Græcia Sociale, cuius frequens apud autores mentio reperitur. Etenim Rhodij, Chij, Coi, necnon Byzantini aliæq; insulæ & vrbes, à societate Atheniensium, Epaminondæ operâ auulsi, post eius etiam mortem communi consilio, eorum imperium aspernati, omnem belli apparatum suis consilijs, suis opibus faciebant. Primo statim huius belli anno, Athenienses Chion vrbem terra marique obsident. Pedestribus copijs præerat Chares, naualibus Chabrias: qui nauali certamine in ipso portu contracto, quum nauem suam ictu aduerso perfractam cerneret, nec spes hostiles manus euadendi esset, gloriosam mortem

Bellum in Græcia sociale.

tem ignominiosæ vitæ præferens, telis hostium vltrò se obiecit, & aduerso demùm pectorare multis vulneribus acceptis cecidit. Inde varia certamina, vt casus tulit, partim terrestribus partim naualibus copijs contracta, sed memoratu parùm digna. Quarto demùm anno, ad noua belli studia recentes vtrinque & integri consurgunt, belli fortunam pugna nauali semel tentaturi. Athenienses quamuis sub Charetis ductu sexaginta naues expeditas iam haberent, alias tamen sexaginta triremes addiderunt: ducesque Iphicratem & Timotheum, nobilissimos suæ ciuitatis viros, adiungunt, vt æquato illis cum Charete imperio, communi consilio rebelles socios debellarent. E diuerso socij, quùm & ipsi centum triremium classem aptassent, insulas omnes quotquot Atheniensium sectam sequebantur, hostilitèr inuadebant. Tandem ad Byzantium conuenerunt classes: jamque propè erant vt concurrerunt, sed subita & insolita ventorum procella ingruens, conflictum diremit. Chares nihilominùs in tanta maris iactatione, omninò pugnandum, & quùm nauem ipse suam regere non posset, classem tamē in hostem dirigendam esse censuit. Contrà Iphicrates & Timotheus importunitatem & inscitiam hominis mirati, pugna abstinuerunt. Ibi Chares criminandi locum nactus, militum fidem obtestari, collegas proditionis accrsere, simul literis Athenas missis, duos præstantissimos, non modò ciuitatis, verumetiam ætatis illius viros, detrectati certaminis & minutæ maiestatis reos ad populum accusare. Nec mora, populus iudi-

cium

cium innocentibus intendit: ambos graui mulcta & ignominia oneratos imperij exortes esſe jubet. Chares intereà claſſis totius poteſtatem adeptus, dum impendijs Rempub. leuare vult, audax & impudens facinus aggreditur. Pharnabazus illo tempore à Rege Perſarum Ocho defecerat: ei Chares cum vniuerſis copijs ſe adjungit; cujus opera Pharnabazus egregiam de Regijs victoriam adeptus, vt gratiam tam benè de ſe merito viro reponeret, tanta illũ pecuniarum copia remuneratur, vt facilè inde militi ſtipendium numeraret. Grata ea erat Athenienſibus in præſens res: ſed quùm Rex de hac tanta injuria ſibi contra jus & fas illata, legatos queſtum Athenas miſiſſet, ijque in concionem producti non aliud quàm *priuatonè an publico conſilio id feciſſet Chares*, ſubinde interrogarent, ſimul rumor haud vanis nuncijs afferebatur, Regem quantocyùs trecentarum triremium claſſem ſocijs ad opprimendas Athenas miſſurum, populus Athenienſis euentum metuens, de pace cum ſocijs æquis conditionibus facienda agere decreuit: nec ſocij tantorum ſubſidiorum ſpe ſolicitati à pacis conſilijs abhorrebant. Ita quarto demùm anno bellum ſociale finem habuit. Artaxerxem verò a belli Græci cũra res Ægyptiacæ auocabant.

Cap. 34.

Iamdudum Ægyptij, inſtigante Nectanabo Rege, Tachi filio, à Perſarum imperio defecerant, ſed defectionem hanc Rex Perſarum ſatrapis ſuis caſtigandam delegauerat: qui re vel ſegnitèr vel infœlicitèr geſtâ, alijs ſubinde gentibus ſimilia patrandi animos fecerant. Itaque &

tota Cypri insula, & Phœnicia omnis Ægyptijs se adjungunt. Quibus rebus motus Artaxerxes, non jam ampliùs alios mittere, sed ipse ad hoc incendium, nè latiùs serperet, restinguendum properare statuit. Babylone cum exercitu profectus, in Phœnices mouit: ibi triremes trecenas è Caria à satrapis paratas instructasque reperit. Cariæ Regulum cum quadraginta triremibus Cyprijs bellum inferre jubet. Ille Cyprum haud magno discrimine recepit. Ipse Tripolim celebrem Phœniciæ ciuitatem per proditionem cepit; inde per Iudæam Ægyptum inuadit, classe ad Pelusium occurrere jussa. Nihil in hoc bello memoratu dignum nauibus gerebatur; non enim Nectanabus classem aduersam in mare comperauerat, sed veteri Regum Ægyptiacorum instituto, Nili ostijs valido vbique præsidio firmatis, totus in phaselis & nauigijs fluuiatilibus adornandis erat. Hanc verò partem virium inutilem ei fecit diuerso consilio vsus Artaxerxes: etenim si quà transitu prohiberetur, fluuio, quod in tam molli putrique ab annuis Nili inundationibus solo haud difficile factu erat, in diuersam partem deriuato, naues semper in sicco destituebat. Itaquè fugato in vltimas Ægyptiæ oras Nectanabo, Ægyptum Ochus nullo magno molimine recuperauit; & cum magna laude Babylonem redijt. In itinere magnam Iudæorum turbam, quòd Ægyptiacorum partes sequuti fuerant, solo patrio relicto, ad mare Hyrcanum migrare jussit: & hic est alter ille Apodasmus, siue Iudæorum migratio, quæ apud autores celebratur. Incidit autem

autem in annum mundi ter milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum quartum.

Cap. 35. Hoc eodem tempore pulſo Dione, Syracuſani in priſtinum ſub Dionyſio ſeruitutis ſtatum redierunt, reliqua verò Sicilia omnis à Pœnis tenebatur; quibus malis Siculi à Corinthijs remedium petierunt: ij ducem Timoleonta cum decem non ampliùs nauigiorum claſſe mittunt, qua tam exigua manu in Italiam primò, deinde in Siciliam quùm trajeciſſet, caput inſulæ Syracuſas, vltrò manus tendente populo, occupauit: quo facto tyrannum in arcem compulſum ita terruit, vt ſe arcemque ſuam, vi humana, ſi virum intus habuiſſet, inexpugnabilem, cum quadringentarum nauium claſſe ſine pugna, ſine mora, traderet. Deditum Timoleon ſordido nauigio Corinthum deportari juſſit. Inde ad Pœnum hoſtem conuerſus, omnes vbique debellabat, tanta fœlicitate, vt nemo vir vnus tam præſens rebus gerendis numen vnquam ſenſiſſe videatur. Fœlix, ſi rerum ſic à ſe geſtarum gloriam, vero earumdem autori Deo acceptam referre didiciſſet; quanquam nè ipſe quidem eorum, quæ geſſerat, quicquam virtuti ſuæ, ſed, quos putabat, dijs accepta referre ſolitus memoratur.

Cap. 36. Sub idem tempus Athenienſes, omne mox imperium amiſſuri, omne priſtini ingenij ſpecimen abjecerunt. Nam quùm Dionyſius parta de Dione victoria nauem cum donarijs Ioui Olympico & Apollini Delphico miſiſſet, fortè accidit, vt Iphicrates claſſis Atticæ præfectus (nihil enim apud Græcos frequentius, quàm vt

quem heri ærarium viderant, hodie in summa potestate cernerent) dum Corcyræ littus seruat, in eam incideret. Causam viæ, quidque ferrent sciscitando quùm exegisset, vir hactenus in deos suos pius, vt publico potiùs quam suo consilio peccare mallet, nihil in re presenti mouendum censuit, donec missis Athenas literis, quid de illa præda fieri vellet, populum consuluisset. Inopia plerumque cogit ad turpia. Populus quùm illo tempore magnam ærarij difficultatem pateretur, nihil in alterutram partem mandandum censuit, militem modo alendum, res Deorum scrupulosè inquirendas non esse, renunciari jussit. Quo nuncio accepto, Iphicrates aurum omne & argentum concidi, ebur, cæteraque quæ opere plus quàm materia erant, libera item corpora distrahi, vendique jussit. Tantò sanctiùs Timasitheus pirata, quàm populi Atheniensis Princeps, imò quàm ipsa ciuitas Athenarum, Deorum suorum religionem coluit. Quanquam minùs hoc fortasse in Atheniensibus mirandum; hij enim templis suis dona modò inferri vetuêrunt: at Lacedæmonij eodem tempore cum Phocensibus conjuncti, Delphos ipsos expilarunt; vltorem mox Philippum Macedonem sacro bello sortituros; ita nec mare nec terra illo tẽpore sacrilegio suo caruit. Sed enim vergente qualibet ad ruinam ciuitate, vt nunc Græcia: priùs ipsi Deos suos deserunt, deinde & ipsi à vero sed ignoto sibi Deo, in quem inscij peccant, deseruntur. Paulò deinde pòst profligati ad Cheronæam à Philippo Macedone Athenienses, justas sacrilegij pœnas dabant.

Qua

Qua victoria omnis Græcia in Philippi mox vel potestatem vel fidem venit. Isque confestìm indicto Græciæ concilio se contra Persas communem Græcorum Imperatorem creari petijt. Tanto grauior Asiæ hostis nunc futurus quàm Agamemnon olim, aut nuper Agesilaus fuerat, quanto maiores ad hoc bellum copias tracturus videbatur. Non enim Græciæ modò, vt illi, verùm etiam Macedonum Illyriorumq; & Bastarnarum omniùmque Istrum vsque flumen gentium, ferocissimorum per se hominum, & longa militia duratorum vires sub signis habiturus erat. Imperator declaratus classem extemplò comparauit, Attalumq; & Parmenionem duces cum parte copiarum in Asiam præmittit. Quò & ipse paulo pòst cum ingenti exercitu transmissurus erat. Sed in ipso tantarum rerum conatu & molimine subita & inopina morte extinguitur. Eique defuncto successit Alexănder filius, Olympiade (in quo non discrepat) centesima vndecima. Sed primonè an vltimo eius Olympiadis anno, variatur. Frequentior opinio primum habet.

Cap.37.

Quicquid autem de exacto annorum numero sit, vtile certè fuerit historiam legere & nosse cupienti periodum hanc deligentèr annotasse. Geminum enim sub hoc tempus terrarum imperium parturiebant fata: Macedonum & Romanorum: propior partui Macedonia fuit. Vterum Roma tum ferre cœpit. Neque enim ne hæc quidem vrbs clariores vnquam aut imperio digniores viros habuit. Valerium Coruinum, C. Martium Rutilium, Manlium Tor-

quatum, C. Sulpitium, Cornelium Cossum, Publium Philonem, Papirium Cursorem, Q. Fabium, duos Decios, L. Voluminum, Curium Dentatum, innumerosque alios, non Parmenioni modò & Attalo, Cœnoq; & Ptolomæo Ducibus, verumetiam Alexandro ipsi omni genere militiæ pares. E quibus Cossus & Coruinus, singulari hic aduersus Gallum certamine, ille opimis ex Samnitium duce spolijs celebris sexto non ampliùs ante cæsum Philippum anno, Consulatum Romæ tenuerunt. Cuius anni res Romanæ Historiæ conditor T. Liuius scribere aggressus, sic infit, *maiora iam hinc bella & viribus hostium, & vel longinquitate regionum, vel temporum spatio, quibus bellatum est, dicentur.* Liceat verò & mihi rem naualem tractanti, hoc ipsum tempus Alexandri Magni in Asiam traiectu nobile celebrare. Magnas ille res in mari mediterraneo gessit, oceanum verò orientalem primus omnium Europæorum Regum aperuit. Alexandrum sequuta sunt inter successores eius, Demetrium, Seleucum, Ptolomæum, multa & insignia, quæque omnia priora facilè superent, in mari prælia. Hos deinde exceperunt Romani & Pœni hostes, ingentibus illi classibus, sed longè ingentioribus in mari cladibus concursuri. Pœnis denique semel, atque iterum, ac tertio demum bello superatis, ipsi Romani relicta terra in mare naualibus prælijs decreturi descenderunt; nec priùs incæpto destiterunt, quàm vna ad Actium nauali pugna sibi totique adeò terrarum orbi sub ipsum seruatoris nostri in carne aduentum pacē peperissent. Quanta rerū moles?

Macedo-

Macedonum obscura admodùm fama vsque ad Philippũ Alexandri patrem fuit, inde, & per eum crescere cum cæpisset, Eu opæ se tamen finibus continuit: superfudit deinde se in Asiam Alexandro duce. Hic accepto Macedonum imperio, pacata Græcia, & excisa mox Thebarum vrbe, ferox adolescens ad Hellespontum cum exercitu profectus, in Asiam trajecit, præter pedestres copias in quibus præcipua ejus vis sita erat, centum octoginta structis instructisque nauibus, quibus Amphoterum nauarchum præfecit; eumque oram Hellesponti, dum ipse Asiam penetrat, tueri jussit: mox tamen socijs ad hanc rem naues ex fœdere imperat; Amphoterum verò ad insulas, quæ passim Persarum præsidijs tenebantur, recipiendas misit. Inde fusis fugatisque ad Granicum amnem Persarum satrapis, ad ciuitates Lydiæ & Ioniæ, tractusque illius omnis vrbes vel recipiendas vel expugnandas se conuertit: & aliæ quidem omnes vltro in tam clari adolescentis potestatem & fidem concesserunt. Soli Milesij, quùm primùm datis ad eum literis deditionis spem fecissent, cognito mox classem Persicam appropinquare, venienti Alexandro portas clauserunt. Iamque obsidio à terra erat, tormentaque & machinæ admotæ, omnisque vis adhibita; cæterùm illam eo fidentiùs sustinebant Milesij, quòd auxilia in tempore à Persis affutura non dubitabant. Interìm Nicanor, socialis ad Hellespontum classis dux, quùm quieta ibi omnia essent, Alexandrum verò in Mileti vrbis maritimæ obsidione hærere accepisset, cum expedita centum sexaginta

Cap.38.

ginta nauium classe accurrit, tantaque festinatione in itinere vsus est, vt Pharnabazum cum quadringentis Cyprijs, Cilicibusque & Phænicijs nauibus aduentantem triduo præuerteret. Lada insula est portui Miletensi ex aduerso, non longè posita, ad quam primũ prælĩũ nauale inter Persas & Ionas pugnatum fuisse superiùs diximus. Quicquid insulam hanc inter & portum spatij erat, id omne classe sua Nicanor occupauerat. Persarum classis quùm aduenięns omnia priùs possessa reperisset, ad Mycalem promontorium substitit: inde Pharnabazus copijs eductis pugnandi copiam Alexandro fecit. Parmenio qui plurimùm autoritate in consilio castrensi valuit, detrectandum non esse censuit: eadem & reliquos pugnãdi libido tenuit. Alexander nec prouocatione hostium motus, nec suorũ impetu abreptus, à pugna nauali abstineri jussit: neue imperio magis quàm ratione, cum prouectioris ætatis ducibus certare videretur, consilij sui rationes expromere non grauabatur: imparem nauium suarum numerum, genus militum cum Cyprijs & Phænicibus exercitatione & vsu nautico neutiquàm comparandum: fortunam ab euentu haud quaquam similẽ: si vincerentur Persæ, pro quadringentis, quæ tum erant, nauibus, mille statìm carinas ex Caria, Phœnicia, Ægypto, Cypro, alijsque insulis veluti mari enatas ei aduenturas: sin aduersi quid, quod absit, Macedonibus contingeret, graue ad eos, forsan & irreparabile ex rei malè gestæ fama damnum redundaturum; vt cætera taceantur, Græciam omnem, quæ rerum gestarum miraculo nunc stupeat, ad primum

Alexander.

primum rei nuncium resumptis animis rebellaturam: denique se vniuersam oram maritimam, ab Hellesponto Ægyptum vsque & Cyrenem, in suam potestatem redigendo, vires hostium nauticas, quantæcunque illæ fuerint, inutiles & superuacaneas, Dijs fauentibus, breui redditurum. Vltimaità magno elatoque animo disseruit, vt maris imperium non tam animis quàm manibus Macedones jam complecti viderentur. Itaque omissa in præsenti maris cura, omnes ad vrbis obsidionem se accingunt. Ne tamen obsessis vel fuga mare pateret, vel auxilia à Persarum classe juxta stante subuenirent, Nicanorem portus fauces firmissimo nauium præsidio occupare jubet; ita terra marique obsessa Miletus capitur. Captam ira victoris solo æquauit. Nec tamen inde vestigio se priùs mouere voluit, quàm aliquod virtutis Græcæ in mare specimen Barbaris edidisset. Fortè accidit vt Pharnabazus quinque naues hostem ex more ad pugnam prouocaturas emitteret: in eas Alexander decem ex suis emisit. Persæ, vt qui liberam semper & integram prouocandi licentiam sibi fore animis præceperant, vbi aduersùm se iri animaduertissent, (vt prouocantes sæpe terror occupat) ad suos trepidè refugerunt: eos insequuti Macedones, nauem vnam capiunt; nec illud hujus victoriæ pulcherrimum fuit, sed quòd tantilla jactura ita repentè consternati sint Persarum animi, vt nocte sequente, omnes à Mycale, qua stationē hactenùs habuerant, tecti tenebris dilaberētur, veriti nè hostis ex rei gestæ fiducia postridiè ad se opprimēdos cū vniuersa classe veniret.

Mileti expugnatio.

Alexan-

Cap.39. Alexander hac victoria in mari contētus missam extemplò classē fecit, partìm quòd pecunijs, illo tempore ad eam alendam instruendamque indigeret, partìm quòd se hosti si totis viribus, aut iustis classibus concurretur, in hoc genere, neutiquàm parem fore existimabat. Classe dimissa in Ciliciam abit. Inter hæc Memnon, quem Darius Rex vniuersæ classi oræque maritimæ omni præfecerat, de bello Græciæ, ipsique adeò Macedoniæ inferendo cogitans, Chion insulam proditione cepit, Lesbon præter Mytelenem vrbem omnem recepit; hanc terra marique obsidet, sed in ipsa obsidione fato fungitur, quo nihil à Darij rebus alienius illo tempore contigisse potuit: erat enim Memnon, si quis alius, vir acer & impiger, quique liberum post missam Alexandri classem mare nactus, bellum ingens in Græciâ, pacem Antalcidæ singulis exprobando, conflaturus videbatur: quo consilio cum autore mortuo, liberiùs jam Alexander in Ciliciam, quo iter intenderat, ire pergit. Vbi ipso Dario ad Issum juxta mare profligato, fauces Ciliciæ, dejecto inde Persarum præsidio, perrupit, & ad Arbelam Darium magna cum strage iteratò vicit; inde memor quid ad Miletum se in mare effecturum promiserat, ad Phœniciam & mare deflexit; in itinere Damascum misso Parmenione, & cum vrbe vniuersam Darij gazam occùpat. Iam Syria, jam Phœnice omnis præter Tyrum in Macedonum potestate erat.

Memnon classis Persicæ præfectus.

Cap.41. Tyrus perpetua ducentorum quinquaginta aut eo ampliùs annorum pace & fœlicitate, loci

insuper

insuper fiducia (quòd in insula, quam mœnia vrbis totam complectebantur, sita esset) freta, satis esse rata si amicitiam Regis non abnueret, imperium longè recusabat. Erat hæc vrbs longè vetustissima nec poetarum fabulis celebris magis quàm vera historia nobilitata: cujus tanta erat olim diuitiarum affluentia, vt regalem in omni genere luxum facilè superaret: de maritimis loquor. Patet ex Ezechiele Propheta eò vsque luxuriæ & superbiæ progressos, vt vela nauibus ex serico contexerent, transtra verò non ex robore sed ex ebore fabricarent. Itaque quo tempore Nebuchodonosor Assyriorum Rex Phœniciam omnem & deinceps Ægyptum vastabat, hæc tum vrbs portas ei clausit, & imperium accipere renuebat. Potentissimus igitur Rex ad eam oppugnandam conuersus, totum tredecim annorum spatium in hujus vnius vrbeculæ obsidione insumpsit: difficilior oppugnatio erat, quòd Rex ille naues ad expugnandum non habuerat. Erat autem vrbs, quatuor nè minus stadiorum spatio à terra sejuncta, & profundissima aquarum voragine cincta: nec fame eam vllo vnquam tempore edomandi spes erat, quòd mare ad commeatus inferendos apertum omne & liberum vndique habebat. Veruntamen ingens Regem eam expugnandi incessit libido. Itaque immani quodam ausu ad molem in profundo jaciendam animum aduertit. Paletyrum, hoc est, antiquam Tyrum in continente ex aduerso positam diruit: inde materiam ad hanc voraginem explendam sumpsit. Anno deinde post cæptam obsidio-

Tyrus vrbs & eius expugnatio.

Nebuchodonosor.

obſidionem tertio ſupra decimum, anno regni decimo nono, cujus anni initio captæ erat Hieroſolymæ, perducto aggere & perfectis operibus, vrbem cepit, vt autor eſt Ioſephus in decimo Antiquitatum Iudaicarum libro. Quanquam nec ipſe Ioſephus mihi hujus operis immenſitatem ſatis animo complexus videatur; ita enim rem narrat quaſi ſimplicem in longitudinem aggerem à continente ad vrbis mœnia protêdiſſet. Quæ quamuis res erat per ſe ampla, longè tamen eam ab hujus operis magnitudine abeſſe conſtat. Prædixerat Propheta Ezechiel non ſolùm ipſum vrbis excidium, verumetiam morem modumque per quem excinderetur: *Adducam*, inquit, *ad Tyrum Nebuchodonoſor Regem Babylonis, & circumdabit eam munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & vineas & arietes temperabit in muros ejus: inundatione equorum ejus operiet te puluis eorum: à ſonitu equitũ & rotarum & curruum mouebuntur muri tui.* Ex quo profectò apparet, non modò aggerem, vt poſteà ab Alexandro, à littore ad vrbem perductum, ſed totum mare molibus circumquaque aggeſtis oppletum fuiſſe, ſic, vt vineis, & arietibus, omnibuſque operibus bellicis, non ſolùm à fronte oppugnari, verumetiam toto murorum ambitu, excluſo mari, circumſederi poſſet: errat enim profectò qui hac de re eò dubitat, quòd nuſquam in Ioſepho aut alia hiſtoria iſta reperiantur: non enim hiſtoriæ Prophetijs, ſed Prophetiæ diuinæ hiſtorijs humanis fidem faciunt. Itaque quæ Deus futura prædixerit, ea poſtea euenerint necnè, dubitare

non

non error eſt, ſed ſcelus. Ab hoc tempore totos ſeptuaginta annos, non vrbs ſed area Tyrus erat; idem enim erat hujus & Hieroſolymitanæ vrbis onus: quarum neutra ſtante Aſſyriorum imperio ſurrexiſſet: Sub Perſarum imperio vtraque ciuitas priſtinas opes vireſque recepit, ſed magis iſta, propter loci ſitum & opportunitatem. Itaque qua ſuperbia Nebuchodonoſoris olim mandata ſpreuerant, eadem nunc Alexandri imperia reſpuerunt.

Cap.42.

Erant ad illa vſque tempora molis Nebuchodonoſorianæ veſtigia in veteris Tyri littore extantia, vt memorat Ioſephus. Ab hijs admonitus eſt Rex quam potiſſimùm rationem iniret tam munitæ vrbis expugnandæ. Itaque ad materiam habendam Palætyron & ipſe diruit, noctes dieſque operi inſiſtit, indignum ratus ſi quod Nebuchodonoſor olim effecit, ipſe paria auſus perficere non poſſet. Sed cum hanc obſidionem multi literis commendauerint, & Quintus Curtius tantum non ob oculos poſuerit, lectoremque non vt olim geſtis adhibeat, ſed quaſi in re preſenti conſtituat, ac narrationis copia & perſpicuitate ſic afficiat, ac ſi ipſe lector pugnæ fortunam mœnia vel ſcandendo vel defendendo experiretur, fruſtra me facturum exiſtimaui, ſi rem hanc ſiue ijſdem ſiue alijs verbis huic noſtræ hiſtoriolæ insererem: illud modò notandum cenſui, molem hanc ab Alexandro jactam, vt operis magnitudine cum priore illa nullo modo comparandam, ita ad vrbem capiendam parùm virium, ſi verum volumus, non multum momenti fuiſſe habituram, niſi ægrò

animi

animi, & persisteretnè in incæpto, an absisteret alternis dubitanti, classis ex Cypro primùm, mox ex Græcia, totaque ora maritima victoris fortunam sequuta,aduenisset. Hijs instructus ex Sydone classem mouit: dextrum cornu ipse cum Rege Cypriorum, (cujus ibi centum viginti triremes aderant) tenuit, læuum Cratero cùm alijs Regulis tuendum tradidit, & ante portum Tyriorum progressus, pugnandi copiam hosti fecit. Tyrij non tam numero nauium mouebantur, quàm quòd Cypri, Aradi, Bybli, Regulos, socios nuper & amicos suos, cum copijs aduersùm se tendere cernerent. Cum orbe terrarum susceptum bellum suis viribus gerendum sibi esse querebantur. Itaque non solùm intra præsidia se continebant, verumetiam portuum fauces, ne qua hostis irrumperet, obstruxerunt. Alexander, qùum hostis apertè detrectaret, portuum faucibus classem vndique admouit, vt, si facultas daretur,viam vi aperiret. Sed tam firmis omnia præsidijs tenebantur, vt frustra omnes ea parte conatus futuros appareret. Itaque ad oppugnationem conuersus mare primùm clausit, & angustiorem annonam obsessis fecit: deinde numero nauium fretus classe vrbem pro vallo cinxit; Quid? quòd Rex huic generi militiæ frequenter se inseruit: junctis etiam nauibus turres & tabulata superstruxit: quas qùm mœnibus admouisset,ex omni parte comminùs cum hoste toto murorũ circuitu confligebatur. Nam ad aggerẽ quod attinet, vt nihil aliud,ipso certe corporũ objectu vno eoq; angusto tramite irruentẽ hostẽ viri fortissimi repulissent.

Septimo

Cap.43.

Septimo quam obsideri cæpta est mense, capta fuit vrbs Tyrus, emporium certè, quod inter omnes constat, terrarum orbis longè pulcherrimum,& vera mercatorum sedes. Sed præ omni mercaturæ genere natiuæ purpuræ piscatu fœlix censebatur. Erat autem purpura ex conchiliorum genere, quæ intrinsecùs animatam carnem continebat, & in medijs faucibus candidissimam habebat venam, qua executa, diues ille promanabat cruor, quo lanæ & sericæ, ad Regum & Imperatorum vsus, tingebantur. Sed enim fulgidissimus ille & augustissimus color, non solùm vsibus verumetiam oculis nostris jam subducitur, & in rerum deperditarum numero censetur. Id alij alia ratione euenisse putant. Alij ipsam purpurarum speciem interijsse rentur,quod nè credã,facit primùm ipsa philosophorum species interire negantium autoritas: deinde familiaris meus Ioh. Tredeschinius,prisci moris & simplicitatis vir, cujus ædes Lambethæ juxta Londinum positæ, rerum alioqui ab oculis nostris remotarum, & ab vltimis terrarum terminis vndique conquisitarum penus est & officina: is mihi inter alia vacuas purpurarum conchas monstrare solet: quas ipsas esse facile inducor vt credam,quòd ipsa testæ forma quamuis animal non magnum, immensæ tamen ingluuiei belluam esse prodit. Purpura autem voracior; prouerbio vsurpatur. Alij purpuræ quidem speciem manere, sed pretiosum illum siue succum siue sanguinem è conchilibus hauriendi artem defecisse autumant. Hoc placet: hanc sententiam tenendam Pancirolla suadet: qui de re-

Purpura natiua.

bus

rebus deperditis & inuentis librũ elegantissimũ scripsit; namquæ jam ex cocco baphico siue cochenilia conficitur, ea purpura quidem non est, sed fucus è frutice expressus, & ementito colore purpuram marinam referens, quique ab augusta illa specie longè longèque absit. Purpurarum verò piscatio varijs in locis exercebatur, sed mare Tyrium omnibus præcellebat.

Cap.44. Alexander Tyro digressus per Iudæam Ægyptum petijt, jussa classe vt ad Pelusium occurreret. Ægypti satrapas illo tempore erat Mazaces. Is inclinatam vndique post fugatum ad Arbelam Darium, Persarum rem cernens, victori portas Pelusij aperuit, totamque simul Ægyptum tradidit. Alexander classem aduerso flumine Memphim vsque, quæ Cairo nunc est, nauigare jussit: ipse terrestri itinere, Nilo ad dexterã relicto, per Bubastũ ad Heliopolim contendit, inde trãsito Nilo, Memphim & ipse venit. Vbi rebus ex voto cõstitutis, secũdo flumine ad Canobum descendit. Paulò inde ad Occidentem, vrbem à suo nomine Alexandriam condidit, non illam rerum venalium & mercimoniorum magis quàm bonarum literarum emporiùm totius orbis ab illa vsq; ætate celeberimum. Inde remenso itinere Hyrcaniam ad Aquilonem petijt, ipsumque mare Hyrcanum siue Caspium quod nunc de Bacchu dicitur, à littore salutauit. Quoniam verò nihil pro cõperto de vasti illius maris natura, & terranè vndique conclusum esset, an ad Oceanum Septentrionalem aliquà pateret, habere potuit, ideò ex suis vnum, Heraclidem nomine, naues longas expedire, & quoad

posset

possset omnia de ea re diligentèr explorata ad se referre jussit: fecit vt jussus est, & exploratum abijt, Heraclides, sed de reditu ejus nusquã mentionem factam reperio. Plinius certè Strabonem, & ipse Strabo Dionysium Afrum in suo de situ orbis libello versibus scripto sequutus, sinum maris esse contendunt: qualis Persicus, Arabicusq; sinus sunt, & ipsũ Mediterraneũ mare est, ostiumq; ejus ad mare Chronium, & glacialẽ Oceanum, quà noua Zemblan nunc est, statuunt: eaque mortales per multa deinceps secula tenuit opinio: eò magis, quòd ille quem dixi Afer longitudinem ejus totam trium mensium nauigationem esse prodidit. Nostris verò temporibus longìssimè ab omni mare distare deprehenditur: habetque ad Boream præter Moscouiam ingens illud Tartarorum dominium: quam regionem Cæsar Baro Heberstenius gemina legatione, altera Maximiliani, altera Ferdinandi Imperatoris ad Moschos defunctus, magna parte descripsit. Non igitur mare est, sed lacus, verùm is toto terrarum orbe maximus, ponto certè Euxino major, & salsis aquis fluens. In quo quùm multa sint mirabilia, nihil tamẽ est admirabilius, quã quòd tot tãtosq; in se fluuios, & inter alios, Volgã fluuiorũ post Obim maximũ, & justarũ inter se concurẽtiũ classiũ capacẽ in se recipiat, nusquã tamen sic receptos reddat, oportet profectò subterraneo aliquo meatu aliquà se effundat, siue in pontum Euxinũ, siue in sinum Persicum, siue in vtrumque, siue denique, quod magis putem, per terræ cauernas percolatus, dulcium rursus aquarum scaturiginem, Tigri & Euphrati

ad Auſtrum, Phaſidi verò alijſque innumeris, quæ in Euxinum pelagus labuntur, fluminibus ad Occidentem præbeat.

Cap.44. Alexander à mare Hyrcano, tranſmiſſo ſupra Babylonem Euphrate, Suſianam petit, & omnem Perſidem Indum vſque flumen vaſtat: quo trajecto ad Hypanis vſque fluuij, decem non ampliùs dierum iter à Gange diſtantis, ripam omnia ferro & armis perdomabat. Hic terminum ei Dominus exercituum, quem non tranſiret, ſtatuit: hic eum excepit ſeditio militum Orientem verſus vltrà tendere recuſantium; furioſa quædam eum inceſſerat libido, trajecto Gange, vaſtũ illum terræ tractũ, quo Regnũ nunc Chinenſe continetur, vincendo peragrare, vt ſic demũ Eoum Oceanum, rerum vt putabat terminũ, aſpectui ſuo penitùs ſubjiceret, ingenſque illud ſeptem mille quadringentarum quadraginta octo Inſularum Archipelagus, præter Iauas, Moluccasque, & Philippinas inſulas, in ipſo Orientis & Occidentis conterminio poſitas, claſſe ingreſſus occuparet; Herculem Liberumque patrem, quos ſolos æmulabatur, ſi hanc metam attigiſſet, abundè ſuperaturus, & viciſſet forſitan pertinax Regis deſiderium obſtinatos militũ animos, ni Cænus, ducum Macedonicorum vnus, eum in concione admonuiſſet, ad Oceanũ, quem tantopere votis expetebat, breuiore ad meridiem itinere perueniri poſſe. Itaque duodecim ibi ingentes ex quadrato ſaxo aras, expeditionis ſuæ monumentum poſteris futuras poſuit, retròque ad Aceſinem amnem iter flexit; ibi mille, vt Curtius, bis mille, vt Arrianus,

bus naues, non fluuiatiles aut actuarias, ſed ipſum mox Oceanum paſſuras ædificauit. Dixi modo Dominum exercituum ei hoc loco victoriarum terminum ſtatuiſſe; alioquin mirari liberet, quid homini terrarum imperio complectendarum ad inſaniam vſque cupido in mentem venerit, per Aceſinem & Indum fluuium, potius quàm rectà ab Hypanis amnis capite ad Oceanũ & meridiẽ iter facere. Hoc enim itinere, promptiſſimis militum ſtudijs, in ipſum ſinum Gangeticum, qui nunc Golfo de Bengalâ dicitur, deſcendiſſet,totamq; intra Gangem Indiam, vbi nunc Mogoll longè latèque imperitat, occupaſſet; glorioſiorem multò Gangis quàm Indi fluminis oſtia victoriarum ſuarum terminum habiturus. Sunt qui oraculis & reſponſis diuum vetitum ferunt, ne Hypanim tranſiret; quaſi verò is fuiſſet Alexander, qui oracula vnquam implere magis quam eludere cupiuiſſet. Alij ſqualore regionis & periculorum magnitudine deterritum affirmant: ſed is erat Alexander qui pericula, quò majora erant, eò ſemper vt ſe digniora cupidiſſimè adibat: nam ad regionis ſqualorem & vaſtitatem quod attinet, ſatis conſtat, omnem inter Indum & Gangem regionem, & frugum vbertate & rerum abundantia cum quacunq; Orientis regione comparandam eſſe,ne dicam præferendam. Errore regionis deceptum puto, Indum rectà inde ad meridiem tendere exiſtimantem: quùm ſi quis caput Hypanis fluuij, vbi aras ſuas ſtatuit Alexander, cum Indi oſtijs quà in Oceanum exit, conferre velit, mille ferè & quingentis milliaribus ea in-

ter se longitudine differre sentiet. Nauibus igitur comparatis instructisque, Alexander remigia, è Phœnicibus, Cyprijs, Caribus & Ægyptijs expleuit, trierarchos etiam, ex nobilissimis constituit, Hephæstionem, Leonatum, Lysimachum, Perdiccam, Ptolomæum, & alios, summæ omnes dignitatis viros; quibus omnibus Nearchum, Cretensem genere, nauarchum dedit: ante tamen quàm oram solueret, post deos patrios, Neptunumque & Oceanum, Hydaspi flumini, vnde soluebat, Acesini quoque, quòd in eum Hydaspes influat, & Indo, in quem vterque fertur sacrum pro more fecit; sub fine sacrorum, signum deducendis nauibus tubâ dari jussit: quo audito, naues suo quæque ordine, triremes, onerariæ, Hippagines, deducuntur. Edictum etiam erat, quanto spatio naues alteræ ab alteris inter nauigandum cursum tenerent, nè temerè nulloque ordine ruentes inter se collisæ frangerentur. Miranda res erat, tot remorum eodem tenore flumen verberantium sonitus, tot nauclerorum pari celeusmate cursum moderantium cantus. Neuè quis tantam classem tantosque apparatus nauticos in flumine fieri demiretur, sciat oportet fluuios hos & latitudine & profunditate præstare. Nihil Africa Nilo, nihil Europa ad fluuios quod attinet, Danubio maius habet: Indus tamen fluuius quà minimus fluit, vtroque major est, vt mirum non sit, si tantam tum classem ceperit.

Alexandri per Indum fluuium nauigatio.

Cap. 45. Alexander secundo amne defluens, quadraginta stadia in dies singulos confecit, nec longè progressus ad Indi, Acesinis & Hydaspis, trium

tota

tota India poſt Gangem maximorum fluminum confluentiam peruenit. Horum tantorum fluminum in loco arcto & altioribus ripis coercito concurſus fluctus marinis ſimiles excitabat, & aquarum vortices quauis procella periculoſiores. Duæ totius claſſis maximæ triremes inſpectante Rege vorticibus hauſtæ mergebantur, aliæ ad ripas expulſæ frangebantur: ipſe Rex, quà vorticoſiſſimus amnis erat, incurrit. Ibi nauis nunc hâc nunc illâc obliquata, omni parte vndam accipiebat. Iam veſtem poſuerat Rex, ſi nauigando non proficeret, extremum nando periculum ſubiturus: & amici, vt nantem exciperent, in fluuium ſe projecerunt: ſed nautæ, vt tantum vectorem periculo eriperent, vltra vires humanas remis incumbentes, alliſo demùm ad ripam nauigio, Regem vtcunq; incolumẽ in terram ejecerunt. Quinque huic nauigationi fluuiatili menſes inſumpti; vndecimo in Patalenam peruentum eſt. Ibi Indus ſe in quinque, vt Nilus in ſeptem, radios diuidit, totidemque oſtijs in Oceanum effunditur. Vnde Strabo regionem hanc cum Ægypti Delta, ex veterum ſententia comparat. Iam quadraginta milliaria confecerant, quùm gubernatores agnoſcere ſe auram maris, nec procul inde abeſſe Oceanum vociferantur. Rex vt certius quid addiſceret, quoſdam è ſuis in agros emiſit, qui agreſtes exciperent: hij de mare & Oceano interrogati, mare quid eſſet ſe ſcire negabant, tertio tamen die ad aquas ſalſedine vitiatas perueniri poſſe aiebant. Intellectum eſt, ab Oceanus quid eſſet ignorantibus aquas ſalſas & mare denotari. Itaque omni ſtudio remigio incumbunt.

Patalena.

Tertio die, dulces hactenùs fluuij latices subeunte mare salsedine infici & vitiari senserant: vlteriùs progressis tot votis expetitus Oceanus se aperuit: & vndam forte refluentem sequuti, longiùs quàm loci & Oceani naturam nescientibus par erat, in altum prouehuntur: quùm subitò, vbi mare priùs erat, vasti arenarum campi se ostenderunt. Iamque & ipsi subducente se mare destituebantur, & Oceanus longè ex oculis aufugerat: naues autem aliæ in celsa arenarum mole, veluti in prærupto monte pendebant, aliæ in latus procumbebant, aliæ, vt loci fortuna tulit, mole sua euersæ, & aliæ in alueis veluti collium conuallibus subsederant. Apparebat tandem, quod Oceanum putabant, ingens æstuarium fuisse: hoc autem maris Mediterranei accolis, nec talibus Oceani reciprocationibus assuetis propter rei nouitatem, non miraculo, sed monstro erat. Iam Rex temeritatem ipse suam apud amicos confiteri, & simul rerum, simul vitæ finem sibi suisque adesse credere: belluæ quoque fluctibus destitutæ terribiles vagabantur: miles subsisteretnè in nauibus an in arenas egrederetur in incerto erat: manentibus certa fames, egressis quod fati manebat genus in dubio erat: tandem Oceanum cum sonitu redeuntem, & albicantem præ se spumam agentem cernunt: id verò salutemnè miseris, an præsens exitium allaturum esset planè ignorabant. Cœterùm cùm subeunte jam mare naues paulatìm leuari, & cum æstu ad terram referri cernerent, ingens omnes ex insperata salute gaudium cepit. Alexander quùm ex paucorum dierum obseruatione

Alexandri in Oceano Indico periculum.

one

one, maris naturam, & ſtata fluxus & refluxus tempora annotaſſet, commodam mox tempeſtatem nactus cum paucis nauigijs os fluminis penitùs euectus, & quinque modò milliaria in apertum Oceanum progreſſus, nec fortunam vltrà tentare auſus, Dijs marinis ſacra inſtaurauit: tauros Neptuno cæſos in mare projecit, & libatione ſacrificio additâ, phialam auream, aureos etiam crateres, gratias Dijs agens, veterum paganorum ritu, in vndas immiſit: vota inſuper pro claſſe, quam jam tum ad mare illud omne, quod Indum amnem & ſinum Perſicum interjacet, explorandū animo deſtinabat, ſuſcepit. Inde ad claſſem & exercitum redit, vbi confeſtìm ſermonem cum Nearcho habuit, quem potiſſimum virum expeditioni nauticæ, quam intenderat, ducem daret.* Aliquot nominatis, quum ſinguli iter illud abominati longè recuſarent, nec aliò ſe, quam ad certam mortem, amandarī dicerent, Heraclidis etiam ad mare Caſpium ſpeculandum miſſi, nec vſquam poſtea comparentis mentionem identidem inferrent, tandem Nearchus ipſe operam ſuam in eam rem Regi pollicetur. Grata ea res Alexandro fuit: ſed inuitus fecit, vt quem tantopere diligeret, eum in periculum tantò apertius quantò ignotius mitteret. Quùm verò ille non ſolùm eam ſibi prouinciam demandari majorem in modum peteret, verumetiam ſpem rei ipſius exequendæ faceret, tum Rex eum ex nauibus validiſſimas deducere, & bonis auibus proficiſci jubet: additur ei comes Oneſicritus, nauis ſemper, in qua Rex ipſe ferri ſolitus, gubernator. Iamque

Nearchus.

Maris Indici nauigatio ab Alexandro inſtituta.

Oneſicritus.

& milites, quum tam illustres viros huic negotio præpositos viderent, certatim & ipsi nomina dare, & in tam claram militiam ascribi cupere: tantum viris animorum dat ducum sub quibus militandum est, fiducia. Hijs ita constitutis, Alexander ad Occidentem, & Babylonem versus iter conuertit. Nearchus verò, quamuis classem instructissimam jam haberet, quo minus nauigaret tamen impedimento pro tempore venti erant. Media jam æstas erat, æstate verò omni venti quidam annui, quos Græci Etesios vocant, toto illo mari spirare solebant, & etiamnum solent, certi adeò, vt nec sol ipse certius quicquam in suo cursu habeat: sex nimirum menses æstiuos altera, totidemque brumales è diuersa planè regione flant. Vnum modo, res antiquas cum modernis comparanti, mirandum occurit. Nostri enim nunc homines, statos hosce ventos æstate ab occidente ad orientem, & vicissim ab ortu ad occasum hyeme flare comperiunt. Veteres autem, & inter eos Arrianus, qui ipsum Nearchũ rerũ harũ gestorẽ simul & scriptorem sequitur, eos æstate omni, ab Austro in Aquilonẽ illis temporibus spirasse refert.

Cap.46. Nearchus sub finem Boedromionis, hoc est, medio ferè Septembris nostri ventum ferentem nactus, vela facit: flexoque à sinu Canthi, ad Occidentem itinere, littus vsque legebat, omnia summa cura & notans oculis, & si quà in terram descendisset, perquirens. Post aliquod deinde tempus, Alexander quum in Caramaniam peruenisset, & forte in vrbe maritima, cui Salmunti tùm nomen erat, festa ageret,

Nearchus

Nearchus & Onesicritus eodē cum classe appulerunt: statim igitur è nauibus egressi Regem in theatro tum forte spectaculis intentum adeunt, quæque comperissent, coram rege & exercitu exponunt: referebant autem mirificos in Oceano maris æstus & reciprocationes fieri, ac per refluxus magnas multasque insulas enasci, eas rursus redeunte mare absorberi: inter hæc grandia vbique cete in oceano occurrisse nauium suarum molem longe exuperantia, quorum metu perculsos initio spem omnem vitæ abjecisse, vt qui confestim cum ipsis nauigijs perituri videbantur: saluti fuisse quod sublato clamore collisisque scutis, & tubis quantum plurimum valebant clangentes pauorem belluis incutiebant; rei nouitate territas cum horrendo stridore profundum subijsse: narrabant insuper se ab incolis comperisse, Rubrum mare (quo nomine totum ab Arabico vsque ad Gangeticum sinum mare appellatur) non à colore maris, quod vulgò credebatur, sed ab Erythro Rege vocitari: esse haud procul à continente insulam palmis frequentibus consitam, & in medio fere nemore columnam eminere: eam Erythri Regis monumentum esse literis gentis ejus inscriptam: nauigia quæ lixas mercatoresque ferebant, famam auri, quo regio illa abundare ferebatur sequutos, in terram egressos ad se posteà non redijsse; quibus rebus mirificè delectatus Rex, & plura de hijs cognoscendi cupidine accensus, rursus eosdem terram legere jubet, donec ad Euphratem classem appellerent, inde aduerso amne Babylonem subituri: ipse animo infinita complexus

Maris Indici descriptio.

Mare Rubrum.

plexus omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria per Ægyptum Africam petere instituit. Carthagini infensus quòd præter jus gentium, quo tempore Tyrum oppugnabat, legati eò missi eorum partes consouissent; nauigiaque ad vxores eorum & liberos cum maximi pretij rebus Carthaginem asportandos præbuissent. Et hijs quidem capta statim vrbe, ad se deductis juris gentium reuerentia pepercit: veruntamen jam tum infensus bellum se olim Carthagini illaturum denunciauit: Carthagine verò subacta per vastas Numidiæ solitudines, ad Gades in Hispania, trajecto ad Herculis columnas freto, trãsmittere cogitabat. Inde peragrata Hispania, Gallia, Italia, per Illyricum & Epirum in Macedoniam & Græciam vindictam de Atheniensibus sumpturus redire statuit. Quæ quamuis vasta & animi humano fastigio celsioris videri possint, multò tamen probabiliùs a Curtio referuntur, quàm quæ à Plutarcho in Alexandri vita ex Arriano memorantur; decreuisse, quùm Babylonem venisset, secundo Euphrate, in Oceanum delapsum, inde omni Arabia, omni Africæ continente circumita, per columnas Herculis in mare Mediterraneum inuectum Græciam repetere in animo habuisse. Quicquid erat, illud certe ex ipsius commentarijs post mortem inuentis (vt à Diodoro recitantur) inter alia constat, eum Syriæ præfectis imperasse, vt ingentem materiæ vim ex Libano ad mare deducerent: ibi mille naues, septiremes omnes, vt Curtius, triremibus certè majores, vt Diodorus, aptari, nautasque & re-

miges

miges tantæ classi instruendæ pares comparari jussit: magnum insuper nauium numerum Cypri, Cariæ, Ciliciæque Regulis imperauit, terrorem Europæ si eò redijsset, tantis apparatibus primo aduentu incussurus. Sed ex India Babylonem reuersus, ibi seu vino, seu quod magis creditur, veneno perijt.

Alexandri mors.

Cap. 47.

Regni Macedoni destructio.

Sublato Alexandro, totum illud imperium in frusta veluti dissectum proceres Macedonici ad se rapuerunt. Antipater, qui venenum præbuisse dicitur, Macedoniam & Græciam, Lysimachus Thraciam, Seleucus Bactra & Indos, Antiochus Asiam, Ptolomæus Ægyptum inuasit, alij alias tanti regni partes occuparunt. Quorum Antipater bellum ab Alexandro Atheniensibus indictum gessit & confecit. Bellum ipsum Lamiacum dicebatur. Causa belli hæc erat; Alexander literis ex India datis exules Græciæ, in suos quosque vrbes restituendos edixerat: huic edicto apertè aduersabantur Athenienses, quoduis bellum, qualemcunque fortunam & ipsius Alexandri iram subituri, potius quàm quos legibus in exilium egissent, contra leges in vrbem recipi paterentur. Itaque Leosthenem ducem deligunt: is accepto imperio, ita se ad bellum comparabat, ac si mox ipsi Alexandro in acie occursurus esset: nuntio deinde de morte Alexandri allato, majore jam fiducia Antipatri mandata aspernabantur, & Græciam liberandi occasionem sibi à Dijs oblatam rati, omnes Græciæ populos ad res nouas missis legationibus concitabant. Antipater tantam belli molem imminentem videns, exercitum quàm

Bellum Lamiacum.

potuit

potuit celerrimè contraxit, vt Leosthení aduersus se ducenti extra tamen fines Macedoniæ occurreret; classem etiam vterque dux non contemnendam comparabat, sed pedestri primùm certamine cōcurrere auebant, in quo victus Antipater Lanmiam fugit : vnde facta eruptione Leosthenem quidem occidit, ipse tamen obsidione se nonliberauit; qua paulò pòst à Leonato soluta, graue prœlium inter Leonatum & Antiphilum Atheniensium ducem consertum, in quo cecidit Leonatus. Sed quùm eodem tempore Macedones maris imperium obtinerent, Athenienses veterem in mari gloriam recipere cupientes, centum septuaginta validissimarum nauium classem conficiunt, classis verò Macedonica ducentarum viginti nauium numero constabat, cui præfectus erat Clitus. Hic cum Ætione Atheniensium nauarcho ad Echinadas insulas congressus, gemino prœlio victor, classem hostilem minuit. Iamque Antipater auctis ex Asia copijs Athenas iter intendit: qua re perculsi Athenienses, legatos ad eum de pace mittunt. Sed quùm Antipater non alijs conditionibus bellum se finiturum respondisset, quàm si se suaque omnia ipsius arbitrio permisissent, illi, à socijs deserti, & in vltima necessitate constituti, liberam Antipatro de se statuendi potestatem faciunt, qui pristinam ciuitatis dignitatem reueritus, nihil grauius in eos statuit, quàm vt Lysandri exemplo statum popularem in Aristocraticum mutaret. Id autem illis perinde erat, ac si quis nunc Geneuæ pulso Euangelio Romanam ecclesiæ regendæ formam induceret. Mortuo verò

Classes & pugnæ nauales.

Pugna gemina nauâlis inter Macedones & Athenienses.

Athenæ deditæ.

verò paulò pòst Antipatro, quùm Polyperchon in Alexandri liberorũ tutela & regni Macedonici administratione successisset, is eundem Clitum, cujus ductu res prosperæ dudum administratæ fuerant, maris imperium vt priùs tenere jussit: cujus successibus inuidens Antigonus Asiæ Rex omnes confestìm vires intendit, vt eum in mari debellaret. Clitus illo tempore mandato Polypercontis circa Hellespontum statiua habuit, curare jussus, vt ne quæ copiæ ex Asia in Europam trajicerent. Ad hunc opprimendum Nicanor cum tota Antigonj classe properabat, sed graui clade à Clito afflictus, classem primò, deinde & vitam eo prœlio amisit. Antigonus accepto cladis hujus nuncio, veritus ne rei fama dignitatem suam ad socios imminueret,nihil antiquius, quàm vt classem reficeret, & prœlium cum Clito instauraret, habuit:& fortè accidit, vt hoc secundo prœlio & Clitum ipsum & totam classem Macedonicam opprimeret; sed quùm Antigonus toto mox quadriennio in Seleuco terra Babylonica, Mediaque & Armenia & toto Oriente Indum vsque fluuium pellendo vires insumeret, interim Ptolomæus cum Cassandro (is enim hoc tempore ab Antiocho defecerat) Eumeneque & Lysimacho conjunctus, recepto etiam ad se Seleuco qui pulsus Babylone ad Ptolomæum confugerat, totum quod Phœniciam & Græciam interjacet mare magnis classibus obtinebat. Reuersus igitur Antigonus, illud imprimis curabat, vt maris dominium recuperaret. Itaque coactis vndique qui ligna cæderent & dolarent opificibus, materiam ex Libano

ad ma-

Antigoni naualia. ad mare deduxit: tria insuper ad hanc rem naualia in Phœnicia instituit; quorum primum ad Tripolim, alterum ad Byblum, tertium ad Sidonem comparatum erat, quartum etiam in Cilicia, quò ligna ex Tauro monte deuehebantur: Rhodi denique aliud vbi naues omnis generis ex materia aduectitia construebantur. Quibus operibus dum intentus hæreret Antigonus, venit ex Ægypto Seleucus cum centum nauibus regalitèr instructis, & præter ora Antigoni (qui tum fortè à mare non longè aberat) totiusque exercitus præteruehitur, qua fiducia vt duci iram stomachumque mouit, ita exercitus hostilis animos non mediocritèr preterrefecit, frustra vt Babylone pulsus videretur Seleucus, si plus jam Ptolomæi satelles, quàm totius modò Orientis dominus terroris incuteret. Antigonus bono animo suos esse jussit, quantos tum nauium apparatus faceret, edocuit: se breui cum quingentarum nauium classe mare ingressurum, & fiduciam istam hostibus in formidinem versurum esse pronunciauit. Nec promissis fides defuit: nondum enim exacta æstate, classe in mare immissa, partem ejus ad Tyrum Ptolomæi partes sequutam obsidendam misit, eamque post annum & tres menses fame edomitam expugnauit. Tota verò classis Antigoni hoc tempore, ducentis quadraginta longis nauibus constabat: ex hijs nonaginta quadriremes erant, penteres decem, deceres totidem, enneres tres, reliquæ apertæ erant, & quinquaginta aut ad summum sexaginta remis agebantur: hac classe diuisa quinquaginta ad Peloponesum tutandam mittit,

Seleucus.

Tyri expugnatio.

Antigoni classis.

mittit; eò enim Ptolomæus tantundem nauium ad bellum Polyperconti inferendum miſerat: cœteris Dioſcoridem ex fratre nepotem præficit, cum mandato vt huc illuc nauigando ſocios tutaretur, inſulaſque quas poſſet parti ſuæ adjungeret; denique daret operam vt mare liberum & in poteſtate haberet. Hæc ille mandata impigrè exequutus, inſulas obibat, quarum alias vi, alias conditionibus ad Antigoni partes pertraxit; denique ad Lemnum inſulam cum claſſe Ptolomæi congreſſus, naues quotquot erant omnes oppreſſit, & Ariſtotelem claſſis præfectum occidit. Qua victoria & Lemnum recepit, & Theodoti à Polycleto Ptolomæi nauarcho nuper cæſi mortem ſatis ad vindictam, ſatis etiam ad gloriam vltus videbatur. Iamque Demetrius Antigoni filius, is qui poſteà, ab vrbium quas diuerſis terrarum partibus expugnauerat multitudine, Poliorcetes dicebatur, in rerum gerendarum ſcœnam prodire cæpit. Hic nondum plena pubertate gaudens, à patre copijs præficitur: ſed temerè cum Ptolomæo Rege, veterano duce terreſtri prœlio congreſſus cladem accepit: quam tamen ipſam paucis poſt diebus Cillo copiarum Ptolomæi duci in Paleſtinæ finibus cum graui fœnore rependit: cæſo enim hoſtium exercitu, ducem ipſum viuum cepit: qua tanta virtute filij ſui lætus, vt par erat Antigonus, eum paulò poſt ad Arabas ſubjugandos miſit. Demetrius, regionis nuditate conſpectâ, & ſupra ætatem moderatis conſilijs vſus cum Nabathæis (Arabum & illi populus ſunt) pacem fecit.

Pugna naualis.

Demetrius Poliorcetes.

Cap.48. In reditu, ad Aſphaltitim caſtra poſuit. Lacus is eſt ad Orientem & Auſtrum à Iudæa poſitus, nomen ipſum ex re ſortitus. Eſt enim

Aſphaltis Aſphaltis Græcis, quod Latinis Bitumē dicitur, cujus ingens copia in lacu illo, præ omnibus omnium terrarum locis, natura ſe præbente, reperitur. Sexaginta ferè milliaria ab Aquilone in Auſtrum protenditur, latitudine ſeptem circitèr complectitur: ſed tanta eſt aquarum in eo amaritudo, cum infando fœtore & ſalſedine conjuncta, vt non ſolùm fluminum Arnonis, Zaredi & ipſius Iordani, in eas decurrentium dulcedinem omnem ſubigat, verùmetiam aerem ipſum ad multa circumquaque milliaria tetro halitu corrumpat: nullum piſcem aut gignit, aut

Mare mortuum. aliunde allatum nutrit: inde mare mortuum Latinis dicitur. Sed hoc tamen habet iſtud non naturæ, ſed iræ diuinæ monſtrum commodi, quod nulla in eo naufragia, nullæ mortalium ſubmerſiones metuantur: nihil enim viui, ac ne quidem vegeti in ſe recipit. Id Veſpaſianus, quùm Iudæam olim ſub Nerone prouinciam obtineret, hominibus quibuſdam in eum nullo eorum incommodo dejectis, experimento cognouit. Statìm enim vmbilico tenùs extantes aquis inambulabant. Ex hujus medio ſolidi bituminis maſſa, trium ferè jugerum latitudinis quotannis emergit, & veluti inſula quædam ſubitò enata, dorſo aquarum innatat, tuberoſa adeò, vt monticuli ſpeciem longè ſpectantibus præbeat: inde fauilla, ventis ferentibus terris vndique adjacentibus inſpergitur, nebulas etiam atras ſæpenumerò exhalat: hæ æri, ferro, ar-

gento,

gento, ipſi etiam auro non ſolùm natiuum colorem auferunt, verùm etiam triſtem quendam luridumque pallorem & rubiginem inducunt. Vnde accolæ, quùm primùm vaſa ſitum contrahunt, bituminis eruptionem vigeſimo inde die aut eò circitèr expectant, ſeque ſcirpeis & arundineis nauiculis ad Taurum, quem vocant, (ea enim eſt maſſæ emergentis ſpecies, teſte Ioſepho,) quærendũ cõparant. Vbi inuenerint, ſecuribus armati inſiliunt, & veluti ex ſolidiſſimis latomijs, quam quiſque partem occupauit, ex ea quantum facultas eſt, ſecando auferunt: ſæpe etiam digladiatio fit, concurriturque, & nunc junceis nauigijs, nunc in ipſa maſſa, veluti patenti campo inter riuales dimicatur. Vnicæ nimirum hæ ſunt regionis illius omnis diuitiæ: quarum copiam longè maximam in Ægyptum, partìm ad nauium, partìm ad funerum curationem deferunt. Vetere autem Dei judicio, (ſi tamen illud vetus dici debeat, quod etiamnùm viget) terra omnis circumjecta nihil prorſùs ad vitæ humanę vſum gignit: fructus quidem generat, ſed quos manu ſi attigeris, in cinerem illicò dilabũtur. Hinc vuæ Sodomæ, prouerbij loco, ad rem ſpecie amplã re inutilem declarandam, in ſacris Scripturis ab ipſo Deo vſurpantur.

Erat enim Sodoma huic lacui vicina, vrbs olim ampliſſima: vnde & mare de Sodoma appellari ſolet. Hanc autem ciuitatem cum Gomorra & alijs quinque ciuitatibus fulmine de cœlo miſſo conflagrare juſſit Deus. Sed parùm erat conflagraſſe vrbes: in terram ipſam penetrauit flammæ vis, cujus vena ad hunc vſque di-

Sodoma.

em durat, & in abominandi sceleris testimonium iin finem sæculi perdurabit. Interim verò ignis lle sulphuream terræ glebam nactus, liquifactum bitumen per subterraneos meatus in hunc lacum expellit; cujus quidem bituminis ea natura est, vt quamprimùm vel aërem vel aquam senserit, in eam quam cernimus duritiem concrescat. Nam ad eos quod attinet qui Sodomam reliquasque tractus illius vrbes in ipso lacu constituunt, quod Cosmographi ferè faciunt, multum illi, mea quidem sententia, à veritate aberrant. Primùm enim Diodorus, Sodomæ vestigia, sexaginta stadiorum ambitu, sua ætate extitisse memorat. Deinde Iordanus fluuius, è Libano monte ortus, per Tiberiadem decurrens, & salutatis Iereauntis in cursu mœnibus, in hunc ipsum lacum omni tempore defluxit, nec vllus vlterius supra terram ad elabendum datur exitus, sed lacu haustus & ipse & alij qui eidem illabuntur fluuij, vt à mare Hyrcano Volga, cœteraque ejus tractus flumina, absorbentur. Denique sacræ Scripturæ euersas vrbes illas non submersas, & flammis non aquis haustas fuisse docent.

Demetrius igitur quùm in reditu ad hunc lacum castra posuisset, nihil vltrà mouendũ cẽsuit, quam vt rerum notitiã cõpararet; ad patrẽ deinde reuersus, magnũ inde ex bitumine reditum parari posse exposuit, cujus dulcedine allectus Antigonus, Demetrio apud se retento, ducem è suis vnum nomine Hieronymum cum exercitu eòdem properare jubet: edicit etiam vt classem apparet, bitumenque omne collectum fisco vindicet. Cui tam importunæ habendi libidini

euentus

euentus non respondit: Arabes enim quùm id agi prospicerent, vt vnicus ille terræ suæ prouentus auferretur, ad bellum & ipsi cum externo & auaro hoste gerendum se vertunt. Medio lacu concurritur: pugnæ exitus erat, Hieronymus cum exercitu, vix vt quisquam superesset, Arabum jaculis & sagittis conficitur. Ita ne mare quidem mortuum suo nauali prœlio caruit.

Pugna naualis in mare mortuo.

Demetrius interim ad rem naualem conuersus, patrem suum atque adeò omnes ante se mortales classis magnificētia longè superauit: vt enim Antigonus à quadriremibus ad deceres, ita Demetrius à deceribus ad sedecim remorum ordines classē extruxit, præter vnam, quam triginta versuū ædificauit, quale portentū, ne ipse quidem Nereus ante illa tempora vnquam in mare viderat. Hujus verò classis magna apud omnes gentes admiratio fuit. Ferunt adeò Lysimachum notæ alioqui fortitudinis & audaciæ virum, & Demetrio patrique ejus infensissimum, quûm Solos Ciliciæ vrbem maritimam obsideret, & Demetrius cum classe ad liberandam obsidione vrbem accurrisset, per nuncium ab eo petijsse, vt naues nauigantes, machinasque in turribus dispositas ostenderet; quûmque id impetrasset, admiratione victum discessisse.

Cap.51.

Classis Demetriana.

Graui illo tempore seruitute Athenæ à Ptolomæo & Cassandro tenebantur. Itaque Antigonus & Demetrius cum omnē, à Babylone Hellespontum vsque, Asiam imperio & armis obtinerent, parum id rati, ad Græciam liberandam se conuertunt: cujus tam præclari facinoris initium, ab Athenis faciendum esse censuerunt. Itaque

Cap.52.

Demetrius patris jussu Athenas cum ducentarum quinquaginta nauium classe petit. Vrbem tum Ptolomæo & Cassandro Demetrius Phaleræus optimatum ab Antipatro institutorum princeps asseruabat: Munichia verò (castellum illud erat, quales nos hodie Citadellas dicimus) veluti jugum vrbis ceruicibus ab Antipatro impositum, valido præsidio tenebatur. Venientem tota vrbs in Pyræum inermis effusa excepit, rati classem esse à Ptolomæo missam: serò duces intellecta re ad arma conclamant, tumultuatumque aliquantisper circa portum erat, vt fieri par erat, ab hijs qui hostem improuisò in sinum acceperant. Demetrius quùm Pyræi fauces apertos offendisset, introque tutus nauigasset, omnibus jam conspicuus, signo è naui dato, silentium fieri postulabat. Facto silentio, per præconem edici jussit, se filium Antigoni à patre missum, vt quod fœlix faustumque sit, ejecta optimatum tyrannide Atheniensibus libertatem pristinam & rempub. restitueret. Hijs dictis populus, quotquot armati processerant, scutis, vt mos erat, ante pedes projectis, Seruatorē eum & benefactorem suum salutabant,& in terram egredi, vrbemque à se seruatam vt intraret, & inuiseret precabantur. Ille quamuis incredibili vrbis videndæ studio se teneri non dissimularet, ante tamen quàm ejecto Munichia hostium præsidio vrbem penitùs liberasset, eam intraturum se pernegabat. Itaque Munichiam vallo fossaque cinctam paucis diebus expugnat. Tum rogantibus ciuibus lubens intrauit, vocatoque ad concionem populo, leges, libertatem, rempub. restituit,

Athenæ à Demetrio libertate donatæ.

ſtituit, & quoniam claſſe pridem ad Echinadas duobus aduerſis prœlijs amiſſa,nihil in præſenti mare poſſent, ideò ſe ad centum triremes fabricandas aptandaſque materiam extemplò præbiturum ſpoſpondit. Athenienſes quùm poſt decimum quintum jam annum (tot enim à pugna Lamiaca interceſſerant) Demetrij beneficio ciuitatem ſuam recepiſſent, omnibus ſtatìm diuinis humaniſque honoribus liberatorem ſuum cumulabant. Parum erat Antigonum & Demetrium Reges (quod nemo ſucceſſorum Alexandri hactenus vſurpauerat) ſalutaſſe: Seruatores ſuos & Deorum maximos appellabant: templa vtrique ſua & altaria ſacrificulis additis poſuerunt. Et alios quidem deos, vel ſomno captos, vel peregrè profectos, vel ligneos, vel lapideos, vel omnino nullos eſſe, ſolos hos, vera viuentiaque numina cenſenda, hymnis & cantibus prædicabant. Audiantur verò & iſtis (ſi fœda magis eſſe poſſint) fœdiora: non contenti Demetrio ipſi ſtatuiſſe, Leænæ & Lamiæ ſcortis ejus templa & aras ſtatuerunt. Adeò quidem vt ipſe Demetrius tantis demùm ſordibus offenſus, nullum planè Athenis ſupereſſe nunc virum adjurauerit. Enimuerò hæc erat ad Marathonem olim, ad Salaminem, ad Platæas & Eurymedonta fluuium aduerſus Perſas pugnantium ſoboles. Ideò autem flagitia hæc commemorare volui, ne quis miretur vrbem Regiam olim & ſacrarium & concilium Græciæ, ab oraculo primùm, deinde etiam communi hominum voce nuncupatam, hijs moribus perpetuæ deinceps ſeruituti opportunam priùs factam fuiſſe, quàm obnoxiam.

Athenienſium adulatio.

Cap. 53. Demetrius Athenis digressus, ad Megaram, Corinthum, aliasque Peloponesi vrbes pari fortuna eximendas nauigat. Sed quùm eodem tempore Menelaus Ptolomæi frater, cum magna classe circa Cyprum hæreret, à patre reuocatus, eò cum classe ocyssimè contendit: vbi primo statìm aduentu Menelaum graui prœlio vicit, & Salaminæ inclusum, arcta statìm obsidione, quà terra, qua mari pressit: cujus rei fama excitus Ptolomæus, ex Ægypto majoribus firmioribusque succinctus copijs aduolabat. Vbi in conspectum alter alterius venisset, primò jurgijs & superbis inter se mandatis certabant. Demetrium Ptolomæus inde facessere & fugā maturare jussit: ni faxit, fore collectis vt à se vniuersis copijs breui obtereretur. Demetrius, enimuerò non alitèr se Ptolomæo illinc abeundi potestatem facere denūciat, quàm si ex Græciæ ciuitatibus præsidia properè deducat. Quæ quamuis superbè magis quàm militaritèr jactata censeri possent, rei tamen euentus satis monstrabat, non illas ex stolida ingenij ferocia, sed ex virium fiducia volasse minas. Pugnæ verò hujus expectatione suspensi, non ipsorum magis, quàm omnium mortalium animi erant: non enim Cyprum insulam, sed terrarum orbis principatum & imperium victoria illa, quacunque caderet, secum tractura videbatur. Classis Demetriana à penteribus ad hepteres erat; præter pauculas quadriremes, quas in media acie collocabat. Ex Ptolomæanis maximæ penteres erant, reliquæ quadriremes omnes, triremes in alterutra classe nullæ; illa centum octoginta, hæc centum & quinquaginta

Pugna naualis ad Salamidam.

quaginta nauibus constabat; præter sexaginta quas Menelaus in portu Salaminæ paratas tenebat, eo consilio, vt feruente maxime pugna in auersam Demetrij classem inueheretur: Quod ipsum ne fieret metuens Demetrius, decem quinqueremes portus faucibus, sub ipso pugnæ initio, objecerat: quibus angustias illas obtinentibus, Menelaus quasi compedibus injectis se mouere nequibat. Iam trium stadiorum interuallo instructæ stabant classes: læuum vterque dux suæ classis cornu tenebat. Prior Demetrius signa canere jussit. Primo statim congressu, Ptolomæus dextrum Demetrij cornu retrò cedere coegit: quo contentus, relictis qui cedentes persequerentur, ipse ad dextrum suorum cornu auolabat: ibi suos fortissimè pugnantes reperit. Demetrius in hepteris suæ puppe stans, & fulgentibus armis conspicuus, mille telis illo die vnus petebatur. Ille autem multa & egregia belli facinora sua manu, vtroque inspectante exercitu, edebat: multos hasta eminùs trajecit; multos comminùs congressos, vel occidit, vel vulnerauit. Nondum inito prœlio omnibus apparebat, Demetrium in illa pugna non ducis sed militis officio fungi statuisse; propterea quòd classis instruendæ rerumque ordinandarum curam Pleistiæ veteri nauarcho delegasset. Itaque milites ducis sui virtute accensi, omnì vi incumbebāt. Nec Ptolomæus vllum in hoc prælio artis imperatoriæ specimen ineditum reliquit. Cœterum aduersa classis & numero & magnitudine & genere nauium longè superabat, & Ptolomæus falsus spe sua à Menelao fratre, quem

in ipso pugnæ discrimine, hosti se à tergo objecturum nequicquam expectabat, desperata victoria, post longum difficileque certamen, cum octo nauibus fugam arripuit. Septuaginta classis ejus naues in potestatem hostium venerunt, reliquæ omnes perfractæ perierunt: præter has, ducentæ onerariæ, quæ mulieres, seruos, arma, commeatum & exercitus impedimenta ferebant, omnes se victori dediderunt. Secundùm naualem hanc pugnam ne Menelaus quidem ipse vltra tendendum esse censuit, sed Salaminæ & portum & vrbem Demetrio tradidit. Hac victoria elatus Antigonus, nomen Regium primus vsurpauit, & diademate redimitus in publicum prodijt. Qua re in Ægypto audita, Ptolomæus quoque, nè ob acceptam cladem animis cecidisse videretur, se à suis Regem salutari jussit: etenim à morte Alexandri ad hoc vsque tempus, regiam quidem potestatem omnes exercuerant, sed sub præfectorum nomine: credi nimirùm voluerunt, se imperium Alexandri filio ex Roxane suscepto asseruare: sed quùm eodem ferè tempore Cassander & ipsum & Roxanem matrem sustulisset, nec superesset jam ex Alexandri stirpe, cui regnum à patre partum asseruaretur, omnes se, quòd priùs erant, Reges certatìm appellabant.

Libri secundi finis.

Sit laus Deo.

LIBRI TERTII
Argumentum.

RHodi vrbis per Demetrium obsidio nauali s. Cleonymi Regis Spartani in Italiam expeditio nautica. De rebus ab Agathocle Syracusarum Tyranno gestis: naufragium classis Punicæ in Siciliam trajecturæ: opes ab Agathocle in Africa quæsitæ naufragio amissæ. De Pyrrho Rege. Primi belli Punici origo à Mamertinis orta. Primus omnium Romanorum Appius Claudius cognomento Caudex belli causa nauem conscendit & in Siciliam trajecit. De Hierone Rege Syracusarum. De consule Romano à Pœnis in mare capto. C. Duilius Consul primum triumphum naualem duxit. De Amilcare Pœnorum duce. Memorabilis pugna naualis inter Romanos & Pœnos ad Ennonē. Attilij Reguli in Africa clades, victoria nauali ex parte leuata: omnium quæ fando audita sunt maximum Romanorum naufragium. De Syrtibus earumq; natura. Aliud insigne Romanorum naufragium. Lelybæi obsidio naualis, & res variæ in ea gestæ. Grauis à C. Claudio consule ad Drepanum in mare accepta clades. Memorabilis & ingens à C. Luctatio consule ad Aegates insulas in mari parta victoria, & primi belli Punici ab ea finis. Illyrijs mare latrocinijs infestantibus bellum à Romanis illatum. Pugna naualis inter Illyrios & Achæos ad Corcyram. Primæ Romanorum in Corcyram & Græciam

am transfretatio. Mercatores Romani à Pœnis capti, quòd hostes suos commeatibus juuarent. Ptolomei Philopatoris classis egregia. Seleuci naufragium, Rhodiorum in mari potentia. Portorium secundò ad Byzantium institutum: idem à Rhodijs dissolutum. Nauis Ptolomei Philadelphi Tesseraconteres, nauis ejusdem Thalamegus: nauis Hieronica eicosori descriptio. Alia præterea res ad mare spectantes in hoc libro narrantur.

THO.

THO. RIVII HISTORIÆ NAVALIS LIBER TERTIVS.

Cap. I.

PRofligato in mari Ptolomæo, Demetrius quod jamdiu parturiebat odium aduersùs Rhodios edidit. Erat illo tempore Rhodiorum ciuitas naualibus copijs præpotens: res verò ipsa eorum publica sic omni parte administrabatur, vt dubium esset, legibusnè melioribus, an magistratibus, an denique moribus vteretur. Quibus rebus effectum est, vt Reges & Dynastæ omnes eorum amicitiam summo opere expeterent: illi verò post bellum sociale finitum, cum omnibus amicitiam ita æquabiliter colebant, vt nullius vnquam aut Regis aut reipub. bellis se immiscerent. Ita parem apud omnes gratiam nacti, liberum vbique commercium habuerunt. Sed ne classis quam magnis sumptibus bello sociali comparauerant, in naualibus abdita computresceret, dum alij mutuis se bellis obterrebant, illi mare prædonibus purgandum, prouinciam sibi desumpserunt; quod quidem munus ea justitia & virtute exequebantur, vt non modò inter pacatos commercia, verumetiam inter ipsos hostes bella solito securiùs administrarentur. Hijs artibus diu vsi, ad summam opulentiam & fœlicitatem ciuitatem suam prouexerant, & flagrante demùm inter Antigonum & Ptolomæum bello, nihil ad summam diligentiam reliqui fecerant, nè cui justam contra se mouendi causam darent: animo tamen

Rhodiorum disciplina.

Rhodiorum in mare potentia.

men magis in Ptolomæum propendebant: quamuis enim Asiatico littori viciniores erant, maximam tamen mercaturæ partem ex Ægypto faciebant, totaque adeò ciuitas illius potissimùm regni opibus alebatur.

Cap. 2.

Bellum Antigoni contra Rhodios

Id sentiens Antigonus causam belli sedulò quærere instabat. Itaque quo tempore Demetrium filium ex Græcia ad bellum cum Ptolomæo gerendum reuocabat, tentandi causa per legatos à Rhodijs petijt, vt auxilia sibi aduersus Ptolomæum mitterent. Illi quo excusatiores abirent, vetus ciuitatis suæ institutum, initum à se cum Rege Ægypti fœdus, præsens aduersùs Piratas bellum prætendere, munera mittere, honores sciscere, omnia denique agere, quibus præsentem hanc aduersùs Ptolomæum bellandi necessitatem à se depellerent. Antigonus quùm nihil legationibus mittendis proficeret, quendam è nauarchis suis in mare emisit cum mandatis, vt classem Rhodiam mercatoriam Ægyptum nauigantem omnem interciperet. Qua de re certiores facti Rhodij mercatores in Ægyptum mittere non omiserunt, sed tam validum nauigantibus præsidium addiderunt, vt nauarchum Antigoni cum non contemnenda classe occurrentem facilè in fugam verterent, mercesque suas omnes tutò in Ægypto exponerent. Id molestè ferebat Antigonus, sed quia majus tum cum Ptolomæo certamen instabat, bellum pro tempore minari quàm gerere, & suas ibi vires præconsumere consultiùs esse indicabat. Profligato verò demùm, vt diximus, ad Salaminam Ptolomæo, Demetrius omnes statim vires ad Rhodum

Victoria naualis Rhodiorum aduersus Antigonum.

Rhodum expugnandam conuertit. Ducentas naues longas habuit actuarias, quas Græci Hypereticas, nos Pinnaſſias dicimus, (eæ autem ſunt quæ majoribus nauigijs, vel in nauigando, vel inter prœliandum inſeruiunt) onerariarum verò, & quæ forum ferebant, mille: tanta verò omnium fuiſſe dicitur multitudo, vt totum quod Rhodum & continentem interjacet maris ſpatium occuparet. Præterea Piratas toto mari conquiſitos tanquam acerrimè contra Rhodios dimicaturos ad ſigna vocauerat. Quibus rebus inſtructus, & exercitu in terram expoſito, primùm omnium portum juxta vrbem ſuæ claſſi parem effodit, muniuitque, vt vndè ad pugnam prodiret, & quò feſſæ pugnando naues ſe reciperent, haberet. Quo confecto, oppugnationem confeſtim à mari inſtituit. Nemo unquam Regum aut ducum ad excogitandas belli machinas Demetrio ſolertior fuiſſe dicitur. Catapultas primus inueniſſe perhibetur: magnæ illud ſagittæ genus erat, non arcu ſed tormento excuſſum, tria ſæpe aut quaterna hominum corpora, ſi in ſtipatos incidiſſent, trajiciebant: hijs in prœlijs naualibus maximè vtebatur, hijs Ptolomæum ad Salaminam grauiſſimè terruit & afflixit, ijſdem nunc ad Rhodum oppugnandam dexterrimè vtebatur: hac certè obſidione, omnes ingenij vires, quamuis incaſſùm, non tamen ſine magna hominum admiratione exeruit: naues binas ternaſuè junxit, & firmiſſimis vinculis colligauit: ijs turres, quatuor pleraſque tabulatorum, & vrbis mœnia celſitudine ſua æquantes, inſtruxit. Alijs teſtudines aduerſùs tormentorum vim

Rhodi obſidio naualis.

Catapulta.

vim imposuit. Quoniam verò hostes eruptionibus factis ignem machinis suis illaturos non dubitabat, ideò vallum natilem excogitauit, qui hostium irruentium vim exciperet, & nauigijs, quæ turres machinasque ferrebant, vim fieri longè prohiberet. Audacior fuerim si rem semel omni tempore tentatam, & quam ipse ingenio non assequor, alijs scribendo ante oculos ponere aggrediar; veruntamen valli hujus formam apud Diodorum Siculum sic descriptam reperio. Κατεσκεύασεν, inquit, χάρακα πλωτὸν ἐπὶ τετραπόδων ξύλων καθηλωμένων, ὅπως προσπλέων αὐτὸ κωλύῃ τοὺς πολεμίους ἐπιπλέοντας ἐμβολὰς διδόναι τοῖς φέρουσιν ἐπὶ μηχανὰς πλοίοις, .i. vallum natilem supra ligna quadrupedalia clauis inter se compacta comparauit, vt accessu suo hostes ne qua impetum in naues quæ machinas ferebant, facerent, prohiberet. Erat autem vallus, quod nemo nescit, quam nos hodie in munitione castrensi pallissadam dicimus; hoc est, sudium, stipitumque siue palorum rudium sed præacutorum summo aggeri defixorum, & pectoribus tenùs extantium ordo, ex quo hostes in aduersum nitentes facilè arcentur, & protruduntur. Itaque vt in vrbium vel castrorum munimentis aggeri, sic in hoc nauali propugnaculo, quadrupedalibus ligneis subrectæ sudes perpetuo ordine inserebantur, suoque interuentu irruentes hostium naues arcebant; eò magis, quod non vt in terra, lignei, sed vel ex ferro toti, vel lignei ferreis laminis inducti hij pali erant. Nec me fallit trabes illæ cujuscunque crassitudinis aut molis erant, quam instabile solum huic operi præbere possent:

Vallus natilis.

Vallus quid

possent: sed in bellis nullum tam futile tamque inane commentum est, vt primo sui experimento, ipsa nouitate, operæ pretium, hostem nec opinantem vel terrendo vel ludificando, non faciat.

Rhodij vbi contra se moueri senserunt, ingentibus animis & ipsi aduersùs hostes in pugnam proùolabant. Quoniam verò portum magis quàm vrbis mœnia in præsenti peti apparebat, ideo & illi maximam virium suarum partem ad portum tutandum verterunt, veriti scilicet, ne si hostis eo semel potiretur, commeatibus statìm excluderentur. A prima luce ad seram vesperam magna vtrinque virtute, comminùs, eminùs, varia cæde, multis illatis acceptisque vulneribus pugnatum est: sub vesperam receptui signum dedit Demetrius. At Rhodij, quùm naues machinarias extra teli jactum remulco trahi è mœnibus animaduertissent, successu læti, scaphis materia arida & tæda repletis, ignemque manibus ferentes, abeuntes persequuntur; propiùsque machinas aduecti materiam succendunt: sed statìm valli natilis interuentu, quod exterùs laminis ferreis, vt diximus, inductum, ignis injuriam non metuebat, elusos se sentientes, in vrbem se receperunt. Octo dies continuos eodem tenore, ad mœnia vrbis & portus fauces pugnatum est: quibus fessus Demetrius, quùm grauiora indies vulnera acciperet quàm inferret, septem sequentibus diebus à pugna abstinuit; quos omnes machinis nauibusque reficiēdis dabat. Octauo demùm die ad vrbem & portum oppugnandum redijt. Continu-

Cap.3.

Continuatâ per aliquot deinde dies oppugnatione, Rhodiorum naucleri de nauibus & Portu soliciti magistratus adeunt: Imminente jam portus expugnandi periculo, ordinarijs viribus ciuitatem diutiùs stare posse negant. Si rempub. saluam esse vellent, optimum quemque ad subeundum pro patria periculum vocandum esse docent. Magistratus præcipuæ nobilitatis juuenes ad se vocant: vrbis columem & reipub. salutem in eo stare affirmant, si naues hostium machinariæ vel incendi vel perfringi possint: patriam nunc eos vnos respicere, in illorum virtute spem fiduciamque ponere, & veluti supplicem manus tendere, ne quantum vis virtusque humana efficere possit, se indefensam immanissimo hosti diripiendam relinquere velint. Omnes certatìm operam polliceri, & pro se quisq; nomina dare. Patribus manare præ gaudio lachrymæ: fœlicem tali sobole vrbem suam dicere, & vel illo, vel nullo vnquã milite rem Rhodiam incolumem præstari posse dicere: tres naues omnium firmissimas hoc tam delecto juuentutis flore complent. Hij quamuis infinita telorum & omnis generis missilium multitudine subeuntes peterentur, vallum tamen adorti, quoniam ferro munitum incendere non valebant, manibus aggressi conuulserunt. Tum viâ ad machinarias factâ eas rostris incurrunt; è quibus duas multis demùm vulneribus cofossas demergunt; tertiam fugientem incautiùs sequuti, & à multitudine classis Demetrianæ circumuenti, vnam è suis amiserunt, in qua Execestus dux & alij cum eo vulnerati quia enatare non valebant, post mora-

morabile prœliũ in conſpectu ciuiũ ſuorum editum, viui in hoſtium venerunt poteſtatem. Paucis dehinc interjectis diebus, iterum Demetrius, refectis nauibus & ampliatis machinis, portum majore quàm vnquam conatu aggreditur. Sed conatum ejus rupit effera ventorum ingruentium vis. Qua occaſione vſi Rhodij, in turbatos impetum fecerunt; & præter cæſorum numerum quadringentos viuos ceperunt. Quibus tam grauibus, tamque frequentibus in mare cladibus motus Demetrius, obſidionem inde in terram tranſtulit. Sed mutata obſidendi ratio faciliorem indies obſidionem tolerandi rationem Rhodijs fecit. Faucibus enim portus, quæ priùs ab hoſte inſidebantur, jam apertis, omnia ſtatìm belli ſubſidia abundè à Ptolomæo ſubmittebantur. Totum in hac obſidione annum inſumpſit Demetrius: quo exacto, quùm pacem Rhodij petere non grauarentur, Antigonus & Demetrius de victoria deſperarent, ſoluta demum eſt obſidio, hac conditione, vt Rhodij Demetrio auxilia præſtarent, modò ne aduerſùs Ptolomæum.

Cap.4.

Hic ſpecioſus vltimus dies Antigono & Demetrio fuit. Expeditio enim in Ægyptum, fœdis naufragijs, & multiplici repulſa ad Peluſium, aliaque Nili oſtia deformis, quid aliud erat, quàm ruinæ, quâ obruti mox jacuerunt, præſagium? nimirùm paulò poſt quum omnes vndique Alexandri ſucceſſores, ſeu odio, ſeu inuidia, ſeu potentiæ metu, contra illos fœdus inijſſent, vno prœlio & Antigonum occiderunt, & Demetrium tota Aſia fugarunt. Pul-

ſus Aſia Demetrius Athenas tanquam tutiſſimum fortunarum ſuarum portum petit. Sed audito cladis acceptæ nuncio, Athenienſes legatos in occurſum ei admittunt, denunciantes ne vrbem adeat: factum enim eſſe nuper Athenis populi decretum, ne cui Regum vrbem intrare liceat. Rem ægerrimè tulit Demetrius: itaque alias Græciæ partes petens, noua quadam & inuſitata fortuna vſus, regnum Macedoniæ pulſo Polyperchonte ſibi hæredibuſque ſuis, ad Perſei vſque tempora, quem victum vinctumque Æmilius poſteà Romam traxit, poſſedit. Tum ad vindictam de ingrata Athenienſium vrbe ſumendam conuerſus, terra marique eam clauſit. In qua obſidione nauem quandam nactus, quæ frumentum obſeſſis ſubuehebat, & dominum & magiſtrum nauis laqueo ſuſpendi juſſit: enimuerò id jure optimo ſibi licere exiſtimabat, hoſtium loco eos habere, qui hoſtem ſuum, milite, pecunia, frumento, adjutum irent. Captas tamen Athenas, vt nuper Antipater, magis pro ingenio ſuo, quàm pro ciuium merito excepit. Vſque adeò illis profuit, claris majoribus fuiſſe genitis.

Cap. 5.

Cleonymi in Italiam expeditio.

Dum hæc ab Alexandro ejuſque ſucceſſoribus in Oriente perpetrantur, magnis interea motibus res ad Occidentem agitari cæptæ ſunt. Cleonymus Spartanorum Rex Italiam classe petit, Thuriaſque vrbem in extremo terræ illius angulo poſitam, expoſitis militibus, vi cepit. Iam tum Italia omnis Romanis curæ eſſe cæperat. Itaque Thuriorum qui profugerant precibus ſolicitati, Conſulem Æmilium aduer-

ſus

ſus Cleonymum cum exercitu proficiſci jubent. Ipſo ſtatim aduentu apparuit, quantum Spartana tot præconijs famigerata virtus Romanæ cederet. Leui prœlio fuſus Spartanus ad naues refugit. Inde ad læuam relicto Brundiſio, ad intimum ſinus Adriatici receſſum vela facit, eòque appulit, vbi nunc celebratiſſimi nominis Venetiarum vrbs extructa cernitur. Loci facies, qualis tunc erat, etiamnum manet: languente ibi vnda mare omne vadoſum erat, nec majorum nauigiorum patiens. Scaphæ tantum fluuiatiles, cujuſmodi nunc dierum Gondelæ apud eos ſunt, incolarum vſibus deſeruiebant: præterquam quòd hæ carinis, illæ planis alueis fabricatæ erant. Harum tum copiam Cleonymus nactus, modico claſſi præſidio relicto, exercitum exponit, ingentemque pauorem agreſtibus injecit; tres etiam vicos incendit. Regio ipſa Venetia à Trojanis vſq; tẽporibus vocabatur: caput verò gentis Patauium tum erat. Eò quùm cladis ab externo & ignoto hoſte illatæ fama veniſſet, extemplò copias educunt, easq; bifariàm diuidunt: partem ad ſcaphas opprimendas mittunt, partem contra ipſum Regem ducunt. Illi nauicularum magnam partem, cæſis cuſtodibus, improuiſò opprimunt, hij Regem ipſum primo impetu fugatum, è terra præcipitem ad mare agunt. Tanta autem erat Spartanorum quà pugnantium quà fugientium cædes, vix vt quintam exercitus partem inde Cleonymus abduxerit. Acceſſit & illud trepidantibus incommodi: Patauini, qui ad nauiculas opprimendas miſſi fuerant, quas ceperant

armatis implent; & triremes hostium vadis implicitas circumuadunt. Ex illis partem incendunt, partem abducunt: ipse Cleonymus cum paucis elapsus profugit. Patauini hujus victoriæ memoriam gemino monumento posteritati commendarunt: altero, quòd captiuarum rostra in templis suspensa consecrarunt, altero, quod rei lætitiam, eodem quo pugnatum est die, pugnæ naualis simulachro quotannis in flumine vrbis medio celebrarunt.

Cap. 6. Sub eodem tempore Siciliã longè sæuioribus rerum fluctibus moueri contigit. Erat Syracusis quidam nomine Agathocles; humili de gẽte vir, ast acri & audaci ingenio præditus, & belli artibus imprimis bonus. Is forma & flore ætatis Dimanti ex ducibus Syracusanis vni primò conciliatus, tribunatum militum ab eo meruit: quo deinde defuncto & vxore hærede in solidũ relicta, domini simul thorum simul opes, contractis subitò cum ea nuptijs, inuasit: quibus facultatibus suffultus, majora jam sperare ausus, Sosistrate & Heraclide à reipub. gubernaculo depulsis, vrbis tyrannidem inuasit. Qua ad votum firmata, non jam amplius ciuibus (in quos nullum crudelitatis, nullum sceleris exemplum, quod homo in homines edere posset, prætermiserat) sed Pœnis Siciliam magna parte jam tenentibus, curam & formidinem injecit. Quibus de rebus certior factus senatus Carthaginiensis, confestim triremes instruunt centum triginta, præter onerarias, & Amilcarem præcipuæ nobilitatis & virtutis virum huic classi præficiunt; ea verò medio itinere tempestate afflicta,

afflicta, grauem adeò cladem accepit, vt è triremibus sexaginta, ex onerarijs ducentas cum omni supplemento & apparatu bellico desiderauerit, reliquæ fluctibus eluctatæ Siciliam vtcunque tenuerunt. Hoc naufragio summi quique Carthaginiensium duces,& juuentutis Punicæ flos ducis famam ad bellum Siculum sequuti, perierunt. Ipse Amilcar tantæ cladi superstes, collectis è naufragio suis, magno animo nouum militem in supplementum scripsit: & fortè accidit, vt juxta fretum, quod Rhegium & Messanum interluit, in viginti naues hostiles incideret; quibus captis, cladem acceptam ex parte correxit. Itaque recreatis militum animis, exercitum educit; nec Agathocles castra castris conferre dubitabat. Cæterùm pugna infœliciter commissa, & septem suorum millibus in ea amissis, in fugam vertitur Agathocles, & Syracusas reversus, vrbem dispositis per mœnia præsidijs firmat: sed iteratò victus, & rebus suis in Sicilia timens, audax prorsus, sed quia necessarium, prudens, & ipsi olim Scipioni Romanorum maximo in exemplum trahendum consilium capit.

Amilcar.

Agathocles.

Cap.7.

Vrbis cura Antandro fatri commissa, ignaris omnibus quid strueret, monitis modò ciuibus, vt obsidionem forti animo aliquantisper toleratam velint, quod roboris in exercitu erat, cum paucorum dierum commeatu,nauibus imposito,in Africam cursum dirigit.In itinere quid pararet milites edocet,&labātes suorum animos multis& accuratis rationibus confirmat.Sed cum rei nouitate stupentibus triste insuper spectacu-

Agathoclis in Africam transitus.

lum Solis deficientis, & tenebræ meridie ob-
ortæ, animos religione solicitarent, eam ve-
rò læti planè ominis & boni augurij rem esse al-
ta voce significabat: siderum enim cœlestium
defectus & labores certissimam rerum humana-
rum, de bono in pejus, de malo in melius mu-
tationem mortalibus portendere aiebat. Quid
autem Syracusis illo tempore miserius? quid
fortuna Carthaginis majus aut sublimius in orbe
terrarum conspici? itaque præsentem rerum
statum quicunque is demùm sit, in contrarium
momento temporis mutatum iri velut ex Ora-
culo ad milites pronunciabat; simul Sol posito
labore aperuit omnia Africæ littora: & Aga-
thocles qua proximus accessus erat, eò classem
decurrere jussit. Expositis militibus extemplò
naues subditis ignibus concremari jussit, moni-
tis suis, sublata jam fugiendi spe, aut vincen-
dum in Africa aut moriendum esse: quo facto
castra in proximis tumulis metatur. Iam non
in maritimos modò agros, sed ex agrestium
fuga in ipsas etiam vrbes, longo otio inermes,
terror pauorque peruenerat; jam ipsa Cartha-
go suis mœnibus timere cæpit; jam illa, quo-
nam modo Agathocles ab Amilcare in Syracu-
sarum obsidione sedente, abcesserat, cura so-
licitabat: deletumnè cum duce exercitum, an
clade aliqua terrestri in Sicilia territum cum
classe insequi non ausum? Agathocles abuten-
dum errore hostium ratus, dum pauor adhuc
omnia possidebat, armis omnia occupabat. A
Tunete orsus ducenta deinceps & eò amplius
oppida expugnat. Interim Antander ad Syra-
cusarum

cusarum præsidium relictus, quum excubias ab Amilcare, non pro more militari, sed propter absentiam Agathoclis, negligentiùs haberi à transfugis comperisset, patefactis silentio noctis portis, per diuersos viarum anfractus in castra Pœnorum irruit: fit pugna nocturna, in qua centum Pœnorum millia occubuerunt: ipse Amilcar in hoc prœlio captus, caputque ei resectum, cum victoriæ nuntio ad Agathoclem in Africam mittitur. Nec tamen Pœni animis ceciderunt, sed nouo & tumltuario duce è suo corpore creato, vrbem haud segniùs quàm anteà nouis accitis copijs obsidebat. Itaque Syracusani fame pressi viginti triremes in auersam Siciliæ oram frumentatum mittunt: eas triginta naues Punicæ, impetu facto, omnes ad terram pepulerunt; inde manibus ferreis injectis, decem abreptæ; reliquæ, concursu finitimorum facto, periculo exemptæ. Operæ ne fuerit, historiam naualem scribere aggresso, omnia Agathoclis in Africa facinora commemorasse. Cæterùm quum prædam ingentem tot victorijs comparasset, statuit eam omnem Syracusas, siue ad belli vsum, siue ad rei famam transmittere. Magna itaque onerariarum contracta vi, omnes diuitijs impleuit. In itinere pars longè maxima fluctibus hausta, pars àd Italiæ insulas Pithecusas ejecta, paucæ jactu facto, & laceræ, auulsis armamentis Syracusas tristes appulerunt.

Naufragium.

Ipse interim Agathocles Vticam obsedit, partaque gemina de Vticensibus victoria, terrestri & nauali, vrbem ipsam cum graui cæde

Cap.7.

ciuium expugnat. Inde Syracuſas, res vrbis inſpiciendi cauſâ, nauigare inſtituit, præfecto copijs in Africa Arcagatho filio. Is primò ſtrenuè admodùm & fœliciter rem geſſit, deinde vèrò, quum prauo conſilio vſus, & mutata belli ratione copias ſuas quæ junctæ ad illum diem inuictæ ſteterant diuiſiſſet, eaſque in diuerſas prouincias prædandi dulcedine miſiſſet, nacti occaſionem rei benè gerendæ Pœni, breui tempore omnes oppreſſerunt: ipſe Arcagathus Tunete cum modica manu incluſus, patrem aduerſi caſus certiorem fecit. Pater tum de filio tum de regno Africæ ſolicitus, claſſem apparat, ſed quum vtrumque portus Syracuſani latus ſtationibus hoſtium teneretur, rei periculum tempus aliquantiſper vt traheret admonebat: cunctanti fortuna gloriæ non ſalutis modò viam aperuit: nocte intempeſta, ſiue per intermiſſas, ſiue per diſjectas tempeſtatis vi hoſtium ſtationes, decem & octo Hetruſcorum ex Italia naues portum Syracuſanum, nemine hoſtium ſentiente, ſubierant. Quibus conſpectis, nouo ſtatìm commento animum adjecit Agathocles: rogat nempe Hetruſcos, vt ſecum partem periculi capeſſerent: parati intentique ſtarent, donec ipſe cum ſuis portu egreſſus hoſtem ad ſe ſequendum elicuiſſet: vbi inſequentes conſpexiſſent, ipſi properè faucibus euecti auerſos aggrederentur. Re ſic compoſita, Agathocles aperta luce curſum è portu facit, veluti Africam repetiturus: altum tenenti Pœni ſe à tergo objiciunt. Id conſpicati Hetruſci in auerſos inferuntur: & Agathocles quum clamorem à

tergo

tergo audiſſet, conuerſus in pugnam redit: medijs incluſi Pœni ad vnum capiuntur: qua victoria Siculi maris imperium Pœnis eripuerunt. In Africam quum veniſſet Agathocles atroci ſeditione militum excipitur, & in vincula conjicitur. Quibus conſenſu militum mox leuatus, primis tenebris capite obuoluto, & vili amiculo indutus, conſcenſo nauigio Syracuſas profugit. Quod quum milites reſciuiſſent, deſertoris ſui filium Arcagathum infandis cruciatibus interemerunt.

Pugna naualis ad Syracuſas.

Sub hoc tempore Caſſander, qui mortuo Demetrio, per filij ejus impubertatem regnum Macedoniæ inuaſerat, Corcyra inſula præter vrbem tota potitus, ipſam mox vrbem terra & mari oppugnabat. Corcyrenſes quum nullam è Græcia, attenuatis ibi omnium bello ciuili opibus, auxiliorum ſpem haberent, miſſa legatione, Agathoclem vt opem laborantibus ferret ſolicitabant. Is eò cum inſtructiſſima claſſe profectus, Caſſandri naues omnes in obſidione vrbis hærentes adortus, ſuccendit: quo facinore, & ſociam vrbem periculo exemit, & famæ jacturam in Africa factam reparauit. Paulò poſt ſuorum fraude & veneno tollitur, nec dum efflata anima ſemiuiuus in rogum conjicitur: quo ſublato quidam nomine Hicetas Syracuſarum principatum accepit, eamque per nouem annos tenuit. Quo tempore Pyrrhus Epirotarum Rex à Fabritio Romano in Italia debellatus Tarentum ſe recepit. Ad eum legati Syracuſani auxilia aduerſus Pœnos imploratum veniunt; nec ille tam honeſtam Italiæ acci-

Cap.8.

Egregium Agathoclis facinus ad Corfou.

eius mors.

Pyrrhus.

ſis jam opibus, relinquendæ occaſionem na-ctus abnuit; ſimul religio ei erat vxoris ſuæ (filia ea Agathoclis erat) patriam indefenſam relinquere. Itaque exercitu ſexaginta nauium claſſi impoſito, Tarento ſoluit, vixque nono demùm die Syracuſas peruenit, vbi centum quinquaginta naues è naualibus extractas ſuæ claſſi adjunxit: qua tanta claſſe nihil ille vnquam Pyrrhi nomine dignum in Sicilia geſſit, ſed rebus Syracuſanis, vt potuit, compoſitis, Agrigentum primùm contendit, inde in Epirum redijt, vbi paulo poſt bello cum Argiuis contracto, quum effracta porta vrbem ſub ſignis intraſſet, molari è tecto per mulierem in caput dejecto perijt: anno ab vrbe condita quadringenteſimo octuageſimo quarto.

Cap. 9.

Primi belli Punici origo à Mamertinis.

Hoc anno primi belli Punici, quod Romanos inter & Carthaginienſes gerebatur, jacta in Sicilia ſunt ſemina: cujus belli, quandoquidem nullũ vnquam ſæuioribus cladibus in mare geſtum reperitur, cauſam & originem paucis hic perſcripſiſſe, abs re ne fuerit. Milites quidam è Campania Agathoclis olim militiæ aſcripti, poſt ejus mortem ſolutiore diſciplina habiti, Meſſanam, vrbem Siciliæ poſt Syracuſas maximam opulentiſſimamque, cui præſidio dati fuerant, infando conſilio vſi, vi poſſederant: patresfamilias præſertim ditiores mactant, vxores cæde maritorum adhuc madentes pro libito ducunt, & cum vxoribus cæſorum bona ad ſe rapiunt. Vrbem ipſam, non jam ampliùs Meſſanam, ſed Campano vocabulo Mamertem, id eſt, Mauortem ſeu Martem, ſeque ex eo

Mamer-

Mamertinos dici voluerunt. Quod tantum facinus quintū jam annū impunè tulerāt. Cæterùm tum Hiero florentiſſimus juuenis,&mortuo Hiceta, Syracuſarū principatū nuper adeptus, tam inſigne flagitium, diutiùs inultum manere noluit: magnis igitur copijs terreſtribus maritimiſque vrbem obſidet. Iamque noui iſti Mamertini, fame & rerum omnium inopia preſſi, externa auxilia circumſpicere cæperunt. Sed cujus tandem populi fidei ſe concrederent, inter ipſos ſententijs certabatur: alij ad Pœnos, alij ad Romanos rem trahebant: miſſis vtrobique legationibus, priores Pœni ex paucorum ſententia in arcem recepti ſunt. Romanos de honeſto & vtili diſceptatio aliquandiu tenuit: ſed re demùm à Senatu ad populum rejecta, quum qui bellum ſuadebant, præſentem tum rerum ſtatum populo expoſuiſſent, Pœnos vniuerſam jam tenere Hiſpaniam, omnes quæ Italiam inter & Africam jacent inſulas imperio poſſidere, maris dominium ingentibus claſſibus obtinere, jam ipſam Siciliam veluti ſuburbanam Italiæ regionem, magna parte incolere; quod ſi nunc Meſſana potiantur, quid ſupereſſe, quam vt tota ſimul inſula Punicæ ditionis fiat? ſitum deinde inſulæ, ejuſque ſeu Græciam ſeu Africam ſpectarent commoditatem, glebæ vbertatem, vrbium & oppidorum cum numero conjunctam amplitudinem & amœnitatem, opes inſuper & diuitias, & ſi quæ alia erant quæ vulgi cupiditatem accendere & inflammare poſſent, compoſitis ad id orationibus adjeciſſent, omnes ſtatim tribus Mamertinis auxilium ferendum

dum esse decreuerunt, haud ignari strictum contra Siculos ferrum Pœnorum arma indubiè commoturum.

Cap.10. Mittitur itaq; confestìm Appius Claudius consul in Siciliã. Is quoniã illo tẽpore nullũ vsũ maris Romani habuerunt, pontones & alias id genus naues onerarias, à Tarentinis, Thurijs, Locrensibus, & alijs tractus illius accolis, quibus exercitum à Rhegio Messanam trajiceret commodatas accepit. Sunt qui eum ad explorandas hostium res, naue piscatoria, (quod audacis tum incæpti opus habebatur) trajecisse memorant. Primus certè Romanis nauem belli causa conscendendi author fuisse perhibetur, vnde & Caudicis cognomentum inuenit: nauem enim veteres à tabulatorum contextu caudicem dixerunt, nec alia ratione tabulas primùm publicas, mox & priuatas & cujusque generis libros caudices & codices appellabant. Quid, quod feris temporibus nauibus rudi Minerua, & vel ad ligna & lapides, vel ad commeatus subuehendos compactis caudicariarum vel codicariarum nomen mansit. Anno igitur vrbis conditæ quadringentesimo octuagesimo nono, vt vult Polybius, Appius hic cognomento Caudex, transmisso per noctem freto, & copijs in ipso Messanæ portu expositis, Pœnos qui in præsidio arcis erant, adnitentibus Mamertinis, facilè ejecit. Sed quum vrbem eodem tempore duobus maximis exercitibus, Punico altero, altero Siculo obsideri, classemque Punicam ad Pelorum, (promontorium id erat Messanæ vicinum) stare, obsidionem verò ipsam

Appius Caudex.

Primus Romanorum in partes trasmarinas traiectus.

ipsam, si diutiùs toleretur, damnosam etiam non turpem modò fore prospiceret, statuit primo quoque tempore cum Siculo transigere. Amnis interfluens castra hostium à mutuo inter se auxilio excludebat. Pugna commissa graui clade Siculi sternuntur: ipse Hiero castris simul exutus, & rerum suarum summæ metuens Syracusas fugit. Postero die Consul calore militum ex recenti victoria vtendum ratus, transmisso amne, Pœnos aggreditur: durior ibi aliquanto & pertinax pugna fuit, sed fortuna par, & major vt in hoste resistente cædes facta. Consul geminata victoria ferox cum exercitu Syracusas decurrit, operæque pretium forsitan fecisset, nisi in exitu fuisset annus, successorque indies expectatus.

Cap. 11.

Proximis comitijs consules creati M. Valerius & C. Octacilius: vterque cum suo exercitu in Siciliam missus. Horum aduentu, multæ statim ciuitates tam Pœnorum quàm Syracusanorum ditionis, ad Romanos defecere: quibus rebus territus Hiero, fidem & ipse Pœnis datam mutauit ad Romanos. Nec Consules tam clari ducis tamque potentis principis societatem aspernati: sed fœdus & amicitiam cum eo æquis conditionibus sanxerunt. Fœderi ascriptum *vt Syracusani deinceps socij & amici populi Romani omni tempore appellarentur.* Hic est ille Hiero de quo tam frequens apud scriptores reperitur mentio, quo nemo vnquam Romanorum amicitiam sanctius coluit; sed nec Romani vllius vnquam regis dignitatem & honorem comiùs conseruarunt: ita certè inter se beneficijs certabant

Hiero Romanis adiunctus.

tabant vt nec illos suæ in eum beneficentiæ, nec hunc mutatæ ad eos fidei per totos quadraginta (tot enim regnauit) annos vnquam pœnituerit. Pœni quum auulsum à se Hieronem, & vniuersam ferè Siciliam ad Romanos studijs propendere animaduertissent, majoribus copijs instant bellum facere: idem & Romani faciunt. Sed quum toto quadriennio ita bellum traheretur, vt loca Mediterranea Romanis cederent, maritima Pœnorum imperata facerent, statuunt Romani, ne vlla parte virium hosti inferiores viderentur, mare etiam tentare, & nauali prœlio cum Pœno confligere. Nihil illo tempore in mare rudius Romanis erat: quoniam tamen ejusdem ingenij esse sentiebant, aciem & classem instruere, & virtuti Romanæ, cui terræ cesserant, maria etiam cessura esse confidebant, nec bellum hoc aliter finem habiturum apparebat, centum & viginti nauium classem expediri jubent: sed enim qui hoc mandatum exequeretur repertus est nemo, nec qua forma naues bellicæ fabricandæ essent, ipsi per se intelligebant. Erant eo tempore complures Carthaginiensium naues quæ freto Siculo oberrabant; quarum vna quinqueremis à cætera classe forte fortuna abrepta, & vi ventorum ad littus Italicum allisa; ad Romanorum manus peruenit: hæc exemplar ejus generis nauium Romanis præbuit: ad hujus instar tota classis fabricata: quoniam verò naupegos non habebant, ideo fabros vtcunque lignarios ad hoc opus adhibuerunt: hij centum quinqueremes, & triremes viginti ædificabant. Dum fabrican-

Primus classis Romani apparatus.

tur,

tur, interim vulgus militum ad remigium exercetur: nempe scammis per arenam transtrorum in modum dispositis, remiges insidebant. Hij remos primum aptè tractare, brachiaque in numerum protendere, & arenam veluti aquam subjectam feriendo, ad se reducere: tum ad Celeustæ in medio sedentis cantum, omnes simul remis incumbere, & summa vi niti, mox signo dato, remos inhibere; cursumque veluti flectere docebantur. Inter hæc quid prorã inter & puppim esset interrogãtes, & diuersa rudentũ nomina exigentes audires: nec lintea ad perticam pro malo suspensa, & ad transuersam antennæ loco trabem expansa deerant. Irrideant, qui volunt, ista domitoris mox gentium futuri populi rudimenta, & rerum gerendarum simulachra; sed hic veterum & præsertim Romanorum erat sensus, non nasci milites, sed vsu & exercitatione fieri. Itaque vt hij scammis in terra sedentes cum spectantium risu, forsitan & suo, nauigabant, ita pedestri militiæ ascripti ad palum pugnare, pedem inferre, referre, simul clypeo corpus protegere & gladio hostem ferire, erudiebantur: hæc illis pro Græcorum palæstris & gymnasijs erant.

Cap.12. Classe instructa, & ad mare deducta, Cn. Cornelius consul, reliquis oram Italiæ tutari jussis, ipse cum decem & septem quinqueremibus Messanam nauigat. Per id tempus Anibal dux Carthaginiensis Panormi cum classe erat: is audito Consulis aduentu, Boödem ea loca cum viginti expeditis nauibus petere, & viam Siciliam ferentem insidere jussit. Boödes impe-

Conf. Romanus à Pœnis in mare captus.

imperata haud segniter exequutus, noctu ad fauces portus Messanensis venit, vbi naues Romanorum ad anchoras stantes nactus suarum objectu penitùs inclusit; orta luce, cœtera multitudo ad terram profugit. Consul inopino casu oppressus, consilij expers viuus in hostium potestatem venit. Omnia ferè bella Romani à memorabili aliqua clade incoharunt: sed erat in hoc, non solùm reipub. verumetiam priuatæ familiæ aliquid in fatis singulare, vt ex quo nomine primùm decus Pœni acquisiuerunt, ab eodem postea, vinci primùm Carthaginienses, mox etiam ipsam deleri Carthaginem oporteret. Re confecta, Boödes ad Annibalem reuertitur. Annibal successu lætus, quum totam Romanorum classem circa Italiæ littus obseruare à Boöde intellexisset, cum quinquaginta nauibus Italiam petit: non procul à freto Siculo improuisò in Romanos ex noua disciplina ad pugnam instructos incidit; ordo ipse opinato melior primo aspectu Pœnum terruit, nauigiorum deinde modus solito major, (erant enim, vt diximus, quinqueremes omnes) metum auxit, sed propior ex improuiso jam erat quam vt vela referre & sine pugna abire posset, & euerberatis fluctibus instabant Romani: ipse Annibal, vt erat omnium Pœnorum fugacissimus, singulari nauis celeritate fretus, ne tentata quidem pugna fugit: classis fere tota in hostis potestatem concessit. Magna erat Romanorum ex hac victoria lætitia; eaque vsque dum Messanam appellerent, integra fruebantur; ibi cognito ducis sui casu, ad alterum Consulem

C. Duilium

C. Duilium, qui pedestribus copijs præerat, vt tam tristi fortuna laborantibus succurreret, rogatum mittunt. Dum consulem operiuntur, interim alteram classem Punicam aduentare audiunt; itaque ad pugnam se parant. Cœterùm quum naues suas, vtpote non faberrimè factas, hosticis agilitate cedere non ignorarent, huic vitio arte quadam mederi statuunt. Machinam quandam, quam à rostri ferrei prominentia coruum dixerunt suopte ingenio excogitabant. Erat ea sex aut ad summum septem vlnas longa, pedes quaternos vel quinos lata, tota ex asseribus querneis confecta; cujus pars ima cardinibus proræ affixa erat, anterior fune ad malum suspendebatur. Vbi ad manus ventum erat, laxato subitò fune in nauem aduersam ruinæ in modum cum fragore decidebat: cui quà suo pondere, quà rostri ferrei aduncitate ita pœnitùs infixa hærebat, vt nulla vi aut reuelli aut refringi posset. Pensilis nempe pons erat: per hunc milites in hostium naues certo gradu vadebant.

Coruus.

Consul Duilius, casu collegæ audito, contento itinere ad classem ire pergit: vbi venisset, laudata militum virtute, & nauarchorum solertia, nullam moram in hostem mouendi facit. Par pugnandi desiderium Pœnos, ex virium suarum fiducia, tenuit: Annibalem præ alijs, quod labem ex priore fuga contractam, illustri jam victoria dilui & deleri posse animo præsumebat. Centum & triginta naues Pœnorum erant: ipse Annibal in eximia septiremi, quæ Pyrrhi olim Regis fuerat, ferebatur. Vt igitur

Cap. 13.

appropinquare inter se classes cœperunt, Pœni coruos, quos diximus, in aduersis quibusque proris suspensos cernentes, rei primùm nouitate veluti miraculo attoniti, cursum inhibuerunt: tandem quicquid id ludibrij esset, contemptui habendum esse vociferantes, infestis proris in hostē feruntur. Sed priusquàm rostris suis naues hostium ferire, aut ad eas pertingere possent, pōtes laxato desuper fune cum sonitu in aduersas decidētes, & earum ictus frustrabātur, & ferro in tabulas quacunque inciderant impacto, arctiùs stringebant, quàm vt vlla remorum vi recipere se possent: simul liberam transeundi viam Romanis præbuerunt. Quibus incommodis stupentes Carthaginienses, & hostium multitudine oppressi, longè maxima eorum pars, vel vitam morte, vel libertatem seruitute commutarunt. Primo statìm concursu triginra naues captæ, & inter illas Annibalis Prætoria. Ipse, quùm nauem suam effusa per pontes hostium multitudine occupari sensisset, in scapham desilijt, & inter tumultum incolumis euasit. Ex nauarchis tamen non deerant, qui patrij instituti memores, & omnia priùs tentanda rati, quam rei naualis gloriam hostibus concedendam, quùm frustra esset omnis in aduersas impetus, nauium suarum celeritate freti, flexo cursu, in obliqua hostium latera incurrebant. Sed quum obuersis semper proris par à coruis periculum & illic ostenderetur, desperata re & ipsi fuga abierunt. Captæ aut submersæ sunt in hoc prælio quinquaginta Punicæ classis naues, primusque omnium Romanorum

Pugna naualis.

Primus Romæ triumphus naualis.

rum

rum ducum C. Duilius Consul de hostibus prœlio nauali victis triumphauit: additus publico & priuatus honos, quo tota deinceps vita vtebatur, vt à cœna redeunti tibicines præcinerent, & funale præferretur: tantum illi licentiæ ex nauali victoria gloria dabat. Annibal cum parte classis quæ supererat Carthaginem profugit: vnde paucis interjectis diebus cum selectis nauarchis & triremium ducibus in Sardiniam mittitur: ibi breui post, in portu quodam à Romanis, qui eò forte appulerant, inclusus, classem ferè omnem iteratò amisit; ipse per manus hostium, vt sæpe aliàs, elapsus, mox à Carthaginiensibus, qui è priore clade ambusti effugerant, captus, tanquam dux bello parùm vtilis in crucem agitur.

Cap. 14.

Fuga primum Rutiliŋ consulis: deinde victoria naualis.

Annus proximus consulem apud Romanos Rutilium habuit. Is classe accepta, in Siciliam nauigabat, & forte apud Tindaritanos stationem habuit: vbi quum classem Punicam, vt erat, incompositam prætereuntem conspexisset, auidus pugnandi, ipse cum decem tantùm nauibus in altum euectus, reliquis se sequi jussis, in hostem non instrenuè infertur. Pœni quum hostem, alios naues conscendentes, alios mare intrantes, alios nauigia à terra molientes, decem modò quinqueremes, aduersum se tendentes cernerent, & tam opimæ gloriæ spem in oculis haberent, conuersis proris in Consulem incurrunt; ex decem nauibus nouem captæ: vna quæ supererat Prætoria ingloria fugit: fugienti tota classis Romana occurrit; cum illis Consul in pugnam redit; in eo prælio de-

cem triremes Punicæ abductæ, nouem submersæ sunt, reliquæ ad Liparæas insulas se recepêrunt, victoriæ titulus Romanis mansit, Pœnorum animi irritati magis quàm fracti. Itaque adueniente vere vterque populus majoribus copijs classes instruunt. Romani trecentas triginta naues Messanam conuenire jubent: consilium erat, rectâ inde, & si fieri posset, sine pugna in Africam trajicere: non enim Siciliam satis dignum tantorum laborum prœmium existimabant. Quo intellecto, vehementer commoti sunt Pœnorum patres. Nam & quàm facilis in Africam vbique descensus, & quàm imbellis domi multitudo esset non ignorabant. Agathocles modò Syracusarũ Regulus cum tantillo exercitu in Africam transgressus, quas turbas excitabat? quid futurum, si Romanus eòdem appelleret? Re maturè deliberatâ, statuunt hosti in mare occurrere, & descensum pro viribus prohibere; itaq; trecentarum quinquaginta nauium classem omni apparatu instruunt, ducem classi Amilcarẽ præficiunt, ei socium imperij Annonem dant.

Amilcar Pœnorum dux.

Cap. 15.

Quibus rebus cognitis, Consules ambo M. Attilius & Lucius Manlius majore cum cura omnes belli partes administrabant. Pedestribus copijs ad Ennonem, quà breuissimus ex Sicilia in Africam trajectus, conuenire jussis, ipsi à Messana primo vere soluunt, & superato Pachini promontorio eòdem veniunt: vbi delectu acerrimè habito, & strenuissimo quoque in naues imposito, classem apparant, quam primùm venti cursum nauibus darent, in Africam transmissuri. Milites interim clarioris quàm

hactenus

hactenùs militiæ ſpe, ad omnes belli caſus forti animo ſubeundos acuunt. Amilcarē occaſionibus intētū ea vna cura tenuit, ne Romanos ſine pugna è manibus emitteret. Itaque ſpeculatores alios poſt alios noctes dieſque diligentiſſimè emiſit, portui ad Ennonē obuerſari juſſos: Singulos, niſi inſpecto penitùs portu, & nauium, ne quæ fallerent, numero attentiùs conſiderato, ad ſe redire vetuit; ipſe ventum ſumma cura notabat. Romani, etſi ſine pugna, & integris viribus trajicere mallent, hoſtem tamen in tranſitu fallere non magnopere optabant: itaque ad vtrumque parati, quamprimùm commodū erat, vela faciunt. Erant in claſſe Romana hominum millia centum & quadraginta; ſingulis quibuſque nauibus trecenti remiges, & claſſiarij milites centum & viginti aſcribebantur. Pœni aptis tantummodo ad prælium nauale militibus claſſem impleuerant, quorum omnis multitudo erat centum & quinquaginta millia; Romani, quum ab Ennone Africam petentibus curſum obliquum fore cernerent, ſimulque intelligerent hoſtes maris vſu ſuis longè præſtare, agmen vndiquaque firmum, & quacunque parte ingruerent, hoſtium viribus inexpugnabile efficere conantur. Quapropter vt in pedeſtri acie, agmine interdum quadrato, & ad omnes caſus parato incedere ſolebant, ita naualem hanc aciem, triangulari forma, & æquilatera dirigebant, vt ſiue hoſtium impetus accipiendus foret, clauſa vndique & munita acies eſſet, ſiue impreſſio in hoſtes vltrò facienda, quolibet ex tribus angulo pro cuneo ad aperi-

endam hostium classem vterentur: ponè trianguli basim sequebantur onerariæ, Hippagogæ, forum: agmen extremum clausit valida quinqueremium circiter quinquaginta acies, quas ad pedestris aciei similitudinem triarias appellabant. Amilcar & Anno, quum per speculatores hostem adesse & prœlium instare comperissent, ipsi priores portu egressi, libero & aperto mari ferebantur. Vt hostis in conspectum venit, mouit primùm Amilcarem insolita aciei forma: nihil enim illi profutura videbatur nauium suarum celeritas, & in circumflectendo cursu agilitas, quùm omni parte, veluti murus densa nauium aduersarum acies objiceretur. Atqui nisi ingens hoc corpus arte aliqua distraheretur, nulla vi perrumpi illud, aut in Africam cursum impediri posse prouidebat. Consilium igitur ex re capit: classem suam quadrifariam diuidit: ipse cum cohorte sua, quasi Consules inuasurus, abit: idem reliquas facere jubet, sed nisi cum diuulsis congredi vetat. Consules, quum Amilcarem magno primùm impetu se inferentem, deinde cum propè venisset, cursum repente sistere, & veluti fluctuare cernerent, facile eum in fugam pelli posse arbitrati, & rerum in Africa gerendarum obliti, ruptis trianguli lateribus cum duabus totius classis partibus, impetum in eum faciunt. Amilcar rem ad votum successisse lætus, fugam simulat, eò audaciùs insequi consules; aut hoc prœlio aut nunquam debellari posse rati. Amilcar cum Consules à suis penitus abstractos perspexisset, fugam sistit, & suos cohortatus in pugnã redit; atrox

Memorabilis pugna naualis ad Ennonem.

atrox ibi cietur pugna: Pœni nauium agilitate freti, omni parte classem hostilem carpunt; consules dum eminùs pugnabant, omne missilium genus grãdine densiùs in hostẽ effundebãt, propiùs vero subeuntibus, coruos injecerunt, & ad stabilẽ pugnam rem reuocabant. Parte altera Anno Amilcarem imitatus, trianguli basim inuadit; tertia insuper acies triarias ad impedimentorum præsidium relictas aggressa, omni vi contendit, vt victoria à se potissimum inciperet. Ita tres simul pugnæ, diuersis inter se concurrentibus aciebus, pari robore pari virtute militum ciebantur. Consules errati à se commissi conscij, omnibus viribus adnitebantur, ne temerè potius quàm consultò ad pugnam prouolasse, neuè alij victoriæ, quàm qui pugnæ fuerant, autores fuisse viderentur. Quumque rem in ea parte, qua Amilcar ipse pugnabat, inclinatam vidissent, eò ardentiùs incubuerunt, vt tam claro hostium duce vel viuo vel mortuo potirentur. Amilcar, quum & mole nauium & militũm multitudine omni parte obrui se animaduertisset, amissis nauibus, ne funestam illam diem sua insuper morte faceret, quinqueremis suæ velocitate abreptus fugit. Attilius relicto Manlio ad naues captiuas religandas, quum triarias, onerarias, Hippagogas, & impedimentarias, ab Annone circumventas laborare accepisset, auxilio accurrit. Anno fusum Amilcarem & Attilium ad se opprimendum venire sentiens, sublatis velis altum petijt: restabat adhuc tertia acies, quæ propius littus à Pœnis grauissimè omnium premebatur; sed vtroque jam

Consule suppetias ferente, non illa modò præsenti periculo erepta fuit, verumetiã hostes fusi fugatique in terram se ejecerunt. Major erat ex hac victoria Romanorum gloria, quam Pœnorum strages. Depressæ sunt naues tantùm viginti quatuor, quatuor & sexaginta captæ: creditum vulgo est, deleri illo die potuisse classem Punicam, si grauioris, vt ita loquar, armaturæ nauibus, minoris ponderis nauigia, & quasi velites ad insequendum admista Romani habuissent. Finito prœlio Consules Ennonem eodem die redeunt: ibi & milites fessos, & naues quassatas & laceras reficiunt: aucta deinde ex captarum numero classe, quæque ad expeditionem Africanam, de nouo agenda parandaque erant, paratis peractisque, rursus Ennone soluunt, & sine vlla maris ventorumuè injuria in Africã appulsi, copias omnes in littore exposuerunt: ibi subducta properè classe, valloque & fossa, vt mos erat, munita, campestrem omnem regionem vastant, incenduntque, & viginti captiuorum millia, præter reliquam prædam ad naues remittunt. Tum literas ad senatum scribunt, quid egerint ostendunt, quid deinceps fieri velint, inquirunt. Senatus Consules inter se comparare, sortireuè jubent, vter in Africa cum quantum satis esset militum robore, ad bellum patrandum maneret, alter vt Romam cum classe & exercitu reuerteretur. Facta inter se comparatione, Attilium cum quindecem millibus militum, & instructa quadraginta nauium classe in Africa manere placuit. Manlius contentus ea quam ad Ennonem parauerat

victoria naualis.

uerat gloria, cum reliquo exercitu & claſſe omni, in Siciliam primò, inde Romam incolumis peruenit. Planè abs re hoc loco fuerit, res ab Attilio in Africa fortitèr fœlicitèrque geſtas commemoraſſe; fuſis vbique fugatiſue Pœnis, expugnatiſque caſtellis & vrbibus, & ducentis ampliùs oppidis, quæ ad Romanos defecerant, receptis, ipſis demum Carthaginis mœnibus exercitum admouit. Pœni de conditionibus pacis agere: ſi æquæ darentur, haud abnuere. Attilius moderati alioquin ingenij, & priſci moris vir, quia tamen hoſtem ſuæ vrbis mœnibus incluſum tenebat, pacis leges duras nimis, & vix victis tandem accipiendas ſcribere: itaque ſolutis inducijs, majore, ex rerum deſperatione & hoſtium ſuperbia, animo ad obſidionis mala, quæcunque ea fuerint, toleranda ſe parant. Paucos poſt dies auxilia Lacedæmone miſſa ſub duce Xantippo veniunt: is non labentem jam, ſed planè prolapſam Carthaginienſium rem ſua virtute & conſilio reſtituit. Ante omnia rationem belli mutauit: caſtra de montibus in planitiem deduxit, vbi equorũ & elephãtorum (quibus vtriſque Pœni abundabant) plurimus in prælio vſus eſſe poſſet: nec mora, copias in aciem educit. Attilius quanquam & rationem belli mutatam videbat, & nouam hanc audaciam mirabatur, pugnandi tamen copiam hoſti fecit. Sed vniuerſus ejus exercitus ab elephantorum primùm incurſu obtritus, mox immiſſis equitibus pecudum in modum trucidatus eſt. Ex toto exercitu duo duntaxat millia ad vrbem Aſpidam ægrè euaſerunt. Con-

ſul viuus in poteſtatem hoſtium venit: ita non ponendo fortunæ ſuæ modum, ſimul parta ſperatáque belli decora horæ momento perdidit.

Cap 16. Romani, vbi præter ſpem profligatum in Africa exercitum, captum Conſulem & reliquas copias cæde elapſas, obſeſſas teneri accepiſſent, confeſtim trecentarum quinquaginta nauium claſſem parari & M. Æmilium & Seruium Fuluium Conſules ad ciues ſeruandos proficiſci iubent. Conſules in Africam celeritèr tranſmittentes, in ducentarum nauium claſſem Punicam: quæ ſtationem ad Mercurij promontorium habebant, incidunt, ex illis centum & quatuordecem circumuentas, nullo certamine cum armis viriſque capiũt; expoſito deinde in littore exercitu, & relicto quantum ſatis tutandis nauibus eſſet præſidio, cum reliquo exercitu Aſpidam contendunt. Quo cognito Pœni obſidionem ſoluunt. Conſules, collaudata militum virtute, quòd tanta clade perculſi animos non deſpondiſſent, pauciſque diebus ad vaſtandos hoſtium agros datis, ad naues redeunt: exercitu impoſito, Siciliam, ſpe aliquid improuiſo ſuo aduentu in illo littore patrandi, petere inſtituunt: idque fortaſſe ad Panormum aut Himeram, aut aliam aliquam vrbem ad Occidentem ſitam appulſi efficiſſent; ſed enim prauo conſilio vſos libido inceſſit, ſuperato Africo mari, & Pachino ad læuam relicto, longè à Sicilia dextram & Orientem petere, quo improuiſiùs ſeu Catanam vrbem, ſeu alium quem locum, qui ad Orientalem inſulæ oram ab hoſtibus tenebatur, adorirentur: fruſtra inclamantibus

Magna Pœnorum in mari ſine pugna clades.

mantibus gubernatoribus & nauarchis, jam instare hyemem, importuosũ illud esse Siciliæ littus, intractabile mare: seu Boreas ingrueret, non procul inde ad Austrum esse Syrtes, mille naufragijs infames; siue Africus, ignota esse ad ad Aquilonem & Orientem littora: scire Coss. quæ belli essent, in nauigationis re nauarchorum voces audiendas esse. Sed gubernatorum peritiam vicit Consulum pertinacia, seròque tandem intellectum est, veteri prouerbio, Sua cuique in arte credi oportere. Longè ab omni terra in vastissimũ pelagus abreptos tanta subitò inuasit tempestas, vt cœlum terramque misceri crederes. In hac tempestate duo Consules Romani, ignobili, suaque stultitia accersita morte perierunt. Vtile ducibus editum exemplum, nisi cum illis ducentæ octuaginta quatuor naues, quinqueremes omnes, & in illis ciuium sociorumque Romanorum supra centum millia perijssent. Dictum Polybij est autoris grauissimi, majus naufragium vno tempore factum, ante suam ætatem audiuisse neminem. Liceat & mihi idem de nostra commemorare; profectò enim omnes omnium temporum historias cogitanti, nullam vnquam tantam in mari, ventorum, aut maris injuria, cladem acceptam fuisse constat.

Omnium quæ fando audita sunt maximum nafragium.

Cap. 17.

Cladis Romanæ nuncium Pœni lætis vt par erat animis acceperunt, æquatasque rursus suas & Romanorum res gaudentes, iterum Amilcarem in Siciliam cum exercitu & ducentarum nauium classe mittunt. Romani quamuis tam ferali nuncio concussi, ne tamen Carthaginiensibus

bus animi robore & virtute cedere viderentur, nouam ducentarum & viginti nauium classem & ipsi apparant: hoc autem tanta celeritate factum est, vt tertio quàm cæsa est in siluis materies mense, hæc tanta ædificata classis & in mare deducta fuerit, parata ad dimicandum quacunque hostis occurrisset: rem planè incredibilem, si Polybium autorem non haberet. Classe accepta, consules A. Aquilius & C. Cornelius jussu Senatus Siciliam petunt: ibi adjunctis quæ ex superiore naufragio supererant nauibus, trecentarũ rursus nauium classem efficiunt. Cum ea Messanâ soluentes, Panormum, qua potissimùm Pœni fidebant vrbe, appellunt: nec magnæ difficultatis res erat; parte vrbis vi capta, reliqua per deditionem in potestatem venit. Rebus ita dispositis Consules Romam redeunt. Proximo deinde anno Consules creati sunt C. Seruilius & C. Sempronius. Prouinciam eandem Consul vterque habuit, classem & Siciliam, cum potestate in Africam trajiciendi si è republica esse videretur. Consules classe accepta, Panormum veniunt. Inde quamprimùm in Africam trajecturi, dum trajiciunt, errore viæ ad Lotophagorum insulam appellunt, longè à Carthagine ad Orientem in minore Syrte positam, & Vlissis olim erroribus ex Homeri carminibus famigeratam. Fidem poetæ posterioribus sæculis faciebant Tiberij Imperatoris tempore conspectæ ibi Vlissis aræ, & Lotos arbor, fructu suauissimo, sed qui terrarum prætereà nusquam reperiebatur. Ibi locorum ignari subito maris recursu, in vado naues

Lotophagi.

ues destituuntur. Nouitate rei territi Consules, in vltimam salutis desperationem veniunt. Ne in gubernatoribus quidem opis quicquam aut consilij erat, quia Syrtis naturam ignorabant. Vulgo autem militum monstra & iræ deûm manifesta indicia esse videbantur: vbi altum modò erat, & tutum nauibus patebat iter, ibi vadosa nunc omnia, & per aquarum angustias interlucentes arenæ conspiciebantur. Iam nauibus ipsis ne arenis subsidentes veluti voragine haurirentur, metuebant. Iidem quum mare, redeunte mox æstu, intumesceret, ne ad vada hærentes superfusis fluctibus operirentur, formidabant: sed quum naues, vt minimi quæque ponderis erant, ita primas fluitantes cernerent, re intellecta, pro se quisque jactum facere cæperunt, ita leuatis onere nauibus, & quæ cujusque erant in mare projectis, Siciliam inopes & inermes fugæ in modum repetunt.

Cap. 18.
Syrtes quid

Syrtes autem illæ, nihil aliud sunt, quàm quæ ad Oceani littora æstuaria appellantur. Illud modò interest, quod in hijs refluente penitùs æstu ingentes plerisque in locis nudantur arenarum campi, in illis verò propter modicos maris refluxus minuuntur modò, breuioresque & ad onera ferenda impares fiunt aquæ. Illud enim Syrtibus istis cum cœteris æstuarijs commune est, quòd vadosa quidem sint omnia, sed non eodem genere. Alibi enim solidæ arenæ subsunt, in quas, si deficiente jam aqua, naues considant, redeunte mox æstu facilè subleuantur: alibi verò cænum putre & voraginosum est, in quod si nauis semel impegerit, hæ-

ret

ret confestìm & subsidit, nec vlla deinceps vi erui & extricari possit. Saluti Romanis in præsenti fuit, quòd in solidas arenas & sabulum inciderunt. Sed quid profuit miseris, in Syrtibus non perijsse? inde enim trepidi & semianimes elapsi, priusquàm Italiæ oram attingerent, sæuissima oborta tempestate, centum quinquaginta naues, vel fluctibus haustæ, vel ad scopulos fractæ, perierunt.

Cap. 19.

Aliud insigne Romanorum naufragium.

Omissum à Romanis mare

Romani tot tantisque tamque inauditis cladibus alijs super alijs incidentibus icti, quamuis Pœnum hostem omittere nolebant, à mare tamen deinceps abstinendum esse censuerunt. Itaque lembis & onerarijs ad exercitus aliosque belli apparatus in Siciliam transmittendos contenti, omnem quinqueremium aliarumuè nauium longarum ædificandarum curam posuerunt. Toto deinde biennio pedestribus copijs in Sicilia res gerebatur: sed miles Romanus cladis Attilianæ, & Elephantorum qui cladis initium fecerant memores, mœnibus se libentiùs quàm armis tutabantur. Quare Senatus rursus de classe paranda consilium inibat. Consules veterem classem reficere, nouas quinquaginta naues parare jubet. Tota jam classis ducentorum nauigiorum erat: cum hijs in Siciliam nauigant; assumptisque terrestribus copijs, Lelybæum vrbem munitissimam terra marique obsident. Erat Lelybæum post ademptũ Panormũ cõmodissimus in Sicilia ex Africa nauigantibus receptus: nec Pœnos latuit, si vrbs illa Romanorum juris fieret, quanta illis futura esset loci opportunitas ad trajectus in Africam pro libito faciendos.

Noua classis parata.

Lelybæum vrbs & portus.

Itaque

Itaque & Pœni non minùs de hac vrbe ſoliciti eſſe, quàm ſi ipſius Carthaginis mœnia quaterentur ariete, & Romani ſummam belli in hujus vrbis expugnatione poſitam eſſe exiſtimare. Quartum decimum jam annum bellum trahi indignabantur. Itaque vrbem vallo foſſaque à terra, à mari verò valida ducentarum nauium claſſe clauſam, omnibus operibus bellicis oppugnauerunt. Vrbi cum valido præſidio præerat Imilco; is Romanorum vim, præterquam præſidio, magnitudine animi & conſilio ſuſtinebat: ſiue enim cuniculos agerent Romani, ille foſſis ex aduerſo ductis cuniculatores improuiſò adortus trucidabat, ſiue vineas, vineas ille ſimul & arietes, & turres ad muros actas eruptionibus factis vel incendit vel euertit: vt rarò vlla oppugnatio obſidentibus euentior fuerit. Carthaginienſes, quanquam adeò arcta erat obſidio, vt quid intus ageretur, certiores ab Imilcone fieri non poſſent, facilè tamen ſuſpicati ex diutina obſidione, & militem jam & commeatum in vrbe deficere, Annibalem Amilcaris filium cum quinquaginta nauibus & decem armatorum millibus ſubſidio obſeſſis mittunt, monitum vt omni conatu ad vrbem penetraret. Annibal ad primum ventum Carthagine ſoluit, & ad portus Lelybætani fauces delatus, quamuis ducentarum circiter nauium claſſem obuerſantes cerneret, ſecundo tamen vento & virtute vſus, ad portum tendit. Conſules, qui ambo tum forte in ſtatione erant, ſubito hoſtium aduentu territi, laxatis extemplò nauium ordinibus viam hoſti aperuerunt.

eius terra marique o'ſidio.

Imilco.

Ille

Ille fauces subit, & cum ingenti ciuium sociorumque plausu copias incolumes Lelybæi exponit. Quæ res, incredibile quantum Romanorum contemptum apud omnes genuit, vbi illa indoles esset, exigentes, quæ paruis olim copijs maximos hostium exercitus profligauerat? adeonè nunc cecidisse animis, vt bini Consules ducentarum quinqueremium classe fulti, tantulum Pœnorum manipulum, non priores aggredi, non in se ruentes sustinere, non objectu saltem quinqueremium aditu prohibere ausint? spectatumuè, inquirunt, Punicam virtutem, non Romanam ostensuri in salo stabant? sed Romanis tot non ita pridem vulneribus in mari saucijs, tuta magis quàm fortia placebant consilia. Annibal paucos ibi dies moratus, nocte intempesta, nemine hostium sentiente portu elapsus, circumito promontorio Drepanum petit; inde, vt res postularet, ad alias insulæ partes nauigaturus.

Cap. 20.

Annibal Rhodius.

Interim Carthagine, quid Lelybæi contigerat, ignoratur. Erat per id tempus in vrbe, quidam genere Rhodius, nomine Annibal, notæ virtutis & in rebus naualibus peritiæ vir. Is cognito Senatus desiderio se naue vnica Lelybæum per Romanorum stationes perrupturum, inspectisque omnibus, de rerum statu certiores redditurum pollicetur. Lætis id magis quàm credulis auribus acceperunt patres. Veruntamen literis ad Imilconem datis, præmiorum spe onustum, bonis auibus proficisci jubent. Rhodius quum prope os portus applicuisset, aliquantisper stationibus Romanis obseruatis,

ventum nactus, incredibili celeritate per medias hostium stationes portum inuehitur, frustra Romanis omni missilium genere prætereuntem incessentibus. Mouit Consulem rei indignitas: itaque ratus eum noctu, quò magis falleret, rediturum, portus angustias noctu quàm interdiu arctiùs custodiri curauit, & ipse interdum excubias agere non grauatus, quantum in illa naue intercipienda momenti esset, milites admonebat. Rhodius perfectis omnibus ad quæ venerat, quum custodias interdiu negligentiùs haberi animaduertisset, meridiantibus Romanis, ad portus os delatus, antequam naues hostium ad prohibendum coire possent, in mare apertum & liberum euasit: tum conuersus vnam aliquam hostium nauem ad singulare certamen prouocauit: nec ex tanta Romanorum classe quisquam repertus, qui ex prouocatione congredi auderet. Itaque veluti triumphatis Romanis Carthaginem redijt, vbi redditis literis, & quæ perceperat in senatu expositis, iterum & multoties repetitis vicibus, Carthagine cum mandatis senatus soluit, nec intercludi à Lelybæo vlla vi aut arte, nec quin irrumperet vbi vellet, prohiberi potuit. Consul qui classi præerat tanta istà vnius hominis licentia offensus, fauces portus iacto aggere obstruere conatur: naues saxo & sabulo onustas in ipso portus introitu depressit: sed nulla materiæ vis tam vastum profundum implere valuit, fluxusque & refluxus maris à vento insuper sæpe concitatus longi temporis laborem puncto temporis dissipabat. Veruntamen

quum nullum molis jaciendæ finem faceret, tandem ex vna parte aggeris aliquid consiste- bat: ad illum quadriremis quædam Punica no- ctu emissa impegit: qua confestim potiti Ro- mani, eam milite Romano complent, instru- ctamque ante portum tenent: eâq; deinceps ve- luti venatoria, ad cæteras & præsertim Anni- balicam illam capiendam vtebantur; illa paulò post per noctem adueniens solita celeritate por- tum intrauerat, sed dum redire vellet, sequu- ta ex improuiso quadriremis premere fugien- tem cœpit. Annibal mirari primùm nauis Ro- manæ velocitatem: dum attentiùs contuetur, non Romanæ illam sed Punicæ fabricæ nauem esse cognoscit: itaque quum fuga euadere non posset, ad pugnam se parat: sed à Romano milite facilè expugnatur. Consul Annibalicam hanc & illam alteram quadriremem diligentèr asseruari, & Romam cum cura transmitti man- dat.

Cap. 21. Inde ad vrbem acriùs quàm ante hinc terra, hinc mari premendam se vertunt Consules. Et- enim quum portum jam in potestate haberent, angustiora statìm omnia obsessis quam priùs esse cœperant. Iamq; Imilco non eruptionibus vt an- te, sed munitionibus, & murorũ, si qua vi tormẽ- torum corruerant, refectionibus certare, de- nique spes vltimas malè fouere: quùm subitò atrocissima tempestas orta, omnes Romano- rum turres, quæ mœnia priùs defensoribus nudabant, inuasit; rei miraculo stupentes Ro- manos nox insuper oppressit. Pœni cum quan- ta in castris Romanorum rerum & animorum turbatio

turbatio esset è mœnibus prospicerent, patefactis repente portis, facibus & funalibus armati, machinis bellicis ignem inferunt: ex multo jam sole torridæ flammam facilè rapuerunt; semel aûtem suscitatus ignis venti violentia in omnes statim castrorum partes subitò ferebatur. Romani flammarum causam ignorantes, ad incendium veluti fortuitum restinguendum accurrunt: ibi fœda strages in inermes edita; fumoque oculos atque ora impleti, hij ferro, illi machinarum & turrium ruinis strati, alij incendio perierunt. Quibus rebus territi Romani, quandoquidem aperto Marte nihil proficerent, sedendo potiùs quàm pugnando rem, si non conficere, at saltem extrahere consultiùs esse judicabant.

Cap. 22.

Adherbal.

Exacto deinde anno, P. Claudius Pulcher Consul ad exercitum & classe venit. Consilium init, Adherbalem Pœnorum ducem, qui Drepanum (vrbs illa erat non longè, vt diximus, à Lelybæo sita) cum firmissimo præsidio & classe tenebat, opprimendi: valido igitur exercitu classi imposito, à Lelybæo noctu soluit; Erat in animo portum prima & incerta adhuc luce intrare, sed siue seriùs quàm cogitabat egressus, siue tardiùs quam putabat vela faciens, clara lux ex alto ad portum tendentem ostendit. Adherbal quanquam inopinata re initio perculsus, recepto tamen animo classiarios & milites ad naues conuocat, & qui rem Punicam saluam esse vellent, se sequi jubet. Quid quantumque in rebus dubijs militaris disciplina possit, illa die patuit: dicto citiùs omnes ad naues conuo-

lant; ipse Adherbal naue prætoria conspicuus, quum classem Romanam altero portus ostio (geminum enim ex loci natura erat) intrantes videret,altero in altum euadit. Claudius quum hostem altum jam tenentem cerneret, reuocato gradu, & ipse classem extra portum instruit. Adherbal cornu, in quo ipse consul pugnabat, acerrimè inuasit, nec Claudius primo congressu quicquam consule indignum fecit, sed omni jam parte à Pœno circumuentus fugam arripit; illam sequutæ naues circitèr triginta euaserunt, nonaginta tres cum omni exercitu in hostium venerunt potestatem. Quam cladem temeritate & vitio consulis acceptam adeò grauiter senatus tulit, vt Romam reuocatum & consulatu exutum judicio populi objiceret: à quo diris omnibus deuotus & damnatus, capitale supplicium vix effugit.

Clades a Romanis in mare Appio duce accepta.

In ejus locum L. Iunius alter Consul sufficitur. Datum in mandatis, vt exercitui ad Lelybæum sedenti primo quoque tempore suppetias ferret: neuè obsidionem illam propter cladem nuper temeritate consulis acceptam senescere pateretur. Consul cum sexaginta rostratis nauibus Messanam petit, ibi ex omnibus socijs ciuitatibus naues contrahit, centum viginti rostratarum classem conficit, præter frumentarias, onerariasque & alias numero octingentas. Harum mediam ferè partem, & præsidij causa ex rostratis quasdam, Quæstori tradit, eumque per auersum Siciliæ latus, superato Pachino Lelybæum petere jubet: ipse non longo interuallo, cum reliqua classe eodem ire pergit.

Cap.23.

Duplum

Duplum erat viæ & tantundem à mare periculi, quam ſi rectâ à Meſſana per fretum Siculum, inſula ad læuam relicta, Lelybæum ire perrexiſſet; ſed Adherbal totum illud latus cum victrice exercitu vſquequaque vagando intutum fecerat; & Romanus miles tot cladibus in mari affectus, à prœlijs naualibus abhorrebat. Adherbal claſſe hoſtium cum exercitu ad Drepanum potitus, omnes Carthaginem, ſiue ad vrbis ſolatium, ſiue ad victoriam ſuam oſtentandam miſit. Carthalonem deinde cum expeditis nauibus triginta altum tenere jubet: monitum vt quaſcunque naues hoſtium poſſet vel caperet vel corrumperet, daretque imprimis operam ne commeatus exercitui Romano ad Lelybæum ſedenti ſubueheretur. Carthalo noctu ſoluens, ſummo mane portum Lelybætanum inuehitur, ibi hoſtem improuiſò adortus, tumultum excitauit; quo audito, Imilco cum ſuis ex vrbe accurrit. Romana interim claſſis incluſa grauitèr vndique laborare, & in vltimum diſcrimen adduci: nec conſtare potuit quid Carthalonem victorem à pugna reuocauerit, deleri potuit Romana claſſis, vrbs obſidione liberari ſi fortuna ſe præbente uti voluiſſet: ſed ille paucis modò nauigijs oppreſſis ante meridiem è portu ſoluit & Heracleum contendit.

Carthalo

Cap. 24.

Heracleum.

Erat Heracléum vrbs ad Orientem à Lelybæo ſita, per quam ſi quis commeatus ad hoſtem toto illo tractu perferretur neceſſariò tranſeundum erat: ibi ſtationem habenti, ſpeculatoriæ repentè naues, aliæ poſt alias trepidè inciden-

tes, ingentem nauium numerum ſuperato Pachino, aduentare nunciant; ea claſſis Romanæ pars erat, quam Conſul Quæſtori ad commeatum exercitui ad Lelybæum ſedenti perferendam tradiderat. Carthalo, vt qui multis congreſſibus Romanam claſſem ſpernere conſueſſet, contra hoſtem ire pergit. Quæſtor quum hoſtem aduersùs ſe tendere accepiſſet, quanquam numero ſuperabat, prœlio tamen rem committere non audebat. Itaque claſſem, locum opportunum nactus, ad littus applicuit, nauesque ſubduxit; additis quibus poterat, vt in re trepida, munimentis; ſatis fidens hoſtem propter locorum difficultatem a pugna temperaturum. Nec eum ſua feſellit opinio. Hoſtis inde digreſſus, fluminis cujuſdam, quod in propinquo erat, oſtiũ ſubit, vbi pauliſper commoratos, iterũ ſpeculatores alterã haud minorẽ hoſtium claſſem ſe ſequi nunciant. Iunius Conſul erat, qui Syracuſis in via tantiſper moratus, dum res ibi conſtitueret, Quæſtorem ſequebatur, ignarus rerum quæ illi in itinere accidiſſent. Lætus nuncio Carthalo, claſſem educit, vt ſi hoſtem aperto mari nanciſci poſſet, totis viribus cum eo congrederetur. Iamque in conſpectum venerant, quum Conſul eodem quo Quæſtor ingenio vſus, ad propinquum littus protenùs confugit, omne potius periculum ſubire paratus, quàm vt exercitum quem habebat hoſti in mare objiceret. Carthalo quùm nuſquam hoſtis pugnandi copiam faceret, inter Conſulem & Quæſtorem medium locum inſedit; vt vter prior ſe mouiſſet, in eum impetum

tum in alto faceret. Dum hæc aguntur sæua interim tempestas ab Austro ingruit, cujus indicia quædam Pœni, vt erant rerum talium peritissimi præsenserant. Itaque præter ora Consulis & exercitus Romani transeuntes, Pachinum promontorium ad Orientem superant, vt promontorij objectu, à tempestatis ab Austrio ingruentis vi defenderentur. Media deinde nocte tempestate mare inhorruit; & quia totum illud latus Siciliæ, quod Pachinum & Lelybæum interjacet, Austro obuersum erat, inde factum, vt ingens mare vtrique Romanorum classi incumberet. Centum, vt dixi, & viginti rostratis, frumentarijs; & onerarijs octingintis classis tota constabat; ex tanto numero nulla nauis euasit. Exercitus Lelybæum terrestri itinere incolumis peruenit. Consul vt ignominiam in mare acceptam terrestri aliquo facinore leuaret, vrbem Ericem Veneris olim Ericinæ templo nobilem, & portu opportunissimam per proditionem cepit: qua amissa, nullum jam toto illo Siciliæ latere, quod Lelybæum inter & Pelorum promontorium jacet, refugij locum præter Drepanum Pœni habuerunt.

Ingens naufragium.

Cap.25. *Amilcar Barcha maris præfectus a Pœnis constitutus.*

Erat illo tempore inter summos Carthagine ciues, quidam nomine Amilcar, cognomento Barcha; vir omni virtutum genere insignis: huic maris præfecturam tradunt. Hic classe instructa Italiæ statim oram vastat, prædaque onustus in Siciliam redit; & quia nullum in vicino locum, ad quem se ex alto reciperet, Erice erepta, habebat, ideo montem inter Panormum & fretum Siculum natura munitum,

& ad maris occasiones non incommodum occupauit. Inde toto triennio Ericem varia fortuna fatigâbat: jam tertiùm Romani è mare excesserant, omnesque vires suas ad Lelybæum terra expugnandum conuerterant. Interìm Carthaginienses, quum jam ampliùs æmulum in mari non haberent, more ingenij humani, omnia quàm priùs negligentiùs in hac parte adminstrabant: non eam in nauibus fabricandis, non armandis, non in remige vel deligendo vel exercendo curam adhibebant. Contrà Romanos maris quartò experiundi libido cepit, nullum planè huic bello finem imponi posse prospicientes, quousque hostis mari potiretur: sed enim tantæ erant ærarij ex tam diuturno tamque damnoso bello angustiæ & difficultates, vt classis parandæ copia ex eo non suppeteret: reipub. igitur inopia priuatorum facultatibus subleuanda erat: omnibus circulis fremebatur, ærarij difficultatibus rem salutemque publicam & communem patriam premi, prodi, deseri. Itaque multi ciues, quibus amplior res erat, quinqueremes singulas priuatis opibus ædificabant: vbi singuli non sufficerent, plures ad vnam extruendam stipem conferebant: tantus erat communis patriæ amor, tantus singulorum ciuium ardor, & reipub. tuendæ tota vrbe desiderium. Senatus animaduerso populi studio, nauem Rhodiam, & illam alteram quadriremem, vtramque olim ad Lelybæum captam, & à Consule in Italiam, spectaculi magis quàm vsus causa transmissam, nauali extractas, in medium proferri mandat. Naupegis ad illud exemplar

emplar claſſem omnem fabricare jubet; ita breui tempore ducentarum quinquaginta velociſſimarum quinqueremium claſſem conficiunt: ſed ad tantam claſſem inſtruendam remiges idonei deerant.

Cap. 26.

Iam quartus ſupra viceſimum hujus belli agebatur annus: qui annus Q. Luctatium Catulum, & A. Manlium Torq. Conſules habuit. Mœſtis & ſtupentibus rerum inopia patribus, Luctatius eam rem ſibi curæ fore dixit. Is igitur claſſi cum imperio præfectus, repetito veterum more, remigem quotidie in littore Italico exercebat, vt ex vſu remum tractandi peritiam, ex peritia fiduciam compararent: vbi claſſem inſtructam remigemque & militem paratos vidit, rectâ Drepanum contendit, portum improuiſò inuadit, vrbem expugnat, omnia inter Drepanum & Lelybæum loca hoſti adimit: omniaque protinus toto mari infeſta hoſtibus efficit. Pœni tam ſubito aduentu, tamque inſperato ſucceſſu Conſulis territi, quoniam Amilcarem ab Erice, quam obſeſſam tenebat, abſtrahi, è repub. non eſſe videbatur, ſecundum ab Amilcare virum Annonem claſſi præfectum dant. Is ingentem claſſem frumento alijſque rebus neceſſarijs implet, & cum ea ad inſulam Hieroneſum nauigat; vt inde nihil ſentiente Conſule Ericem contenderet; ſimul & Amilcarem rerum inopia laborantem reficeret, & leuatis onere nauibus, nauale prœlium cum Conſule conſereret. At Luctatius aduentu hoſtium cognito, quùm Annonem circa Hieroneſum moram trahere accepiſſet, quid pararet

rarèt facilè conjectura assequebatur: itaque cum tota classe Ægusam insulam petit. Tres sunt insulæ ad Occidentem à Lelybæo promontorio sitæ, Hieronesus, Ægusa, & Phorbantia, quæ omnes vno nomine Ægates Insulæ à Romanis dicebantur. Occidentalior Ægusæ pars, Hieronesum ferè attingit; ibi stationem capit Luctatius Consul, vt si Anno inde moueret, id se inscio facere non posset, simul milites ad pugnæ discrimen se parare jubet; mane proximo quum ventum quidem Annoni secundum, & ad Ericem ferentem, sed mare turbidum & procellosum, nec ad prœlium committendum commodum esse animaduertisset, quid potissimùm faceret incertum habuit. Re aliquantisper & apud se, & cum suis deliberata, subibat animum, si in hac procella maris cum Annone confligeret, prœlium duntaxat cum Annone, & cum nauali turba, & cum impeditis grauibusque & onustis nauibus fore; sin tranquillum mare expectando, Annonem nunc è manibus amitteret, cum eodem mox expeditam classem habituro, & cum delecto ex Amilcaris exercitu milite, forsitan & cum Amilcaris audacia, (qua nihil illo tempore terribilius Romanis erat) conflicturum: statuit igitur quamuis feruido & infesto mari cum Annone transigere. Anno ventum commodum ad nauigandū nactus, vela Ericem versus facit. Consul classem ex aduersó opponit. Pœni quindecim jam & ampliùs annorum spatio Romanos in mare vincere assueti, nullam pugnandi moram faciunt: contractis velis inclinatisque malis remos aptant, & tan-

Aegates Insulæ.

Pugna naualis ad Aegates insulas.

& tanto cum contemptu in hostem feruntur, vix vt hostes agnoscere viderentur. Crescente certamine, mirari primùm Anno nauium Romanarum celeritatem, mox deinde solitò majorem remigum in nauigando vim & disciplinam: interim ingentibus vtrinque animis concurritur, dum Anno tot annorum in mare dominium retinere, Luctatius veterem Romanorum gloriam recipere conatur. Sed nulla parte virium par Pœnus Romano erat: non milite, non remige, non ipsa nauium, vt onustæ non fuerint, agilitate: etenim Pœnus, vt diximus, quandoquidem Romanos toties in mari fusos, nunquam postea quicquam in illo genere molituros existimabat, veterem suam, quà tot sæcula res Punica stetisset, rei naualis curam, superfluam veluti abjecerant; ni fecissent, nunquam illi naues bellicas in onerarias vertissent, non inconditam multitudinem ad remos vocassent, nouum denique militem & tironem exercitum veterano hosti in mari non objecissent. Itaque nullo egregio facinore edito à Romanis superantur, naues quinquaginta in prælio submersæ, septuaginta, omni commeatuum & apparatuum bellicorum genere refertæ, capiuntur, reliquæ fuga elapsæ, Hieronesum fuga repetunt. Hæc est illa pugna quæ apud Ægates insulas commissa in Romana historia tantopere celebratur, quaque L. Luctatius Catulus Consul Romanus Lysandro Spartano, triumphatis ad Ægospotamos Atheniensibus, omni laudis genere comparatur; vtraque certè euentu quàm certamine memorabilior; vt enim illa

illa Peloponesiaco, ita hæc primo bello Punico finem imposuit. Parta victoria Consul cum classe Lelybæum redit, ibi prædam inter suos partitus, spem vrbis potiundæ propinquam habere cæpit.

Cap. 27. Carthaginienses, accepto tantæ cladis nuncio, quum præter Lelybæum vrbem, & ipsum castrorum juxta Ericem solum, nullum jam in Sicilia locum possiderent, legatos ad Amilcarem cum liberis mandatis mittunt, vt pacem quibus posset, & ei videretur, conditionibus cum Romano faceret. Amilcar legatos ad Luctatium de pace misit; nec Luctatius tanti belli à se finiti laudem aspernatus, tantum virum pacem vltrò petentem non audiendum esse censuit. Fœdere conuenit, amicitiam Romanis Carthaginiensibusque esse, si ita populo Romano videretur. Excedere omni Sicilia Carthaginienses. Habita etiam est in illo fœdere Hieronis Syracusarum Regis ratio, ne Carthaginiensibus Hieroni aut ejus socijs belli inferendi jus esset. Captiuos Pœni sine pretio redderent, bina millia argenti talentorum intra annos viginti penderent. Has conditiones Romam missas populus Romanus ratas non habuit. Conditionum scribendarum causa legati in Siciliam missi. Hij quum venissent, de summa rerum nihil immutarunt, mille talenta, breuiori omnia spatio pendenda, addiderunt: nec Sicilia modò, sed omnibus quæ inter Siciliam & Africam sunt insulis Carthaginienses decedere jussi. Inde Lelybæo præsidia deducta, & Amilcar, cum exercitu nauibus imposito, relicta, quam

Fœdus Romanorum cum Pœnis.

quam tot annos Pœni tenuerant, Sicilia, Carthaginem redijt. Durabat hoc bellum, continuis quatuor & viginti annis: omnium quæ ad illud vſque tempus geſta fuerant longè maximum, in quo ſemel quinqueremibus ex vtraque parte amplius quingentis, iterum ſeptingentis ferè pugnatum fuit. Amiſerunt in hoc bello Romani quinqueremes ſeptingentas, Pœni quingentas; præter quadriremes, triremes & onerarias, quarum ratio inita non erat, nec præ multitudine iniri potuit. Hic memorabit fortaſſe aliquis, Antigoni, Demetrij, & Ptolomæi claſſes: quæ vt non contemnendæ, ita cum Romanorum & Carthaginienſium claſſibus neutiquam comparandæ erant: Perſarum & Græcorum res in mari geſtas alius vtique demirabitur: ſed quid habuit illorum temporum triremis, cum quinque ſeptemuè remibus Romanis conferendum? octo illæ & decem, hæ quingentos milites ſingulæ habuerunt. Cæptum eſt hoc bellum, id quod ex Polybio conſtat, Olympiade centeſima vigeſima nona, anno ab vrbe condita, quadringenteſimo octogeſimo octauo, vt author eſt Titus Liuius Romanæ hiſtoriæ libro trigeſimo primo: inde ab eodem, non vno in loco ad finem hujus belli viginti quatuor numerantur anni: cui numero, quamuis ex Chronologicis non deſint, qui demant vnum, etiam & vnum demant, mihi tamen vnus Liuius Romanæ hiſtoriæ pater illis omnibus in Romanæ hiſtoriæ re pluris fuerit.

Cap.28.

Romanis bello Punico defunctis tot tantorumque laborum & periculorum prœmium Si-

cilia imperio adjecta fuit. Hæc Romanos prima docuit quàm præclara res esset, gentibus exteris imperare. Hujus dulcedine allecti, vltra tendere, & aliarum deinceps transmarinarum regionum & regnorum cumulo, imperium Romanum ampliare statuunt, satis persuasi, quicquid progrederentur, nusquam militiam Punicâ duriorem, aut hostem siue vsu, siue ingenio bellicosiorem inuenturos. Erat illo tempore Illyriorum Regina Teuca, postremo mariti sui judicio regnum adepta: cum regno validam Liburnicarum (quæ propria gentis illius nauigia erant) classem acceperat, & erat gens ipsa, quà mare accolit, rerum maritimarum imprimis studiosa; cujus rei ex loci ipsius situ admonebantur, in intimo sinus Adriatici recessu ad Aquilonem positi: peropportuno ad omnes maris occasiones loco, nisi dispari ingenio vsi incolæ, latrociniis magis quàm mercaturis faciendis operam dare maluissent. Mulier regnum adepta, muliebri ingenio omnia statim administrabat. Enimuerò quasi ludus ista & jocus essent, nec ad rerum suarum summam pertinerent, liberam suis potestatem veterum more, promiscuas ex mare prædas agendi fecit, nec eo contenta, suam ipsa classem instruxit, eamque aduersam Italiæ oram omnem, omnem Epiri, & Græciæ deinceps regionem continuis excursionibus fatigare jussit: nam ad mercatores quod attinet, omne inter Græcos & Italos, mare Adriaticum latrociniijs infestando commercium jamdudum sustulerat. Quibus de rebus multiplices sociorum questus in senatu Romano

Teuca Regina Illyriorum.

Illyriorum latrocinia.

mano jamdiu audiebantur: sed propior tum cura de bello Punico patres tenuit: qua mox liberati sociorum injurias non vltrà jam dissimulandas esse censuerunt. Itaque legatos in Illyricum C. & L. Coruncanos fratres miserunt. Hij facta ad Teucam dicendi potestate, de injurijs senatui populoque Romano & eorum socijs à gente Illyrica illatis, grauitèr & liberè querebantur. Medium erat Reginæ responsum, crimen objectum nec diluentis nec defendentis: daturam se ait operam, ne qua deinceps ab Illyriorum gēte Romanis hominibus injuria publico consilio fieret; liberum esse mare, liberā in eo, quod quisq; velit faciendi mortalibus esse facultatem: suos verò nec priuatìm è mari quam quisq; posset, vtilitatē caperet, prohibere insuetam Regibus rem esse. Ad ea Reginæ verba L. Coruncanus, ætate & natura ferox, Quoniā verò Romanis mos est, de priuatis injurijs publicam vindictā sumere, dabimus & nos (inquit) operam, vt breui consuetudines istas Regias corrigere, & in melius mutare, Regina discas. Regina Græcis hactenùs ingenijs assueta, Romani hominis in disceptando libertatem non tulit: vultu tamen magis quàm verbis iracundiam in præsens testata, se proripuit: sed in abeuntes legatos satellites immisit, qui tam ferocis responsi autorem Lucium obtruncarunt. Cujus rei nuncio Romam perlato, alteroque Coruncano, cædem non legati modò verumetiam fratris ad Senatum primò, deinde in concione ad populum vt par erat accusante, omnes confestim tribus bellum Illyrijs conferri jubent.

Coruncanus à Illyriorum Regina cæsus.

Regina

Regina admissi contra jus gentium facinoris secura, proximo vere majorem quàm priùs Lemborum classem in Græciam prædatum mittit. Eorum pars Corcyram nauigant, alij Dyrrachinum portum petunt, vbi dum se aquandi causa venire simulant, nefarium vrbis sociæ occupandæ consilium ineunt. Dyrrachini, nihil ab amicis; ijsque vt videbantur inermibus, suspicati, venientes hospitalitèr in vrbem accipiunt. Illi intus recepti gladios vasculis æquiminalibus conditos ingenti clamore edito stringunt, proximum quemque obtruncant, portam ad mare ducentem & mœnia occupant, cæptumque peregissent facinus, ni ciues properè ad arma conclamassent, & multitudine sua cum virtute freti, sceleratos hospites vrbe præcipites exegissent. Illyrij inde trepidè profecti, suis ad Corcyram sedentibus se adjungunt. Corcyræi ab Achæis auxilium nauale petunt: illi cataphractas decem milite apprimè instructas mittunt: rati aduentu ipso obsidionem solui, & prædonum manum dissipari posse. Illyrij Lembis suis aduersùs cataphractas, hoc est leuibus & apertis nauigijs, contra naues majores & tectas fidere non ausi; ab Acarnanibus (populus erat ex aduerso Corcyræ in Græciæ continente positus) subsidium postulant. Illi septem tectas mittunt, quibus acceptis, Illyrij fidentèr in prœlium aduersus Achæos eunt. Paucæ vtrinque naues ingentium classium specimen dederunt; pares animis Acarnanes & Achæi, diu in certamine perstiterunt. Sed quum Achæi cætera pares cataphractarum numero præstarent

Cap. 29.

Pugna naualis inter Illyrios & Achæos ad Corcyram.

ſtarent, Illyrij feruente jam pugna quaternos Lembos ſingulis hoſtium cataphractis circumſiderunt. Hij remos detergendo, turbandoque, & metum quàm vim majorem inferendo, nec dubiam nec difficilem Acarnanibus de Achæis victoriam tradiderunt. Inde ad vrbis oppugnationem conuerſi, eam per deditionem capiunt. Ea verò capta, ad Dyrrachium, vrbem item maritimam, omnibus viribus expugnandum redeunt. Corcyræ præſidium, & præſidij præfectum, Demetrium Pharium relinquunt.

Cap. 30. Interim paratis omnibus cum ducentarum nauium claſſe ſoluit C. Fuluius Conſul, & rectà Corcyram contendit, ratus ſe Illyrios in vrbis obſidione adhuc hærentes reperturum. Inſula erat de qua variæ olim inter Lacedæmonios & Athenienſes, florentibus adhuc Græciæ rebus, contentiones & pugnæ fuerant: quibus jam vtriſque per ſucceſſores Alexandri oppreſſis, terrarumque orbis oculis in Romanos poſt patratum bellum Punicum conuerſis, omnium Græcanicarum prima hæc eorum amicitiam & opem expetiuerat. Nec vlla erat in mari inſula Romanis Græciam jam & Orientem ſpectantibus opportunior. Nouem non amplius horarum iter Brunduſio aberat; inde breuiſſimus ſiue in Epirum, ſiue in Peloponeſum, ſiue ad ipſam Corinthum, qua Peloponeſus cum reliqua Græcia committitur, trajectus. Fuluius vrbem ab Illyrijs captam quamuis comperit, in inſulam tamen cum exercitu deſcendit. Etenim Demetrius vrbis, vt diximus, præfectus

constitutus, quum se apud Reginam inuidorum obtrectationibus lacerari non ignoraret, muliebre ingenium veritus, clam Romam miserat, qui, fide accepta, Romanis si eò cum classe appulissent, se & vrbem & insulam traditurum confirmarent. Nec longi negotij res erat: cognito enim ciuium studio, quo ad Romanos propendebant, Demetrius & vrbem & insulam & ipsum Illyriorum præsidium Romanis tradit. Eodem tempore A. quoque Posthumius terrestrem exercitum Brundusio Corcyram transmisit: ita junctis copijs Apolloniam trajiciunt, inde Dyrrachium, ad soluendam obsidione vrbem pergunt. Illyrij audito Romanorum aduentu fugiunt. Ita ab Apollonia totum maris Ionij Adriaticique sinus, qui nunc sinus Veneticus dicitur, oram, ad Græciam & Illyrium spectantem, partìm se dedentem in amicitiam recipiunt, partìm vi expugnatam Romani capiunt. Regina tantam rerum suarum ruinam sentiens, Rizontem primò, vrbem regni Illyriorum validissimam confugit: sed quum Mediterraneas regni vrbes, eodem quo maritimas fato ruentes, & vel vi, vel voluntate Romanorum juris factas cerneret, ineunte vere legatos de pace Romam misit. Romani quamuis legati cædem auctricis sanguine piatam cuperent, idque ad majestatem populi Romani apud exteras gentes pertinere existimarent, tanto tamen & tam fœlici rerum in Græcia gerendarum ingressu in præsens læti, vltra odijs non tendebant, quàm vt eam graui mulcta onerarent; pacem his conditionibus

Corcyra Romanis tradita.

dant,

dant, vt omni Illyrio, paucis quibusdam, quæ fœdere continebantur, vrbibus exceptis, Regina excederet; vt quotannis tributum Romanis penderet; neue vltra Lissam, (vrbs erat inter sinum Rhizonicum & Dyrrachium media) nauigare liceret, nisi cum duobus Lembis tantum ijsque inermibus. Quarum rerum fama in Græciam perlata, maximæ vbique gratiæ Romanis habitæ, quòd eorum beneficio pax mari reddita, & sublatis Illyriorum latrocinijs commerciorum libertas restituta esset.

Fœderis cum Teuca inisti conditiones.

Cap. 31.

Hoc eodem tempore, Cathaginienses graui bello domestico laborabant. Etenim Amilcar, quum exercitum ab Erice reliquaque Sicilia deductum in Africam trajecisset, citò intellexit, non se eò copias suas, sed pestem patriæ apportasse. Mercenaria exercitus turba erat, ex varijs dissonisque gentibus collecta; quæ militari disciplina habita, strenuã duci operam nauarunt. Ijdem verò quum bello in Sicilia finito, hostem in Africa, cujus metu continerentur, non haberent, & stipendia propter ærarij inopiam aliquandiu insoluta essent, duobus de corpore suo Mathone & Spendio ducibus creatis, populo Carthaginiensi, ipsisque adeò Carthaginis mœnibus bellum inferunt: quod totos annos quatuor tantis animis tantoque rerum successu gerebant, vt actum penè apud omnes gentes de re Carthaginis esse videretur. Hoc bello mercatores quidam Itali, belli famam sequuti, frumentum & commeatum reliquum in castra Rebellium deferebant: Quos quum Pœni ad id missi intercepissent, captos omnes (quingenti

Matho & Spendius.

Romani mercatores a Pœnis intercepti.

 numero

numero erant) in diuersos carceres detruserunt; quam rem grauiùs & iniquiore, quàm causa erat, animo Romani tulerunt. Veruntamen legatos Carthaginem miserunt, qui tribules suos reddi peterent. Pœni benignè omnes remiserunt. Quam rem grato adeò animo in præsenti acceperunt Romani, vt confestim captiuos omnes Carthaginiensium, qui ex toto bello Siculo remanserunt, tota Italia conquiri, & sine pretio liberari jusserint: mercatoribusque suis, quanquam id fœdere incautum fuerat, vt frumentum Carthaginem portarent, permiserint, in hostium verò castra perferre interdixerint. Quumque eodem ferè tempore Pœnorum mercenarij, qui in Sardinia præsidij causa relicti fuerant, reliquorum in Africa insaniam sequuti, defecissent, legatosque misissent, qui eam populo Romano traderent, Romani, seu fœderum nuper percussorum jura reueriti, seu officijs certantes, longè recusarunt. Quibus rebus effectum est vt Rebelles à Romanis vbique destituti, à Pœno milite quarto demum anno funderentur, & pax Africæ, Mathone Spendioque captis & in crucem actis redderetur.

Cap. 32. Bello Africo finito, Pœni duce eodem Amilcare, qui rem in Sicilia, quoad bellum erat, impigerrimè & fortissimè gesserat, freto ad columnas Herculis transmisso, Hispaniam, quæ tota post prœlium ad Ægateis insulas commissum rebus nouis studuerat, armis recipere & subjugare statuunt. Nec dici hic attinet, quanta cum virtute & fœlicitate, bellum illud A-

milcar

milcar administrabat, breui certè effecit, vt tota illa terra in Pœnorum potestatem concessura videretur. Qua re animaduersa, Romani non jam ampliùs officijs certandum, sed cum Pœno bellum, siue ex causa, siue nulla causa, omninò renouandum esse statuunt. E diuersò Pœnis id vnum curæ fuit, ne qua occasione Hispaniam amitterent. Itaque poscentibus Romanis Sardiniam etiam tradunt: quasi & ista inter Siciliam & Africam posita fuisset insula, ut sic fœdere comprehensa censeri posset: quo veluti bolo deliniti in præsens Romani quieuerunt: eo magis quòd, ipso illo tempore, bello Gallico in Italia tenebantur. Eo verò, virtute primùm Æmilij ad Pisas, deinde geminata Marci Claudij & C. Cornelij ad Acerras & Mediolanum victoria confecto, & Amilcare, quem solum Pœnorum metuebant, in Hispania mortuo, rursus Carthaginienses ad nouas pacis conditiones adegerunt. Fœderibus adjectum, ne Pœni Iberum amnem in Hispania transirent. Id, fœderis author Asdrubal, quàm diu vixerat, seruabat. Eo verò mortuo Annibal Amilcaris filius, fatalis juuenis, defuncto Asdrubali successor in Hispania datus non tulit, sed transito Ibero Saguntum vrbem populi Romani sociã expugnauit, non ea fœdera sed injurias esse interpretatus, quæ post leges pacis à Luctatio Consule in Sicilia conscriptas, præter jus & fas Pœnis fuissent irrogatæ.

Cap. 33. *Orientis res*

A primo bello Punico cæpto, ad Sagunti excidium, quod secundo initium præbuit, quinquaginta ferè numerantur anni, qua tem-

po.is intercapedine, inter Alexandri successores bella per Græciam, Asiam, Ægyptum, multo cum sanguine vrbiumque & regionum ad Orientem positarum omnium vastatione gerebantur. Ptolomæus Philadelphus, Ptolomæi Lagi filius, quo tempore Appius Claudius Mamertinis auxilium laturus in Siciliam trajecit, circiter vicesimum regni agebat annum: is quum regnum firmissimè à patre constitutum accepisset, multo illud ornatiùs posteris reliquit. Hic est ille Ptolomæus, qui Bibliothecam longè omnium pulcherimam instruxit: cujus regni anno decimo septimo, Græca sacrorum Bibliorum versio, qua etiamnum vtimur, à septuaginta duobus interpretibus elaborata, in lucem prodijt. Enimuerò id vnum agebat, vt in omni, quam agendam susceperat, re, omnes ante se Reges magnificentia anteiret. Argumento sit classis, quam sic ingentem, sic paratam instructamque in mare emisit, vt nemo vnquam Rex aut Imperator, eam numero pariter & magnificentia æquauerit. Hoc puero miratus fuerat terrarum orbis sedecimremes Demetrij. Hic statìm duas triginta ordinum naues extruxit, viginti ordinum vnam, tredecimremes quatuor, duodecimremes duas, vndecimremes decem & quatuor, enneres triginta, hepteres triginta septem, hexeres quinque, quinqueremes decem & septem, à quadriremibus ad triremium hemiolias, hoc est, ambiguæ inter quadriremes & quinqueremes magnitudinis, totius hujus numeri duplum; tota itaque classis Regia, tantæ molis trecentarum

Ptolomæus Philadelphus.

Eius Bibliotheca, & Bibliorum ab eo mandata versio.

Eiusdem classis.

tarum triginta sex nauium erat. Hæ omnes Ægypti littora seruabant, & ordinarium regni præsidium à mari erant. Nam præter has, quæ vrbium in Lycia, & insularum ei adjacentium tutelæ diuersis in locis inseruiebant, quatuor, ne minus, firmissimarum nauium, Regis impensis paratarum instructarumque, millia censebantur. Hujus soror Berenice Antiocho Theo secundis nuptijs tradita fuerat: quo defuncto, ejus filius Seleucus, accepto statim paterno regno, nouercam sustulit. Cujus tam acerbi tamque indigni casus miseratione, omnes Asiæ ciuitates à Seleuco ad Ptolomæum Euergetem Berenices fratrem defecerunt. Itaque cum instructissima classe aduersus Seleucum nauigat Euergetes; sed domestica seditione reuocatus, sororis suæ manes inultas paulisper errare patitur. Qua re cognita Seleucus cum valida classe ad supplicium de desertoribus sumendum accelerabat. In itinere atrox & parricidio ferè par tempestas orta, totam vltricibus vndis obruit. Solus tanti sceleris autor cum exiguo comitatu ad terram elabitur, vbi paulo post equo effusus, fractisque ex casu ceruicibus, nefariam animam efflauit.

Naufragium.

Cap.34.

A tempore mortis Alexandri magni, Ægypti Syriæque Reges atrocissima inter se gerebant bella, de quibus multa clarissimaque in propheta Daniele jam olim extabant vaticinia. Ideo autem tempora hæc à diuino vate tam signantèr notata fuisse puto, quod præcipua malorum illorum vis miro Dei judicio in populum suum effundenda erat; quorum pleraque in Machabæ-

orum libris, fide historica, & summo cum probatissimis quibusque scriptoribus consensu, posteritati commendantur. Enimuerò post Syriæ Ægyptique regna, cæso, vti diximus, Antiocho & profligato Demetrio constituta, omnis deinceps de Phœnicia, cujus pars erat Iudæa, disceptatio fuit. Hæc enim inter Syriam & Ægyptum jacebat media: ista verò omnia terra ferè gerebantur bella, rarusque inter duos potentissimos Reges nauigiorum, præterquam ad vecturas, vsus erat. Ex quo Rhodij, exigua quidem gens, sed virtute & diligentia freta, maris dominium, quod tacentibus semper inter potentiores bellis fecerant, inuaserunt; & populo Byzantino, communi Græciæ, totiusque adeò maris Mediterranei suscepto patrocinio, bellum indixerunt.

Rhodij.

Cap. 35.

Byzantini, quo tempore Annibal Saguntum expugnauit, Ptolomæus vero Philopator, cœso genitore suo, regnum Egypti inuasit, graui Gallorum bello tenebantur. Galli enim, qui Brenno duce in Italiam se effuderunt, indeque à Camillo pulsi, per superi maris oram Delphos peruenissent, quum stabilem in Græcia sedem non inuenirent, inter Istrum fluuium, & Chersonesum, in cuius extremo angulo sita erat Byzantium, consederunt. Inde bellum Byzantinis semper inferebant. Hij florentibus adhuc Græciæ rebus, Græcorum opibus se aduersus Gallos defendebant. Græcia verò, Macedonum imperio oppressa, quotannis fere agrorum suorum depopulationem vel inulti patiebantur, vel ingenti pecuniarum vi redimebant. Qua largitione

Galli.

gitione exhaustis, publicis primùm, deinde & priuatis ciuium facultatibus, legatos in Græciam, auxilium petentes subinde mittebant. Græcis rem dissimulantibus publico consilio decretum faciunt, quo omnibus qui in Pontum nauigarent, indeuè redirent, portorium indixerunt. Id eo licentiùs faciebant, quòd patrum ferè suorum memoria, Thasybulus Atheniensis eodem in loco, ad patriæ suæ commodum eodem cõmento vsus fuerat. Verum vt Thrasibuli institutum Lacedæmonij paulo post dissoluerunt, ita nunc, pari jugo suis ceruicibus imposito, vniuersa statim ingemuit Græcia. Quoniàm verò copijs naualibus destituti, nihil in se, ad hanc iniuriam propulsandam virium singuli habebant, ideo omnes in Rhodios, qui maris dominium tum obtinebant, ora & oculos conuerterunt; eos libertatis publicæ vindices inuocabant, grauiores nunc a Byzantinis, quàm olim a Xerxe Neptuno compedes iniectos esse criminantes. Rhodij cum proprijs ciuitatis suæ, tum communis Græciæ damnis moti, & hominum de se expectationi satisfacere cupientes, legatos primùm Byzantium mittunt, qui portorij remissionem nauigantibus efflagitarent. Multa Byzantini pro se, quo extusatiùs in incæpto pergerent, apud Legatos, veluti apud arbitros deposuerunt. Non se auaritia, non ambitione, non voluntate, sed inuitos, & vltima rerum suarum necessitate adductos, hoc consilij cepisse. Athenienses olim capta hac eadem vrbe decumam à nauigantibus exegisse: quanto iustius id nunc se in ciuitate sua facere? quamdiu

Portorium rursus ad Byzantium cõstitutum.

Rhodij.

quamdiu vires ad se agrosque suos à Gallorum incursibus & populationibus redimendas suppetebant, nihil commouisse: facultatibus exhaustos auxilium à Græcis petijsse, ab illis reiectos, remedium demùm, quod res, quod ratio, quod loci aspectus, quod dij prope ipsi suggerebant, vsurpasse: ad extremùm legatos rogabant, vt quibus angustijs & difficultatibus miseri tenerentur, animis paulisper considerarent; si portorium, inquiunt, remittimus, impotenti Gallorum furori succumbendum: si exigimus, cum Rhodijs bellum suscipiendum, imo herclè cum tota Græcia gerendum est. An verò, si (quod dij omen auertant) Gallos dominos acceperimus mitiores hos, quam Byzantinos portorij exactores sensuri estis? Legati, quum & æquum eos petere, & tamen quod peterent non esse tribuendum censerent, re infecta abeunt. Rhodij bellum inferunt, classemque ad vrbem à mari obsidendam mittunt. Sociumque Prusiam Bythiniæ Regem Byzantinis alioqui infensum asciscunt. E diuerso Byzantini Achæum, vniuersæ Asiæ minore tunc imperantem in auxilium vocant. Sed Rhodij litem hanc consilio non armis diremerunt. Forte accidit, vt Philopator Ægypti Rex Andromachum Achæi patrem iure belli captiuũ eo tempore haberet. Rhodij missa legatione ab eo petunt vt Andromachum sibi condonaret: illo se pignore Achæum à Byzantinorum societate abstracturos. Nec Philopator Rhodiorum preces respuit, Andromachum tradit; Illi patrem filio muneri mittunt. Nec filius patris sui libe-

Portorium dissolutum.

ratores

ratores bello vltra lacessere sustinuit. Byzantini spe sua destituti pacem petunt, fœderi ascriptum, ne Byzantini à quoquam in Pontum nauigante portorium exigerent.

Interim Philopator animi oblectandi causa, duas ingentes naues extruxit marinam alteram, alteram fluuiatilem. Quarum illa ducentos octoginta cubitos longa, triginta verò & octo lata fuit. A summa puppis curuatura, quod aplustre vocabant, ad aquam vsque quinquaginta trium cubitorum altitudo fuit. Clauos quatuor habebat, triginta cubitorum singulos: remi thranitici, quos supremis ordinbus versabant, triginta septem cubitorum longitudinem habebant. Biprora, bipuppis erat. Septem rostra prætendebantur, quorum vnum inter duas proras positum, cæteris longius prominebat. Præter alia quæ ad pectoris, vt nos loquimur, curuamina, Græci nauis humeros dixere, extabant: Omnia ad fluctus inter nauigandum secandos comparata. Si quæ nauigandi causa erat, supra quatuor millia remigum accipiebat: præter mediastinos, & alios, qui vel sentinæ hauriendæ, vel alijs inter nauigandum ministerijs adhibebantur. Hij quadringentorum numerum efficiebant. Hijs accensebantur, militum bina millia, octingenta, quinquaginta; præter reliquam lixarum, calonum, seruorum & ministrantium turbam, sine qua nullus exercitus, nulla maior hominum frequentia & multitudo, domi militiæuè, vitam viuere, eamque commode tolerare possit. Hijs adde Regis ipsius sequelam & comitiuam; quæ in tanto rerum

Cap.36. *Duæ ingentes à Philopatore extructæ naues.*

luxu

luxu aliquot certè millibus minor esse non potuit: planè vt si vniuersos, qui in hac naue nauigandi causa esse debuerunt, mortales spectes, decem fere mille numerum eos expleuisse constabit ratio. Erat autem nauis hæc tesseraconteres, cuius verbi vis ea est, quod quadraginta non remis, sed remorum ordinibus, alijs supra alios, vt plerique volunt, in immensum surgentibus agebatur. Hij verò ordines vniuersi, quatuor remigum millia, vt supra memorauimus, accipiebant. Transeamus nunc ad fluuiatilem illam quæ Thalamegus dicebatur; erant autem Thalamegi non ad bellum, non ad onera, non ad alium vitæ vsum, sed ad voluptatem & pompam, ne dicam ad Venerem & stupra comparatæ: quas propterea grauissimus author Seneca, in libro de Beneficijs, lusorias & cubiculares, & Regum in mari lasciuientium ludibria appellat. Refert certe Suetonius, C. Cæsarem cum Cleopatra in Thalamego, aduerso Nili flumine, in Æthiopiam penetrasse. Hæc autem Ptolomæi, semistadium, hoc est decimam sextam milliaris Italici partem longitudine sua obtinebat. Duplex etiam huic, vt illi alteri, prora, duplex item puppis fuit. Medio in aluo, templa, porticus, cænacula, gynicæa, ambulatra erant: quæ ipsa ambulatra, vt in amplo & spatioso nemore quinque iugerum fuisse memorantur. nam quid ego hic de auro, argento, ebore, gemmis, signis, quibus omnia intus & extra præfulgebat, loquar? præsertim quum Hieronis Syracusani Regis nauis ad se cunctantem trahat.

Nauis tesseraconteres.

Thalamegus, quid.

Hæc

Cap.37.

Nauis Hieronica.

Hæc ejusmodi structura fuit, vt non solum duas illas magnitudine & luxu æquaret, verumetiam vsu, siue ad pugnam, siue ad pacem opus esset, commendaretur. Hiero Romanorum amicitia potens, & post primum bellum Punicum diuturna pace fretus, magno studio templorum, gymnasiorum, aliorumque operum publicorum structuris operam dabat. Inter cœtera nauibus, præcipuè onerarijs, vt pacis tempori magis conuenientibus ædificandis, frugi pariter & magnificus existimari voluit. Sed quum Philopatorem, de quo diximus, Ægypti Regem ijsdem studijs deditum accepisset, vnam & ipse cœteris nobiliorem, & si quid vnquam in mari, stupendam ædificauit, eamque omni demum apparatu instructam, frumentoque & reliquo commeatu onustam (fame enim illo tempore Ægyptus laborabat) Regi dono misit. Ad hanc structuram tantum materiæ adhibebatur, quantum integræ sexaginta triremium classi ædificandæ abundè suffecisset. Primis sex mensibus nauis alueum, a carina ad thalameion, qua infimi ordinis remiges, thalamitæ à loco dicti, transtris suis considebant, confecit: ea pars nauis est, in qua præter saburram, quicquid insuper mercium aliûsque oneris in naue est, conditur: hanc partem totam exterius plumbeis laminis induxit; credo ne frumentum, aliæue in nauē impositæ merces ab aquis marinis vitiarentur. Hanc primò confectam, in mare deducendam curauit, veritus ne si totum prius absolueretur opus, nulla ope humana deduci posset. Eam, vt erat, Archimedes

Helice machina adoria ab Archimede excogitata.

medes, tum junior, Helice machina excogitata, ea facilitate in mare traxit, vt lusus, non laboris res fuisse videretur: Helicem enim primus inuenit Archimedes, qua postea aduersus Romanos in Syracusarum obsidione vsus, eorum naues mœnibus vrbis subeuntes, sedens ipse in sublime rapere solebat. Alteris deinde sex mensibus huic tantæ structuræ coronidem imposuit: sed vt quod subter aquas erat plumbo intexit, ita quicquid aquis extabat, ingentibus clauis, decem pondo alijs, alijs sescuplo majoribus ad compaginum firmitatem vndique confixit. Tres in hac naue mali erant, quarum mediam ea magnitudine & proceritate ad mensuram nauis esse oportuit; vix vt vsquam quærendo idonea inueniri posset. Ab hoc exemplo plures deinceps in mari Trihistores, hoc est, trium malorum naues, apparuerunt: antea enim simplici artemone contentæ erant, ac ne ingẽs quidem illa Philopatoris machina plures desiderabat. Sed & illud in hac hieronica peculiare erat, quod tantæ molis quum esset, viginti tamen non amplius remis vteretur: sic enim disertè ex Moschione vetere poeta, qui rem ipsam oculis perceptam integro volumine idque versibus ornatissimis descripsit, Athenæus, ἦν δ' ἡ ναῦς τῷ μὲν κατασκευῇ εἰκόσορος id est, erat nauis illa viginti remis instructa: quod latinus interpres ad viginti remorum ordines deflexit: sed frustra: nempe εἰκόσορον pro εἰκοσήρη, cepit. Alitèr verò à numero ordinum siue versuum, quos vocant, alitèr à remorum numero appellantur naues, si verbum in ηρης exit, ad ordines refetur

Eicosores.

refertur, vt τριήρης, τετρήρης, πεντήρης, longius deinde procedendo δεκήρης, εἰκοσήρης, τριακοντήρης, & vt Philopatoris illa τεσσαρακοντήρης dicebatur : iſta enim dum latinè triremes, quadriremes, quinqueremes, & ſic deinceps redduntur, totidem non remos ſed remorum ordines denotant. At ſi in ορος terminatur, vt τριακόντορος, πεντηκόντορος, ἑκατόντορος, & vt hæc noſtra, de qua in præſenti agitur, εἰκόσορος: tum non ordinum ſed remorum numerum ſignificat, nec vna voce latina effertur, niſi forte à Græca variata. Sed viginti, triginta, quadraginta, & vt illa Iaſonis, quinquaginta remorum nauis appellatur. Iam illud doctiſſimo alioqui interpreti ab omni ratione alienum videbatur, vt tam immenſæ molis nauis, viginti tantum remis impelleretur: nec aduertit, nauem hanc non bellicam ſed onerariam fuiſſe. Et in prœlijs quidem ineundis remorum omnis vſus erat, velorum nullus : nec ad aliud bellicæ naues velis, quam ad iter expeditiùs faciendum vtebantur, pugna ſi inſtabat, non ſolùm ea detrahebant, verumetiam malos ipſos inclinabant. Itaque cum onerariæ, ad prœlia ineptæ eſſent, & ad iter tantummodò comparatæ, hinc fiebat, vt remis rarioribus & plerumque nullis vterentur. Naui igitur ventis agendæ ſat ſuperque erant decem ex vtroque latere remi : qui in tam vaſto corpore, ſubſidio interdum gubernaculo, ad nauigium flectendum eſſe poſſent. Tres etiam erant in hac naue viæ, quarum vna ad fundum nauis, altera ad diætas, tertia ad militum ſtationes ferebat, vt ne in ampliſſimo quidem palatio de

loco

loco ad locum commodiùs transiri potuisset. Diætis autem nihil erat speciosius, quarum omnium pauimenta minutis omnifariorum lapidum segmentis varias rerum formas mirò quodam artificio referentibus strata erant. Vt cœtera sileantur, vnum erat in quo tota Iliadis historia hoc opere ita ad viuum describebatur, vt non melius Apelles penecillo pingere potuisset. In hijs etiam diætis horti erant omnimodis arboribus floribusque consiti, nec hederæ vitesuè ad vmbram deerant, quarum omnium radices, dolijs terra completis inclusæ, & continuis dulcium aquarum per latericios plumbeosuè canales ductibus irriguæ, perpetuum virorem frondibus præbuerunt. Hijs piscinæ, gymnasia, templa, porticus, bibliothecæ addebantur, tanta laxitate, tam admiranda pulchritudine, eoque artificio, tam incomparabili denique diuitiarum luxu comparata omnia, vt nihil addi posset. Neque tamen in tanta rerum ad voluptatem exquisitarum affluentiâ, rei bellicæ cura negligebatur. Mœnia, propugnacula, equilia, horrea, machinæ, aliæ ad malos suspensæ, aliæ per foros dispositæ, quæ trecentarum singulæ librarum saxa, ad stadij longitudinem excuterent, spectaculum præbuerunt. Neuè quid munimenti deesset, vallum ferreum, non vt illud Demetrij natile, sed ipsis nauis lateribus, quo hostis ascensu prohiberetur, circumjectum fuit, supremo tabulato octo turres superstruebantur, totique adeò, fori, mœnia, turres, & ipsæ malorum corbitæ armata acie sic inhorruerunt, vt si quis hostis

accessisset

accessisset, is se, non ad nauem expugnandam sed ad vrbem obsidendam venisse intelligeret. Infinita sunt, quæ ex Athenæo, ad hanc rem proferri possent, sed ea libens prætermitto, ne monstra miraculis augere videar: ista verò è multis pauca tradenda esse existimaui, vt quanto in errore versentur, intelligant, qui Hispanicas horum temporum galeonas tantoperè suspiciunt & admirantur. Quæ maximæ apud illos formæ sunt, mille quingentorum tonnorum (ea enim est nauium horum temporum æstimandarũ ratio) singulæ censentur: quæ ipsæ ad illas, quas diximus, comparatæ, vix actuariarum instar obtinent: Nam si quis Hispanicas has nauigationibus & bellis aptas esse subinnuat, fateor quidem, ista aduersus Ptolemaicas illas recte dici posse: erant enim non ad vsum, sed ad pompam fabricatæ. Hieronica autem ista paucis adeò diebus à Syracusis Alexandriam vsque iusto cum onere decurrebat, vix vt parone pyratica citiùs peruolari potuisset.

Cap.38.

Nihil minus in hac nostra historiola nauali actum est, quàm vt relicto mari veluti diuerticula quædam, & amœnitates, & vel meo vel lectoris animo requiem in terra, præsertim in philologorum hortis, quærerem. Veruntamen quum de triremium quadriremiumque ratione omnes ferè, qui hasce res extremis, quod aiunt, digitis attigerint, pugnacitèr disputarunt, nosque superiùs dispares Bayfij, & Scaligeri ea de re sententias retulerimus, turpeque fortasse videri possit aliorum sententias referre posse, suam dicere non

posse, locus insuper ipse, vbi de immensis illis Hieronis & Ptolomæorum Demetrijque Regum nauigijs desseruimus, vt hac de re opinionem nostram exponeremus monere videatur, faciam id sane, sed ita, vt nemini molestus in eo sim, vtque liberum cuique sic vel secus sentiendi arbitrium relinquam. Ego igitur, in omni maiore nauigio bellico, plures remorum ordines, eosq; in altum surgentes fuisse, vt sensit Scaligerus, non in porrectum extensos, vt Bayfius, nunquam sanus dubitauerim. Id enim quum infinitis rerum argumentis astruatur, tum in ipsis Leonis Imperatoris Tacticis disertiùs, quam vt vllum dubitandi locum relinqant, affirmatur. *Vnaquæque,* inquit, *nauis bellica, iustæ longitudinis sit oportet, duos in se habens remorum ordines, alium superiorem, alium inferiorem.* Vnum modò est, in quo mihi, non solùm à Bayfio, verùm etiam ab ipso Scaligero, eiusque sequace, Batauorum in suo genere doctissimo, Wilibrodo Snellio dissentienti veniam concedi postulo. Nominis rationem, aliunde quàm ab ordinum versuumuè in altum surgentium multitudine petitum esse puto; nempe à remigum, qui singulis summorum iugorum remis inter nauigandum adhibebantur, numero. Est autem in naue iugum, transtrorum, hoc est, sedilium quibus remiges remigandi causa considebant, par: vnde & Homerus passim in Odysseide, naues, ἐϋσέλμους, καὶ πολυζυγέας, hoc est bene transtratas, & multijugas appellat. Itaque in qua naue singulis summorum iugorum, sine Thranitarum remis tres socii nauales adhibebãtur, triremem,

De triremi.

Leonis Tactica.

[illegible]rum in[illegible]

in

in qua quatuor, quadriremem, & deinceps vsque ad Ptolomœi tesseraconterem, dictam fuisse arbitror. Id verò cur ita esse censeam, facit ipsa nauigiorum ab infimo ad summum ratio. Minimum nauigium erat, quod ampheres apud Pollucem in suo Onomastico appellatur, & Thucidides, libro quarto, huiusmodi nauem amphericam appellat: cuius interpres Græcus eam verbi rationem affert, quòd quilibet remigum, Dicopiam, siue remorum par, alterum læua, dextra alterum tractabat: cuiusmodi nauigiola nos Angli in Thamesi nostro Scullera appellamus: nisi quod scaphulæ hæ nostræ vnum tantummodò remigem habent, ampheres verò illæ, ad nauigandum in mare, plures habuerunt.

Ampheres.

Huic proximum genus erat, quæ Moneres dicebantur. Non enim moneres erant, quæ ab vno remige, sed quæ à pluribus remigibus, quorum singuli suum in illis remum versabant, agebantur. Neque enim, quum illa pacis conditio à Romanis Antiocho Magno irrogaretur, *Ne monerem belli causa haberet*, illud actum puto, vt Rex nullo remige instructas naues possideret, sed vt ne nauem bellicam, quantumuis minimam, & vel vno tantùm remorũ ordine armatam in mare deduceret. Ex quo quidem apparet, moneres illas, naues longas, & quidem bellicas fuisse, & vnius ordinis omnes, sed eiusmodi, quæ vltra vnum remigem ad singulos remos non requirerent. Idem de dieri, & dicroto, siue biremi dicendum: hæc enim nomina ea nauigia denotabant, quæ duorum hominum vires ad singulos remos moliendos postulabant.

Cap 49.
Moneres.

Biremis.

labant. Danaus olim ex Ægypto in Græciam dicroto, siue biremi traiecisse apud autores memoratur. Hoc autem si quis de duobus ordinibus in altum surgentibus interpretari velit, is primæ nauis longæ vsurpatæ gloriam Iasoni, (quòd ille aureo forsan vellere mutatum nollet) præreptum planè it. Nulla enim vnquam plurium in altum surgentium ordinum nauis in mare nauigauit, quæ non & ipsa longa fuerit. Quid igitur? an eiusmodi naues dicrota hæc, siue biremes erant, quæ duobus modò remis agerentur? Nihil minus: bellicæ enim istæ & quidem magnarũ in bello virium naues erant. Idque ex M. Tullio in epistolis ad Atticum planè liquet. *Habet*, inquit, *hæc nauigatio quasdam suspiciones periculi: sed ipse Domitius bona planè habet dicrota.* Erat autem Domitius, Ænobarbus ille, qui post pugnam ad Philippos totum inter Italiam & Græciam mare classibus obtinebat: quod vtique duorum scalmorum nauigijs, in tanta præsertim rerum tempestate, neutiquam facere potuisset. Erant itaq; biremes istæ siue dicrota, naues bellicæ, & quod nemo prudens dubitabit, longæ, tantæq; magnitudinis, vt earum remos singuli remiges haud quaquam vibrare valuissent. Nedum quum ad deceras, icoseras, tesseraconteras, & quod vult Pollux, hecatonteras ventum esset, Antæus ipse, aut si quis Gigantum eo maior erat, tam immensæ longitudinis, & ex longitudine ponderis remum solus, non dicam versare, sed mouere posset. Nam, quod Snellius ex Athenæo ait, remorum manubrijs,

vel

vel infusum, vel insutum fuisse plumbum, vt ex libramine commodiùs tractari possint, est illud quidem verum, idque in fluuiatilium ratium nostrarum remis quotidiè factitari cernimus. Sed nunquam tam sui immemor Athenæus, vt longissimum in tesseracontere illa remum ab vno homine versari potuisse diceret. Vidimus quid in amphere, monere, & biremi sit agedùm: hoc ipsum in triremi obtinere doceamus. Dixi modò ex Leone, in omni naue bellica (vt tunc res erant) duos ordines fuisse, viginti quinque iugorum singulos, qui centum remiges complectebantur. At si maiores ædificandæ erant, idem in illis iugorum, idem & ordinum numerus seruabatur: sed dispar erat remigum, qui singulis remis adhærebant, numerus. Etenim qui thalamum tenebant, quinquaginta modò erant, & in eo suum quisque versabat remum: at qui superiorem, triplum eius numeri erant, hoc est, singulis remis tres viri admouebantur. Verba Imperatoris sunt: *Aliæ, inquit, triremes maiores fiant, quæque ducentos viros capiant, è quibus quinquaginta in thalamo locabuntur, centum vero & quinquaginta superiùs stantes, hostes propulsabunt:* ex quo profectò ternos remiges in superiore ordine singulis remis adhibitos fuisse patet. Qua fidelia duo, quod dicitur, parietes dealbantur; nam & contra Bayfium, plures in triremi ordines in altum surgentes fuisse ostenditur, & duorum in altum surgentium ordinum nauem, triremem, idque à tribus remigibus, qui singulis remis adhibebantur, dictam fuisse constat. Hispani ve-

ro nunc, omnesque maris mediterranei accolæ, in suis gaulis, (sic enim priscis dicebantur, quas galias moderni appellare malunt) simplici ordine contenti sunt; veruntamen in hijs ipsis, binos, ternosuè, quaternos etiam & quinos, & interdum senos remiges singulis remis alligare, & pro numero remigum vel triremes, vel quinqueremes appellare solent. Quid ni igitur, de deceribus, & ipsis tesseraconteribus idem existimare liceat? Ipsam modò Ptolomæi tesseraconterem, seu quadraginta versuum nauem, quàm suprà descripsimus, in medium afferamus: vel enim illa, vel nulla huius nodi soluendi rationem & viam commonstrabit. Nauis hæc ab acrostolio ad aquam quadraginta septem pedes, cum pedis dimidio, & non amplius habuit. Quo spatio, illud primum quæro, qua tandem ratione quadraginta remigum ordines, alios semper supra alios recta linea surgentes, quorum singu i quaternos, si verum vis, quinos, omnes vero simul, ducenos pedes altitudine obtinere debent, constitues? Deinde & illud, percupidè scire velim, quum longissimus in illa naui remus quadraginta septem pedes longitudine sua non excederet, quo tandem modo a quadragesimo demum, vt volunt, ordine, ipsam aquam attingere valebat? Atqui vt à tanta celsitudine munus suum in aqua exequi posset, quingentorum ad minus pedum longitudinem requireret; & tamen hanc tam vastam tamque incredibilem longitudinem, ab vno scilicet remige propter plumbum manubrio insutum aptè, & commodè tractari, regi, versari,

Gaula.

versari, vibrari potuisse volunt. At enim aliter si dixeris, periculum est, ne quater mille remiges, (tot enim in illa naue remigandi causa ex Athenæo fuisse diximus) per classes commodè disponi nequeant. Ego vero istud, quicquid est periculi, in me recipio. Tres in illa, vt in omni maiore naui ordines erant, thalamitæ, mesozugitæ & thranitæ: nec præter hos alij vnquam in vlla naue fando auditi sunt. Omnis igitur nauis longa, vt ex Leone docuimus, viginti quinque iuga, seu remorum paria, hoc est, quinquaginta remos in quolibet spatio, seu tabulato habere debuit. Itaq; in thalamo decem remiges singulis remis attribuo: breuissimi enim ex remis erant, & pauciores, quàm reliqui, homines ad moliendũ requirebant. Quinquaginta autem, per decem multiplicat quingentos in toto faciunt. Huius verò numeri triplum in secũdo ordine, quod mezoiugium dicitur, per iuga constituo: hij mille quingentorum numerum explent: in summo denique, quem locum thranum appellari diximus, quadraginta homines singulis remis apto, ij duo mille conficiunt: inde totalis quater mille remigum numerus exurgit. Simul ratio nominis, quæ fuerit, apparet: nempe quòd in summo ordine, singulis remis quadraginta remiges insidebant, hinc tessaraconteres Græcè vocabatur. Nihil hinc monstri, nihil absurdi sequitur; non duplum, aut eo amplius spatij, quàm tota nauis occupat, soli remigio vindicatur: non vir vnus quingentorum pedum remum versare cogitur. Nec incredibile videri debet, si qua-

 draginta

draginta remiges membris vigentes quadraginta septem pedum remum apte tractasse memorantur.

Cap.40. *Bellum Punicum secundum.*

Ab hijs ludicris, Hiero breui pôst, ad magis seria belli studia vocabatur. Capta enim ab Annibale & diruta Sagunto, Romani duos statìm Consules P. Cornelium Scipionem, & T. Sempronium, alterum in Hispaniam, cum sexaginta quinqueremium classe, vt si posset, eam belli sedem faceret, alterum in Siciliam cum centum quadraginta quiqueremibus & viginti celocibus (breuioris illud nauigij genus erat, à celeritate, vt vult Nonius, dictum) mittunt: cum mandatis, vt bellum si posset, in Africam transferret. Sed vt Annibal omni opinione celeriùs, transito Pyrenæo, ad ripam Rhodani in Gallia priùs peruenerat, quám Scipio Marsyliam in Hispaniam profecturus attigisset, Ita Pœni eodem tempore viginti quinqueremium classem, ad oram Italiæ infestandam, & alias triginta quinque ejusdem generis naues ad Lelybæum in Sicilia occupandum miserant. Hiero quum Consulem Romanum in Siciliam trajecturũ cognouisset, præstò statìm ad Messanam cum classe aderat. Dum expectat, viginti, quas diximus, naues Punicæ ad oram Italiæ populandam missæ, orta tempestate, aliæ ad alias insulas rejectæ, tres, æstu trahente, in fretum Siculum, non procul Messana, abreptæ peruenerunt. Quas Hiero conspicatus, misit è suis, qui captas ad se perducerent. Tormentis adhibitis captiui, omnia & de se, & de altera illa classe ad

Lelybæum

Lelybæum occupandum missa, non cunctantèr fatebantur. Quibus rebus cognitis, Hiero literas statìm ad Æmilium Siciliæ Prætorem dat; quo in statu res essent, edisserit: quid ex captiuis dedicerat exponit: præcipuam Lelybæi rationem habendam esse monet. Acceptis literis Æmilius, firmissimo statím præsidio Lelybæum occupat, edictum proponit, vt socij nauales decem dierum cocta cibaria, ad naues deferrent, ne qua mora, quum signum daretur, naues conscendendi fieret: simul in mandatis dat, vt speculatores per littus idoneis locis dispositi, vigilijs diligentèr intenderent, & aduentum hostium cum fide & cura significarent. Interea classem in portu Lelybætano instructam intentamque tenet. Pœni, quum Siciliæ appropinquassent, post Ægates insulas, quæ in conspectu ferè Lelybæi erant, latuerunt: vt nocte, si possent, vrbem inuaderent. Quoniam verò, & nox, fulgente tum Luna, illustris erat, & illi sublatis armamentis & plenis velis aduentabant, hinc fiebat, vt eorum aduentus speculatores non falleret. Itaque simul signum è speculis hostem aduentare proditur, simul ad arma tota vrbe conclamatur, & socij nauales milites que ad naues ruunt. Pœni, cum se hostem non fefellisse persensissent, cursum sistunt, armamenta detrahunt, seque ad pugnam prima luce ineundam expediunt. Orta luce à portus faucibus se in altum receperunt; vt Romanis contra exeundi potestatem facerent, spatio insuper, quantũ ad classem explicandam satis esset egressis, relicto. Romani quamuis hostium

fiducia

fiducia nonnihil mouerentur, pugnã tamen non detrectabant, sed tot annorum pace jacentem in mare Romanã indolem mutuis inter se hortatibus excitabant: hoc ipsum esse Lelybæum, quod in confessionem victoriæ à Pœnis traditum haberent: illas, vnde hac nocte soluissent Pæni, Ægates insulas easdem esse, ad quas Luctatius Consul memorabili edito nauali prœlio finem priori bello Punico imposuisset: tristes suorum cum memoria manes pugnãtibus Pœnis obuersaturos; eadem denique virtute inchoandum nunc esse secundum cum Carthaginiensibus in mare bellum, quo prius patratum fuerat. Directis vtrinque aciebus, prior Romanus cominus pugnandi auidus in prœlium ruere, Pœnus hostem arte eludere, circumcursare, omni parte agmen Romanum carpere: nauium denique quàm virorum pugnam malle. At Romani quum nauium numero hostem æquarent, militûm etiam multitudine (quod in omni fere prœlio faciebant) superarent, spreta hostium leuitate, qua confertissima eorum classis erat, incurrunt: & ex toto numero septem circumuentas, & à reliqua classe exclusas capiunt. Pœni quum quacunque concurrissent, armatorum multitudine opprimi se & obrui animaduertissent, effusa fuga abierunt. Æmilius isto veluti vniuersi belli omine, non minùs quàm victoria, lætus Lelybæum redijt.

Pugna naualis ad Lelybæum.

Cap.41. Dum hæc ad Lelybæum geruntur, Sempronius Consul cum tota classe Messanam appellit. Fretum intranti Rex Hiero obuiàm fit, & officij causa ex Regia in Prætoriam transgressus, sospitem

tem eius cum exercitu in Siciliam trajectum gratulatur, deos precatus, vt qua fœlicitate Insulam intrasset, eâdem rem terra mariq; gereret: se quo animo Romanis priore bello Punico iuuenis adfuisset, eodem nunc senem (erat enim octogenarius) adfuturum, frumentumque & vestimenta, legionibus naualibusq; Romanorum socijs abunde præbiturũ affirmat. Grata ea omnia Consuli fuerunt. Statum deinde rerum in Sicilia exigenti Rex singula exponit: quid à captiuis de Lelybœo acceperat: Quid Æmilio prætori ea de re per literas significasset: Tentari à Pœnis Siculorum animos: si bellum in Italia fit, Siciliam non quieturam ostendit. Consul Lelybœo timens, (quanti enim momenti ea vrbs, in Africam, quo totus spectabat, trajecturo esset, non ignorabat,) iusso Rege cum classe sequi, ipse eodem cum pedestri exercitu contendit. In itinere certior per literas à prætore fit, de nauali ad Lelybœum, pugna & Pœnorum fuga. Consul omnia tuta in Sicilia videns, sua classe contentus, Regiam dimisit. Ipse priusquàm Africam tentaret, Melitem insulam, quàm à Pœnis valido præsidio teneri acceperat, contendit. Iacet hæc Insula inter Siciliam & Africam media, & ex fœdere ad Romanos pertinebat; Insulæ nomen nunc Malta est, diui Pauli naufragio celebris; militum posteà Rhodiorum sedes, nunc magno Turcarum domino subdita. Aduenienti Consuli, Amilcar Gisgonis filius præsidij Punici præfectus, cum duobus, paulò minùs, armatorum millibus deduntur. Inde ad Vulcani insulas ad læuam Siciliæ

Malta insula.

Siciliæ, nec procul Italia positas, redit, quòd classem Punicam ibi stare inaudisset. Venienti nuntiatur, Pœnos inde ad Italiæ oram vastandam pridiè profectos; quos dum persequi vellet, redduntur ei à Senatu literæ, Annibalem iam in Italiam descendisse; Collegam ab eo ad Ticinum amnem fusum ex vulnere decumbere: omissa Africa, primo quoque tempore, Collegæ & reipub. subueniendum. Extemplò Consul exercitum in naues impositum Ariminum, Rimini nunc dicitur, per mare superum misit. Sextum Pomponium Legatum cum viginti longis nauibus Italiæ oram tueri iubet. Æmilio Siciliæ prætori, quinquaginta ad rem Siculam curandam attribuit. Rebus in Sicilia constitutis, ipse cum decem nauibus exercitum ad Ariminum consequitur. Ibi paucis diebus ad militem à iactatione maris reficiendum datis, cum exercitu Trebiam contendit. Vbi cum collega iunctus, dum improbam ex eius vulnere crescendi, & in se vnum prœlij gloriam auertendi spem fouet, & parta in mari decora amisit, & cladem ab Annibale omni æuo memorabilem ad Trebiam accepit. Annibal Hispania decedens, ad tutandam illam oram præter reliquum exercitum, quinqueremes quinquaginta, & triremes quinque Asdrubali fratri reliquerat, & Cn. Scipio, parem classem à fratre suo P. Scipione cui Prouincia Hispania sortitò obtigerat, ad res ibi gerendas acceperat. Asdrubal ad eas quas à fratre traditas habebat, decem quinqueremibus additis, totam classem Himilconi commendauit: Ipse Carthagine Noua pro-

ua profectus, littore ducebat, Himilcone iuxta littus nauigare iusso, vt sic alteri alteris, si vsus ferret, subsidio esse possent. Animus erat, quocũque loco, quacũq; parte virium, Scipioni occurrisset, prælio decernere. Par pugnandi desideriũ Scipionem tenuit. Quoniam tamen Asdrubalem ingentes copias terra trahere compertum habuit, ideò in mare, vbi magis compar erat, concurrere præoptabat.

Cap.42.

Hoc consilio, Taracone soluens, ad decem mille passus ab Iberi fluminis ostio montibus tectus substitit. Ibi duæ speculatoriæ naues ad eum redeunt, referentes, Classem punicam in ipso fluminis Iberi ostio stare; castra in littore posita esse: posse classem inopino aduentu, si maturaret, vel capi, vel incendi. Lætus nuntio Scipio ad hostem tendit. Nec tamen speculatores per littora dispositos adueniens fefellit. Itaque ad arma totis castris conclamatur: quoniam verò nulla tum hostis expectatio erat, ideo remiges misti militibus, vel in tabernaculis, vel in tabernis abditi latebant; missiq; per vicos equites, qui cunctantes ad naues cogerent. Fit igitur concursus ad mare, magis vt eos ex acie fugere, quàm aduersus hostem tendere existimares. Vbi in naues conscensum est, clamor statim & conuitium oritur. Remex militis, miles remigis ministeriũ turbat, vixq; à seinuicem in tanto tumultu manus temperant. In tanta trepidatione positis cum expedita ad pugnam classe superuenit Scipio: nec mora, in turbatos impetum facit. Pœni, qua amentia naues conscenderant, pari trepidatione

Victoria Cn. Scipionis aduersus Asdrubalem.

nauibus

nauibus ad primum concursum effusi in terram se ejiciunt, nauibus, vt poterant, vel in vada impulsis, vel ad littora allisis. Primo incursu, & priusquàm cursum retro flectere possent, duæ Punicæ naues captæ sunt, quatuor submersæ: concursus deinde ex castris, ad eas, quæ littori impactæ fuerant, seruandas fit. Scipio, quamuis totum littus armato milite compleri vidit, acriter tamen in classem hostilem auersam & trepidantem inuehitur: nauesque reliquas omnes, quæ vtiles modò restiterant, & moueri possent, à suis religatas auellit. Qua victoria, quamuis in speciem, haud quaquam magna, effectum tamen est, vt toto mari Iberico deinceps potiretur. Itaq; quacunq; animus ferret, vagatus, nunc hìc, nunc illìc excensiones facere, vrbes incendere, agros depopulari: inter cæteras, Longanticum vrbem expugnat, vbi magnam sparti vim, ad vsum nauticum congesserat Asdrubal. Id omne Scipio, sumpto modò, quod vsui tum esset, igne corrupit. Tum à continente ad insulas conuersus, Ebusum insulam petit. Vrbem biduo oppugnatam capere non valuit, totam insulam depopulatur. Decedentem legati ex Balearibus insulis (quarum altera Maiorque nunc, altera Minorque vocitatur) pacem orantes adeunt. Denique naualis illius ad Iberum pugnæ fortunã, sequuta est, non solum insularum adiacentium deditio, verumetiam centum & vigenti populorum in continente, amicitia & fides, quam datis vltrò obsidibus cum Scipione firmabat. Sub eiusdem æstatis medio P. Scipio, prorogato

Ebusus.

Baleares

post

poſt conſulatum imperio, cum viginti longis nauibus, & ingenti onerariarum agmine in Hiſpaniam venit. Sub idem etiam tempus, Fabius Max. Dictator creatus ad exercitum venit; quo accepto Seruilium Coſ. Romam remiſit, iuſſum claſſium imperio præeſſe. Ingens hoc tempore Pœnos pariter & Romanos habuit cura, hos, ne commeatus à Carthagine in Hiſpaniam & Italiam ſubueherētur, illos vt mare potiti, Annibali & Aſdrubali quæ belli vſus flagitabat, liberè ſubmitterent. Itaque & Pœni, nuntio de clade ad Iberum amnem accepto, opinione celeriùs alias quinquaginta naues ad Italiæ littus vaſtandum miſerunt, & Romani P. Scipionem cum noua, vt diximus, claſſe, vt ſe Cn. Fratri in Hiſpania iungeret, amandarunt. Nam ad Seruilium quod attinet, is, creſcente indies de Punica claſſe fama, centum viginti quinqueremibus contractis, ita Punicam claſſem primo aſpectu conterruit, vt omnes in fugam effuſæ Africam protenùs repeterent. Quos quoniã fugientes aſſequi non valuit, ideò tractus eius inſulas omnes obibat, Sardiniam & Corcyram acceptis obſidibus obſtrinxit, ne Pœnos vel portubus acciperent, vel commeatibus iuuarent. Inde ad Africæ oram conuerſus, inſulas ei adiacentes depopulatur. Victorq; claſſem ſpolijs grauidam Lelybæum reduxit: eam T. Octacilio prætori, ad Italiæ oram tutandam tradit. Ipſe ad exercitum à Dictatore Fabio accipiendum proficiſcitur. Hoc tempore, qua Cn. Scipionis ad Iberum victoria, quà iſta Seruilij maris peragratione effectum eſt, vt

In / à S / ex

excluſo

exclufo Pœno maris imperium Romanus potiretur.

Cap.43. Anno fequenti qui Æmilium Paulum, & Terentium Varronem Coff. habuit, & immani Romanorum ad Cannas cæde infamis fuit, quum Pœni quamuis fugatam à Seruilio, tamen faluam claffem recepiffent, eam in Siciliam ad Hieronis Regnum vaftandum miferunt: Prætor Siciliæ illo tempore Octacilius erat. Is quum ad Lelybæum fedens, & Regi fuccurfum effe cuperet, inde tamen veftigia mouere non audebat, quòd alteram claffem ad Ægates infulas ftare accepiffet, & paratam Lelybæum inuadere, fi ipfe cum claffe inde digrederetur. Itaque in ftatione fua hærebat, contentus literis rem Senatui fignificaffe; quæ quum eodem tempore veniffent, quo ftragis Cannenfis fama Romam perlata fuerat, patres non mediocritèr mouerunt. Interim duo in Hifpania Scipiones, ita inter fe compararunt, vt Cn. terra, P. mari rem gereret; quo intellecto, nihil actũ putare, Afdrubal, nifi vtriq; occurriffet. Sed res in mari molientem nauium præfecti deftituerunt. Caufa fuit, quòd ob fugam ad Iberum ignominiofè factam, ignominiofiùs ab eo habiti, & quam pro re grauius increpiti fuiffent: quod adeo ægrè tulerunt, vt nunquam poftea vel ipfi, vel Carthaginienfium parti fauerint, fed ad Scipionem omnes, quamprimùm eum in mare defcenfurum cognouiffent, tranfierunt. Ea res tranquilla omnia in mare Hifpanico Romanis fecit. Geminam eo tempore claffem Romani in Italia inftruxerant,

Octacilius.

Defectio nauarchorum ab Afdrubale ad Scipionem.

rant,

ſtruxerant, alteram quæ ſuburbanum littus, alteram quæ mare ſuperum, qua Macedoniam ſpectat, tutaretur. Vtraque viginti quinque nauibus conſtabat. Claſſis verò vniuerſæ cura Octacilio Siciliæ Prætori commiſſa fuit. Ei tria in mandatis á Senatu data: Vt Africæ oram depopularetur, vt ab hoſtium incurſibus tuta Italiæ littora ſeruaret, tertium erat, ſupplementa Carthagine ad Annibalem ſubuehiné pateretur. Quæ omnia negligenter adeò ab eo curata ſunt, vt propter malè rem in hoc genere adminiſtratam, anno proximo, Q. Fabio grauiſſimo autore increpante, conſulatu quem prope manibus tenebat deiectus fuerit. P. Valerius ei parti claſſis, quæ littus Adriaticum ſeruabat, præerat. Iamdudum omnes orientis populi à Ptolomæo & Antiocho ad Romanos & Pœnos oculos auerterant; & eorum amicitiam pro ſe quiſque ambibat. Poſt Cannenſem verò cladem plures ad Annibalem & Carthaginem ſpectabant. Inter hos Philippus Macedonum Rex rerum ſuarum rationes cum Annibalis potiſſimùm coniunctas eſſe cupiebat. In quam rem legatos ad eum, in Cumarum obſidione tum ſedentem miſit. Hij Valerium in tranſitu fefellerunt. Sed in reditu conſpecti, ad eum perducuntur: ibi perplexè reſpondendo, quum ſuſpectiora ſubinde omnia facerent, adhibitus tormentorum metus veritatem expreſſit. Productæ deinde ſunt literæ ab Annibale ad Philippum datæ; ipſaque fœderis, in quod Annibal iurauerat formula; quo inter alia cautum erat, vt Philippus cum ducentarum nauium claſſe

P. Valer ius mari ſupero aduerſus Macedonas præfectus.

Fœdus inter Philippum & Annibalem initum.

excluſo Pœno maris imperium Romanus potiretur.

Cap.43. Anno ſequenti qui Æmilium Paulum, & Terentium Varronem Coſſ. habuit, & immani Romanorum ad Cannas cæde infamis fuit, quum Pœni quamuis fugatam à Seruilio, tamen ſaluam claſſem recepiſſent, eam in Siciliam ad Hieronis Regnum vaſtandum miſerunt: Prætor Siciliæ illo tempore Octacilius erat. Is quum ad Lelybæum ſedens, & Regi ſuccurſum eſſe cuperet, inde tamen veſtigia mouere non audebat, quòd alteram claſſem ad Ægates inſulas ſtare accepiſſet, & paratam Lelybæum inuadere, ſi ipſe cum claſſe inde digrederetur. Itaque in ſtatione ſua hærebat, contentus literis rem Senatui ſignificaſſe; quæ quum eodem tempore veniſſent, quo ſtragis Cannenſis fama Romam perlata fuerat, patres non mediocritèr mouerunt. Interim duo in Hiſpania Scipiones, ita inter ſe compararunt, vt Cn. terra, P. mari rem gereret; quo intellecto, nihil actũ putare, Aſdrubal, niſi vtriq; occurriſſet. Sed res in mari molientem nauium præfecti deſtituerunt. Cauſa fuit, quòd ob fugam ad Iberum ignominioſè factam, ignominioſiùs ab eo habiti, & quam pro re grauius increpiti fuiſſent: quod adeo ægrè tulerunt, vt nunquam poſteà vel ipſi, vel Carthaginienſium parti fauerint, ſed ad Scipionem omnes, quamprimùm eum in mare deſcenſurum cognouiſſent, tranſierunt. Ea res tranquilla omnia in mare Hiſpanico Romanis fecit. Geminam eo tempore claſſem Romani in Italia inſtruxerant,

Octacilius.

Defectio nauarchorum ab Aſdrubale ad Scipionem.

ſtruxerant, alteram quæ ſuburbanum littus, alteram quæ mare ſuperum, qua Macedoniam ſpectat, tutaretur. Vtraque viginti quinque nauibus conſtabat. Claſſis verò vniuerſæ cura Octacilio Siciliæ Prætori commiſſa fuit. Ei tria in mandatis á Senatu data: Vt Africæ oram depopularetur, vt ab hoſtium incurſibus tuta Italiæ littora ſeruaret, tertium erat, ſupplementa Carthagine ad Annibalem ſubuehinè pateretur. Quæ omnia negligenter adeò ab eo curata ſunt, vt propter malè rem in hoc genere adminiſtratam, anno proximo, Q. Fabio grauiſſimo autore increpante, conſulatu quem prope manibus tenebat deiectus fuerit. P. Valerius ei parti claſſis, quæ littus Adriaticum ſeruabat, præerat. Iamdudum omnes orientis populi á Ptolomæo & Antiocho ad Romanos & Pœnos oculos auerterant; & eorum amicitiam pro ſe quiſque ambibat. Poſt Cannenſem verò cladem plures ad Annibalem & Carthaginem ſpectabant. Inter hos Philippus Macedonum Rex rerum ſuarum rationes cum Annibalis potiſſimùm coniunctas eſſe cupiebat. In quam rem legatos ad eum, in Cumarum obſidione tum ſedentem miſit. Hij Valerium in tranſitu fefellerunt. Sed in reditu conſpecti, ad eum perducuntur: ibi perplexè reſpondendo, quum ſuſpectiora ſubinde omnia facerent, adhibitus tormentorum metus veritatem expreſſit. Productæ deindè ſunt literæ ab Annibale ad Philippum datæ; ipſaque fœderis, in quod Annibal iurauerat formula; quo inter alia cautum erat, vt Philippus cum ducentarum nauium

P. Valerius mari ſupero aduerſus Macedonas præfectus.

Fœdus inter Philippum & Annibalem initum.

classe in Italiam confestim trajiceret; vastataque maris superi ora, bellum terra marique aduersus Romanos gereret. Domitam Italiam Annibalis, Græciam cum insulis eidem adiectis Philippi iuris & dominij fore. Valerius captiuos seorsim custoditos, cum ipsa fœderis formula, ad Senatum misit. Quo factum est, vt & Philippus, quibus conditionibus inter ipsum & Annibalem res conuentura esset toto illo anno incompertum haberet, & Romanis spatium ad classem contra Regem comparandam daretur. Eodem tempore Sardi res nouas moliri cœperunt: missisque Carthaginem legatis petierunt, vt exercitum ad se à Romanorũ iugo liberandos mitterent. Pœni Asdrubalem cognomento Caluum cum classe mittunt. Is in itinere tempestate disiectus, laxatis ferè omnium nauigiorum alueis, Baleares tamen tenuit. Quæ res Romanis tempus ad copias in Sardiniam transmittendas dabat. T. Manlius eò cũ exercitu missus, primo statim aduentu Sardos compescuit, debellassetque, ni Asdrubal refecta ad Baleares classe laborantibus subuenisset. Asdrubal expositis in terram copijs, classem Carthaginem remisit: illa veluti non verborum sed rerum tessera suis significans, nullam illis super, præterquam in victoria, spem esse. Classis, dum in reditu esset, in Octacilium nauarchum Romanum incidit; ab eo septem naues captæ: reliquæ toto mari dissipatæ sunt. Ipse Asdrubal terrestri certamine cum Manlio congressus, magno prœlio victus est. Duodecim millia in acie cæsa: tria millia capta: ipse cum Hannone

Sardorum à Romanis defectio ad Pœnos.

Hannone & Magone alijsque nobilibus Carthaginiensium viui in Manlij potestatem venerunt.

Proximus annus Q. Fabium, & M. Marcellum Coss. habuit. Classis tamen præfecturam in Sicilia Octacilius fauore populi retinuit. Coss. cùm bellum Macedonicum instare comperissent, centum quinquaginta longarum nauium classem explent: sed quum ad tantam classem rebus cæteris vtcunque instructam socij nauales deessent, nec ærarium satis stipendijs faceret, Coss. ex S. C°. edicunt, vt qui vltimo censu, à quingentis ad mille coronatos censi fuissent, vnum remigem cum sex mensium stipendio darent, qui supra mille ad tria millia, tres nautas cum stipendio annuo, qui supra tria millia ad decem, quinque nautas, qui supra decem, septenos, senatores sine discrimine octonos singuli præberent: quod quamuis nullo exemplo fiebat, tempus tamen & reipub. necessitas in illud inquirere non sinebat. Nec grauatè reliqui ciues rem ex S. C°. exequebantur, in quam senatores suo ipsorum decreto obstrictos esse animaduertebant. Circa hæc tempora moritur Hiero, vetustissimus Romanorum & fidelissimus quinquaginta annorum amicus: cuius regnum in Hieronymum, eius ex filio nepotem recidit; puerum adhuc, & nec dum plenè puberem, sed vltra ætatem cædibus & stupris inquinatum, & prauis consilijs ad Pœnos à Romanis auersum. Cuius odio contacta tota mox Hieronis stirps populari furore extincta est. Inter hos tumultus, Pœni

Cap. 44.

Classis Romana priuatis ciuium impensis instructa.

Hiero moritur.

Syracusarum oppugnatio per Marcellum

Archimedes

Syracusas occuparunt. Quæ res Marcellum Cos. eò traxit. De qua vrbe facilem primo forsan impetu victoriam reportasset, nisi vnus homo Archimedes, in ea fuisset. Hic est ille Archimedes quem ingentem illam Hieronis nauem tam leui momento in mare deduxisse diximus. Sanguine Regi coniunctus, propter incredibiles animi dotes, & ingenij in abstrusioribus mathematum disciplinis perspicaciam, amicitia etiam & caritate iungebatur: cœli siderumque spectator vnicus, maris & terræ mensor incomparabilis; quique ex principijs geometricis, seruatâ libraminum proportione artem machinariam ab Eudoxo, & Archita Tarentino olim tactam absoluit. Huius illud erat effatum, Datum pondus datis viribus moueri posse; cuius demonstrationis viribus subnixus jactare aliquando non dubitauit, Se, si extra hunc mundum, tantillum terræ daretur, vt in ea pedem figeret, totum loco dimoturum. Hoc artifice Hiero, quamuis post primum bellum Punicum finitum profunda semper pace fruebatur, non tamen ad inanes Mathematum speculationes, sed, vt se dignum erat, ad res bello necessarias perpetuò vtebatur; instabatque, vt Syracusarum vrbem, mœnibus satis vt videbatur munitam, machinis insuper ad hostem summouendum per mœnia dispositis, munitiorem faceret. Eæ vero ab illo viro tot tantæque paratæ sunt, vt Marcellum ipsum, cui Annibal toties in acie cesserat, cuius vim nullæ vrbes, nulla mœnia sustinuerant, toto triennio, á Syracusis potiundis prohi-

prohiberent. Marcellus quum primo impetu vrbem non cepiſſet, operibus eam oppugnare cœpit. In eam rem caſtrorum cura Appio relictâ, ipſe cum ſexaginta quinqueremibus, omni non ſolùm armorum, verumetiam tormentorum genere inſtructis muro adnauigabat. Inter cæteras vna machina erat quæ iunctis inter ſe connexiſque octo nauibus ſuperſtruebatur. Et cæteræ quidem nihil tuti in mœnibus relinquebant; iſta vero muros ipſos quatiebat, diruiſſetque, niſi Archimedes properè accurrens, ſuas è diuerſo machinas in mœnibus ſtatuiſſet. Hijs enim ſtatutis ingentem illam Marcelli machinam, quam Sambucam appellabant, eminùs ſtantem, excuſſis ingentis ponderis, ſiue ſaxis, ſiue ferri plumbiué globis, cum immani militum ſtrage protenus confregit. Marcellus, quum eminùs ſtanti omnia intuta eſſe perſpexiſſet, ratus ſi naues mœnibus applicuiſſet, eas interiores periculo fore, id ipſum agere cœpit, vt claſſem mœnibus totam admoueret. Cuius rei nūtio ad Archimedem perlato, ille machinas tormentarias ilico ſubduci, & earum loco Helices (ſiue grues illæ erant, ſiue aliæ iſtis ad onera tollenda potentiores machinæ,) tota murorum longitudine, qua mare ſpectabant, conſtitui iuſſit, & iniectis mox vncis, rotam leuiter, & nullo molimine vertendo, naues, vt quæque prima mœnibus ſuccedebat, in ſublime rapuit. Sublatas, alias ſubita ruina præcipites in ſcopulos & mare frangendas dedit, alias in ipſa porro mœnia trepidantes attraxit. Rei miraculo ſtupefactus Marcellus, conuaſſatis rebus abijt, mala omnia

Archimedis machina.

Geometris precatus, & centimanũ iſtum Briarea, (ſic enim Archimedem appellare ſolitum accepimus) diris omnibus deuouens, nec quid ageret habens, niſi vt machinatores ſuos præ Archimede truncos & caudices appellaret. Totũ inde biennium in reliqua Sicilia perdomanda inſumpſit. Sub tertij anni finem Syracuſas redijt, vbi eundem qui fuit Archimedem viuere ſentiens, rurſus abitum parabat: & abijſſet, niſi ſpes proditionis in tempore affulſiſſet. Itaque cætera omnia ſumma vi agere aſſuetus, ſolas Syracuſas armis propter Archimedem inexpugnabiles, pretio emere Marcellus non recuſauit. Vna Syracuſarum mœnia ſeptem intra ſe vrbes firmiſſimis muris à ſe inuicem diſtinctas complectebantur: ex illis quinque Marcellus iam occupauerat: reſtabant duæ, Naſſus, & Acradina; quarum Acradina inſula erat, aquis marinis penitus circumflua, & cum reliquis ciuitatis partibus ponticulis iuncta. Omnia loca celſa & prærupta Græci Acra dixere: iſtam verò rupem, quod eximiè ardua & abſciſſa vndique erat, Acradina appellabant: Latini fœmineo genere Acradinam efferunt.

Acradina.

Cap.45.

Bomilcar à Marcello in mari fugatus.

Hanc dum Marcellus omni vi oppugnat, interim Bomilcar, magna præmiorum ſpe ſolicitatus, per ſtationes Romanas noctu in altum elapſus Carthaginem petit. Patres, quo in ſtatu Syracuſarum res eſſent, ſcientes facit; poſſe Marcellum & vniuerſum eius exercitum, mœnibus vrbis concluſum nullo negotio deleri, multis rationibus confirmat. Denique perorando effecit, vt centum triginta naues

longas,

longas, cum septuaginta onerarijs omni rerum copia refertis secum mitterent. Quibus rebus instructus prospero satis vento, ad Siciliæ latus, quod Lelybæum & Pachinum interiacet, appellit. Sed Pachini promontorium superare conanti Eurus solito violentior obortus obstitit. Summæ rerum in vrbe præerat Epicides: is accepto nuntio de Bomilcaris appulsu, cum ingenti, & à fluctibus & ab hostibus periculo, nauicula delatus ad eum ire pergit: quum venisset, rogabat, orabat, obtestabatur, ne rem Siculam, quinimò & Punicam inertia prodi perdique sineret: Quum cætera omnia, tum ventos sæpe & maria virtuti & audaciæ humanæ cedere; Mare fluctibus agitari: quanto sæuioribus procellis Syracusas à Romano milite pulsari crederet? Nec leuior herclè cura anxium & solicitum Marcellũ habebat, remittente Euro, Bomilcarem mox cũ supplemento aduenturũ cogitantem. Itaq; quanquã numero nauiũ haudquaquã par, statuit tamen prœlio nauali cum Bomilcare decernere. Ad Pachinum quũ venisset, postero die, superato promõtorio, & inaltum prouectus in conspectũ hostium venit. Iamque Bomilcar, instigante Epicide, altum tenebat; sed quũ Romanos magna fiducia aduersum se tendentes cerneret, & Romanæ militiæ assuetus, ex naue prætoria ipsum Marcellum adesse non frustra colligeret, Syracusarum oblitus, Tarentum in Italia abijt. Cuius rei fama Syracusas adlata, omnium, præterquam transfugarum, animos ad deditionem inclinauit. Horum ex criminis conscientia metus, vt & vi & proditione ad

Acradinam capiendam opus esset, effecit. Inter capiendum Archimedes, dum speciebus in laterculo formandis obstipus staret, interficitur. Vir, qui vt ante se omnes in suo genere superabat, ita post se parem, nisi forte Proclum, qui Arcadij Imperatoris tempore Constantinopolim ijsdem artibus obsidione liberauit, non inuenit. Nihil ille, ad tormentorum machinationem quod attineret, literis mandauit; siue quod Platonem sequutus excellentia Mathematices theoremata, arte ad sensiles res traducta, vulgari nollet, siue quod suam patriam quoad potuit seruasse contentus, tam perniciosa cædium & homicidiorum instrumenta, se autore, ad posteros transmitti per piaculo haberet, captas verò Syracusas reliqua Sicilia omnis sequuta deditionem fecit.

Cap.46. Interim T. Octacilius classe in Africam transmissa, & aliquantulum regionis Vticensis depopulatus est, & ipsum vrbis portum ingressus, centum inde & triginta onerarias frumento aliaque rerum copia onustas abduxit. Magna per se res vsu erat quàm re maior: captas enim omnes statim Syracusas ad Marcellum misit. Quæ oportunè adeo ad eum venerunt, vt exercitum fame alioquin interiturum, ea ratione seruatum fuisse constet. Cuius rei tanta erat apud plebem Romanam gratia, vt frequentibus comitijs absentem eum Cos. creaturi viderentur. Primæ certè centuriæ intus vocatæ, eum cum T. Manlio Cos. renuntiarunt. Sed quum Manlius, se propter aduersam oculorum valetudinem excusaret, & populum subinde, vt Pœnum

num hostem sub Annibale duce in Italia esse cogitarent, admoneret, continuata Octacilio classis præfectura, M. Marcellum quartum, & Valerium Læuinum secundis cogitationibus prætulerunt. Apparuit Octacilium non gratia, sed virtutis opinione victum Consulatu cecidisse. Contra acerrimum hostem in tam sæua rerum tempestate haud quaquam eum ad gubernaculum vocandum prudentiores existimabant. Anno illo, id quod apud omnes constat, moritur in Sicilia Octacilius. Duplex inde fama oritur: alij ita ipso comitiorum tempore extinctum memorant, vt quid in alterutram partem ibi actum fuerat, rescire non potuerit: alij morbo ex animi ægritudine propter duplicem repulsam, & aliòs sibi virtutis nomine prælatos contracto obijsse referunt. Maris tamen præfecturam diutiùs quàm alius quisquam in illa repub. tenuit. Medij vir ingenij: vt summis non comparandus, ita nec planè inutilis belliq; dux, & quem alij quàm Annibali duci, acerrimo semper Consulum Romanorum æstimatori, opponere non dubitassent.

Cap. 47. Marcello & Læuino Coss. ante omnia visum est, de classe ad Senatum referre. Classem enim parari, reipub. vsus exigebat: nec enim aliter, vel Italiæ ora ab incursibus defendi, vel Sicilia & Hispania obtineri, vel Philippus Macedonũ Rex à transitu in Italiam prohiberi potuit. Sed in tanta ærarij inopia, pecunia ad classem vel parandam, vel alendam vsq; deerat. Senatus memor aliquot ante annis, populum priuatis impensis remiges dedisse, edicto nunc, vt idem

dem rurſus facerent, imperauit. Id verò indignum adeò plebi viſum, benignitatem olim ſuam nunc ad imperij neceſſitatem trahi, vt ad ſeditionem res ſpectare videretur. Valerius, quum ex ea familia eſſet, quæ ab exactis vſque Regibus populo ſemper in delicijs fuerat, cum collega colloquutus, poſtero die, non eadem ſemper via in plebem graſſandum eſſe, patres monuit. Ante annos aliquot, non minus difficili reipub. tempore, remiges cum cibarijs populum ſingulos pro facultatibus dediſſe: agite, inquit, plebem tum ſenatores ſequuti ſumus: nunc ſenatores & magiſtratus reipub. ſeruandæ viam plebi viciſſim commonſtremus. Aurum & argentum omne factum infectumque, præter ſalinum, & ad ſacrificandum dijs patellam, cum ſignato quod quiſque habet ære, detractis etiam conjugum quotquot auro, argentouè, aut gemmis conſtant ornamentis, in publicum conferamus: pax reddita tanquam ver nouum omnia reſtituet, aliter ſi res ceciderit, fruſtra hæc Annibali reſeruauerimus. Non libentibus modò, verumetiam lætis auribus Conſulis verba in ſenatu audiebantur. Itaque pro ſe quiſque aurum, argentum, gemmas, lapides pretioſos, æs etiam ſignatum omne, ad ærarij triumuiros deferre, & pro ſe quiſque vt ſuum potiſſimùm & primo quoque tempore in tabulas referretur nomen contendere. Hoc Senatus ſtudium ſequutus deinceps eſt equeſtris ordo, plebs etiam, quorum prius imperium ſpreuerat, exemplum imitari non abnuebat. Iamque matronæ,

caritate

caritate in patriam, quàm auro & gemmis conſpectiores in publicum prodierunt. Hoc modo claſſis Romana inſtructa in mare deſcendit, eo fideliorem operam reipub. nauatura, quo cariora ſtipendia, non ex ærario deprompta, ſed ex matronarum monilibus detracta merebatur. Dum hæc in Italia & Sicilia geruntur, varia in Hiſpania fortuna Romanos verſabat. Duos Scipiones omnia hactenùs armis victricibus obtinentes fera ſors intra triginta dierum ſpacium cum ſuis exercitibus rapuit, amiſſaque tum Romanis fuiſſet Hiſpania, niſi eam L. Martius equeſtris ordinis adoleſcens, dux tumultuarius à duorum exercituum reliquijs creatus, cum P. Scipioni, P. Scipionis occiſi filio, fatali juueni & Africano mox cognominando ſua virtute reſeruaſſet.

Cap.48.

Tarentum Annibali deditum.

Eodem tempore in Italia præcipua cura de Tarento fuit. Vrbem Annibal proditione captam occupauerat,arcem Liuius cum præſidio retinebat,locum,quamdiu mare liberũ &ad cõmeatus apertum habebat, inexpugnabilem. Itaque eam cõmeatu excludere, & fame in poteſtatẽ redigere ſtatuebat Annibal: ad quam rem Democharem cum claſſe oram illam ſeruare juſſit. Marcellum Conſulem in Sicilia agentem de Tarento cura remordebat, & Liuius qui arci præerat, quum annona indies magis magiſque premeretur, varijs in eam rem literis Conſulem ſolicitabat. Viginti tũ naues ad Rhegium omni commeatuum genere affatìm repletæ ſtabant, quorum præfectus erat D. Quintius, vir genere obſcurus, ſed ingenio acer, manuque ſtrenuus,

nuus, & multis egregijsque in bello editis facinoribus conspicuus. Viri indole notata Marcellus, olim, quinq; naues, quarum nulla trireme maior erat, ejus fidei concredidit, quibus ita rem gessit Quintius, vt dignus posteà censeretur, cui quinqueremes aliquot ad res gerendas adderentur, quumque ex honore crescere indies viri solertiam Cos. animaduertisset, potestatem ei à quibusdam maritimis Italiæ ciuitatibus naues ex fœdere exigendi fecit. Ita viginti firmissimarum nauium classe confecta, aliquis tandem in mari esse videbatur, nec ex omnibus alius aptior visus, qui ad commeatum Romanis in arce Tarentina obsessis per medias hostium stationes inferendum deligeretur. In itinere Demochari classi Tarentinæ ab Annibale præfecto, cum pari nauium classe venienti occurrit. Pares armis, pares animis congrediuntur: duæ Prætoriæ, infestis rostris, veluti hastis se incurrebant. Idem & aliæ faciebant, nec vt fieri solet, cum clamore & vociferatu, sed cum ingenti animorum & virium contentione gerebatur res, & tranquillum fortè mare erat, vt facilè alteri in alteros, vbi vellent, veluti in gladiatorum ludo impetum facerent. Iamq; implexu mutuo cohærentes inter se naues campi speciem pugnantibus præbuerunt. In certamine fortè accidit, vt Nico Tarentinus, vnus ex ijs qui vrbem Pœno tradiderant, quum prora sua proram Quintij percussisset, diuque in pugna acerrimè fuisset, cum ipso Quintio comminus congressus, eum hasta confoderet, quem vt lapsum conspexere socij, pugnæ immemores,

Pugna naualis inter Quintium Romanum & Democharem

memores, omnes fuga abierunt. Conſtat pugnam, quamdiu durabat, velut inter juſtas claſſes commiſſam, nullo virtutis ſpecimine caruiſſe; toto certè hoc bello, quod pedeſtribus magis prælijs inclaruit, nullum acriùs in mare prœlium commiſſum reperitur.

Cap. 49.

Anno ſequente Tarentum à Fabio Max. receptum eſt. Interim P. Scipio viginti quatuor annorum juuenis Proconſul Hiſpaniæ declaratus, cum triginta quinqueremibus oſtio Tiberis profectus in prouinciam abijt: vbi reliquis copijs acceptis, & paululo temporis, ad res in quo ſtatu eſſent cognoſcendas, ſumpto, omnium primùm nouam Cathaginem, quæ Cartagena nunc dicitur, terra marique oppugnare parat. Vrbs erat in medio ferè lateris ejus Hiſpaniæ, quod mari Mediterraneo objicitur, poſita, & ex Italia, & Africa nauigantibus iuxta opportuna: portu, vt ad quantaſuis naues accipiendas ampliſſimo, ita ad eaſdem à cujuſuis venti injuria ſeruandas tutiſſimo illo certè tempore Pœnorum; ærarium, horreum, armamentarium, arx, forum, propugnaculum, & quod nomen ipſum præ ſe ferebat, verè illis altera Carthago fuit: & in qua Hiſpanorum obſides ſub arctiſſima cuſtodia ſeruabantur. Quæ potiſſimum cauſa Scipioni fuit, res ſuas ab hujus vrbis expugnatione, ſi poſſet, ordiendi. locus prætereà erat, & natura & operibus munitus, longè maxima ſui parte mari ambitus; & quà continenti jungebatur, celſiſſimo muro clauſus. Scipio igitur quum hanc vrbem obſidendi conſilium in animum penitùs demiſiſſet, Lælium

Carthago noua à Scipione capta.

(cujus

(cujus cum eo celebris admodùm illa ætate erat amicitia) cum classe præmisit, jussum ita cursum moderari, vt præstituto die Carthaginē maturè appelleret. Ipse ad tēpus cum pedestribus copijs plenus fiduciæ ad vrbem venit, castrisque positis, muros confestìm, admotis scalis, vi aggreditur: sed quum angustus ad vrbem aditus, mœnia verò ea altitudine essent, raræ admodùm vt scalæ ad eorum fastigium pertingerent, multis vulneribus fesso jam exercitu receptui signum dedit. Incertum quid faceret, adeunt piscatores quidam locorum gnari: hij recedente jam æstu totum ad mœnia mare vadari posse monstrant, eo jam facilius, quòd spirans tum & quidem acriùs à Septentrione ventus plus solito vada aperuisset. Quibus auditis, scalas rursus ab integro & recenti milite mœnibus admoueri jubet, jussis legatis vt vrbem qua priùs acerrimè oppugnarent. Ipse cum expeditis in auersam vrbis partem, qua propter maris objectum nihil majoris periculi metuebatur, decurrit; quid à piscatoribus accepisset apud milites dissimulat, sed diuina quadam sorte, vada, quà nunquam aliàs, nudari, & per profundum pelagus, incognitum mortalibus à dijs viam Romanis aperiri clamans, Quid statis? inquit: quin pedem mari vestræ fortunæ & virtuti cessuro infertis. Et ipsi piscatores, quo fiduciam magis adderent, se viæ duces offerebant. Ingressi cum scalis vmbilico tenùs aquam reperiunt, longius progressis ne genua quidem attingebat aqua, & erat murus ea parte depressior, & auersis omnium ad portæ defensioné animis, defensore

defensore vacuus. Itaque nullo negotio in muros euadunt, & Scipio quum rem ibi ad votum successisse animaduertisset, securus de castris copias omnes inde excitas ad locum adduxit: quibus firmato jam agmine, ad portam quæ ab exercitu oppugnabatur, ducit. Eodem tempore Lœlius classis præfectus, nauibus hostiū quæ in portu stabant multa vi expugnatis, socios nauales mœnibus succedere, & quà quisq; poterat in muros euadere iussit. Hij suos media vrbe ad portam cursu tendentes conspicati, saltu se è mœnibus dejiciunt, suisq; iuncti hostē ad portam pugnantē à tergo aggrediuntur. Nec Pœni capta prius vrbem senserant, quàm in auersos tela hostium incidebant. Tum pro se quisque abiecta vrbis retinendæ spe in arcem refugere cœperunt. Legiones, quum intra extraq; refringeretur porta, sub signis vrbem intrabant. Donec arx tradebatur ingens in vrbe strages edita; ea tradita, signum extemplo datum vt cœdibus parceretur. Ita vno die potentissima, ditissima, opportunissima Hispaniæ vrbs ductu Scipionis capta in Romanorum potestatem venit. Hic quid attinet cæteram prædam & instrumentum bellicum commemorare? In ipso portu centum & tredecim naues onerariæ expugnatæ & captæ erant: plæræque frumento, armis, ære престereà ferroq;, & linteis, & sparto, & nauali alia materia onustæ. Postero die Scipio, vniuerso exercitu tam pedestri quàm nauali conuocato, neminem omnium illo die indonatum abiturum edixit. Illo vero tempore, eius qui muralem coronam, primùm scilicet in

Classis Punica in portu Carthaginis Nouæ à Lælio expugnata.

mœnia

mœnia ſcandendo, meruiſſet rationem ante omnia habiturum pronuntiauit: proinde nomina, qui peterent, profiteri juſſit. Duo ſe petere profitebantur. Q. Trebellius legionarius centurio, & Sex. Digitius ſociornm naualium vnus. Honoris huius auidi, non ipſi magis petentes erant, quam toti ordines. Suſtinebant hunc nauales ſocij: ijſque in cauſa aderat, ipſe Lœlius claſſis præfectus: Sempronius Tuditanus, legionarios tuebatur. Quum res exitũ non reperiret, Scipio eam Lœlio & Tuditano, addito ijs Cornelio Claudio, recuperatoribus delegabat. Ibi vero res multò quàm apud Scipionem impudentiùs agebatur. Vix manibus temperantes, execrationibus & perjurijs cauſam quiſque ſuam tuebatur. Lœlius de Collegarum conſilio, Scipionẽ eius rei certiorem facit. Qui conuocato rurſus exercitu, ne longiùs iræ prauo vincendi ſtudio procederent, ambos petentes bonos & fortes viros eſſe pronuntiauit; cætera æqualibus fortunam etiam indifferenter fauiſſe. Se compertum habere ſimul ambos diuerſis partibus in muros euaſiſſe: propterea ambos murali corona nulla alterutrius prærogatiua, donandos: & donauit. Tum ad alios conuerſus ſingulos pro merito præmijs affecit. Ante omnes, C. Lœlium multis præconijs efferebat. Illum ardente maximè ad portam vrbis pugna, claſſem hoſtilem in portu expugnaſſe. Qua pugna confecta ſocios nauales claſſicoſque milites, ad mœnia ſcandenda, & vrbem ea parte capiendam duxiſſe. Quos adeo in tempore adueniſſe, vt ex eo corpore non defuerit,

Contentio inter Legionario: & Claßiarios

fuerit, qui cum legionarijs de muralis coronæ prærogatiua contenderet. Itaque vt classicos legionarijs, Digitium Trebellio, sic ducem duci, Lœlium Scipioni, omni laudis genere æquandum esse inferebat. Paucis inde diebus ad militem terrestrium naualiumque prœliorum simulacris exercendum datis, omisso mari, interiora Hispaniæ petit, quam paucis annis vniuersã, aut cœsis aut pulsis Pœnorũ ducibus, Romano iugo colla subdere coegit, damnaq; in Italia ab Annibale illis ipsis temporibus, cæso Cn. Fuluio prætore cum exercitu, Marcello etiam Cos. verè Romanorum Hectore infœliciter rapto, & collega eius Crispino grauitèr vulnerato accepta restituit.

Cap. 50. Interim vtraque pars classibus suis vel ad commeatus subuehendos, vel ad prædas agendas magis quàm ad prœlia naualia maritimasque pugnas vtebatur. Nam & classis Punica quadraginta nauium in Sardiniam transmissa, duce Amilcare magnas inde prædas in Africam reportauit, & M. Valerius, qui T. Octacilio in classis Romanæ præfectura successerat, cum centum nauibus in Africam delatus, agrum latè vastabat, latiùs cladem illaturus, ni classem Punicam aduentare à speculatoribus didicisset. Itaque suos properè ad naues reuocat, & vltrò Pœnorum classi occurrit: octuaginta in ea naues erant. Quanquam verò nihil de modo pugnæ in alterutram partem traditum reperio, summis tamen viribus vtrinq; concursum esse non ambigitur. Decem & septem Pœnorum naues captæ; submersæ aliquot, reli-

Classis Punica oppressa.

quæ in fugam versæ. Itaque aucta ex certamine nauali præda, aucta & gloria, Valerius Lelybæum rediјt, nec temere deinceps mari se Pœnus ad pugnam credere, ex occursu modò, nunc pericula adita, nunc clades acceptæ referuntur. Tertius iam supra decimũ annus ab hoc bello cæpto agebatur, quũ P. Scipio perdomitâ Hispaniâ, priusquàm in Italiam rediret, iuncta nuper cum Masanissa Numidarum Rege amicitia, Syphacem etiam Masesylorum Regem, viris & opibus abundantem, à Carthaginensibus ad Romanos pertrahere, & è gloria sua, & è re publica fore cogitare cæpit. Idque antea per Lœliũ tentauerat: quoniam verò Rex nisi cum præsente Scipione fœdus facere recusabat, ideo Scipio cum duabus quinqueremibus Carthagine in Hispania soluens in Africam ad Regem nauigabat. Forte accidit, vt eodem tempore pulsus Hispania Asdrubal, ad eundem portum cum septem triremibus appelleret. Prior Asdrubal iuxta fauces portus anchoras iecerat: duas deinde quinqueremes Romanas eundem portum petentes quum vidisset, anchoras ad pugnam moliri cœpit. Dum molitur, Scipio secundo vento fretus portum subit. Tumultuari deinde Asdrubal, & pugnam cum Scipione, acerrimo scilicet Pœnorum hoste, in ipso portu consertam cupere. Sed admonitus, communis amici portum inducias hostibus præbere, tacuit. Scipio, percusso cum Syphace fœdere in Hispaniam rediјt, tutus quidem, sæuis tamen in itinere tempestatibus iactatus. Pulsi continente Hispaniæ Pœni, Gades tamen, quas nunc

Scipionis in Africam ad Siphacem trãsfretatio.

Calez

Calez dicimus, retinuerunt. Ad eas recipiendas C. Lœlius à Scipione missus, freto penitùs euectus Carteiam nobilem tum, circa promontorium quod nunc Sancti Vincentij dicitur positam vrbem cum classe petebat. Malè enim horum temporum Chorographi hanc vrbem infra fauces ad mediterraneum collocant. Id quod ex multis Plutarchi & T. Liuij locis confirmari possit. Liuius certe libro 43. Historiæ Carteiam signanter ad oceanum positam affirmat. Spes erat proditione perfici rem posse, sed illum conatum rupit loci præfectus Mago, coniuratosque omnes captos, & in vincula coniectos Adherbali Prætori Carthaginem ad suppliciũ deportandos tradidit. Hos ille quinqueremi impositos præmiserat: paratus & ipse cum octo triremibus sequi: sed portu statim egresso in ipsis freti angustijs occurrit Lœlius, ipse quinqueremi vectus, septem insuper triremes in classe habuit. Cum quibus in Adherbalem inuectus, pugnam miscere cœpit: nec Adherbalem ita virium suarum pœnitebat, vt pugnam detrectaret. Sed vt author est Liuius, *Minimè ea pugna nauali similis erat. Quippe vbi nihil voluntarium, nihil artis aut consilij esset; vna natura freti, æstusq; totius certaminis potens, suis alienis nauibus nequicquam remigio in contrarium tendentes inuehebat. Vt fugientem videres retro vortice intortã victricibus illatam, & sequentem, si in contrarium maris tractum incidisset fugientis modo se auertentem. Iam in ipsa pugna hæc quum infesto rostro peteret hostium nauem, obliqua ipsa ictũ alterius rostri accipiebat.*

Pugna naualis in ipso freto Gaditano.

Carteia vrbs.

Fretum Herculeum.

Illa cum transuersa objiceretur hosti repente intorta in proram circumagebatur. Scio me, dum ista refero, horum temporum nautis rem fabulæ similem narrare visurum, quùm longè alia freti illius natura hodie nauigantibus conspiciatur, nec aliud nauigij genus illius oræ præsidio, ab Hispano nunc dierum deputetur, quam galeæ, hoc est, naues ad longarum priscorum temporum nauium imaginem fabricatæ, quamuis ad impetus maris sustinendos haud quaquam cum triremibus, quinqueremibusuè, de quibus jam agitur, comparandæ. Itaque vel Liuius de freti hujus natura famæ credidit, vel angustiores multò illis temporibus, quàm quæ modò visuntur, fauces, & propter angustias vorticosiores, & quales hìc à Liuio fuisse memorantur, erant. Quicquid erat, quinqueremis Læliana, seu quòd pondere ipso firmior maris vim minùs sentiebat, seu quòd pluribus remorum ordinibus acta, per ancipites alioqui fluctus, viã certiùs & magis ad gubernãtis voluntatẽ faciebat, duas hostiũ triremes confregit, tertiã remis detersis cepit, nec dubiũ erat, quin reliquas omnes oppressura fuerat, ni Adherbal sublatis velis in aduersum Africæ littus enauigasset. Vltima hæc Romanos inter & Pœnos de Hispania demicatio, quicquid postea bellorum in ea fuit, proprijs Hispanorum viribus gerebatur, nec jam amplius ditionum terminus Iberus fuit.

Cap. 51. Circa hæc tempora, Romani decimas spoliorum ex Asdrubale fratre Annibalis, à Liuio Salinatore & Nerone Consulibus; cum exercitu ad Metaurum fluuium, non procul à radicibus

cibus Alpium cæso captorum Delphos ad Apollinem ex voto miserant. Quo plus dignitatis in legatione esset, quinque penteribus cum actuarijs nonnullis, nauigatum est: ibi majorem adhuc de hoste victoriam instare, à vate responsum, si matrem deûm è Phrygia Romam rite deportandam curassent. Ita legatis cum hoc responso Romam reuersis, alia legatio in Asiam decreta & missa, ad Deam scilicet ab Attalo Rege, in cujus potestate & Phrygia tum & ipsa Dea erat, recipiendam. Ea res Attalum primum omnium Asiæ Regulorum Romanis junxit, & ista veluti arra, Orientis imperium populo Romano desponsatum videbatur. Mater Deum Cybele dicta, eadem nunc Idæa, nunc Berecynthia, nunc magna mater, & post omnem deorum sobolem editam, Virgo, & quidem Vesta dicebatur. Hæc in Pessinunte oppido Phrygiæ religiosissime à priscis temporibus colebatur, sed quum flagrante maximè in Italia bello, ingens lapis, sed rudis planè & informis è cælo, (id enim Appianus Alexandrinus refert) in montem Idam decidisset, eam matrem Deûm loci incolæ nominabant. Hoc saxo naui imposito, & in Italiam aduecto, dum Tiberim subit, medio fluminis alueo nauis non aliter quàm si sicco nauali teneretur, hæsisse dicitur. Erat inter alias Romanæ vrbis matronas, quædam nomine Claudia, illæsæ, vt postea creditum est, pudicitiæ, sed propter solutos alioquin mores, saltusque & choreas, & nimiam cum viris consuetudinem perditæ famæ mulier. Itaque adulterij non solum suspecta, verumetiam

Cybele è Phrygia Romam translata.

rumetiam rea fuit, judicium tamen adhuc in ſuſpenſo erat. Ferunt eam, quum nauis nulla vi humana moueri poſſet, de innocentia ſua paucis præfatam; cingulo illam ſuo illigatã traxiſſe. Ea res non ſolum crimine in præſenti liberabat, verumetiam matronalis pudicitiæ nomine claram ad poſteros fecit.

Cap. 52.

Pugna memorabilis inter Philippum & Attalum ad Chion.

Sub hoc ipſum tempus inter Romanos & Philippum Macedonem æquis conditionibus pax conuenerat. Quippe & Romani in Annibalem intenti vacationem à bello Macedonico quærebant; & Philippus, centum viginti nauium claſſe ad Oricum in Epiro à Valerio claſſis Romanæ præfecto exutus, pacem malle quàm bellum cœpit. Bello verò Romano liberatus Rex; omnes ſtatim vires ad Athenas opprimendas conuertit, quibus apparatibus territi Athenienſes, Attalum Phrygiæ in Aſia Regem, & Rhodienſem populum, vtrumque rebus naualibus potentem aſciſcunt; nec claſſe inferior Philippus videbatur. Itaque qua parte virium vterque plus fidebat, ea ad pugnam veniebat, pugnam multis caſibus memorabilem, & quam ſolam ex decimo & ſexto hiſtoriæ Polybianæ libro; ſiue Brutus ejus abbreuiator, ſiue blattæ nobis integram reliquerunt. Inter Samon & Chion jacent Cyclades, & innumeræ aliæ, propter earum exiguitatem nomine carentes inſulæ. Harum medio dum Philippus Samon petit, occurrit ei cum ſua & Rhodiorum claſſe Attalus; Philippi claſſis, tectis nauibus quinquaginta tribus, quarum plæræque ab Hexeribus ad decæres erant, & centum quinquaginta

apertis

apertis lembis, quæ & pristibus (nauigij hoc genus erat, summæ velocitatis, & ex eo quod fluctus secaret, dictum) constabat. Attalus verò in vniuersum, sexaginta quinque tectas habuit, quinqueremes omnes, præter triremes aliquot & triremium hemiolias, hoc est, ad quinqueremium ferè magnitudinem extructas: erant & à Byzantio nonnullæ Attalum ad hoc bellum sequutæ. Classis Macedonicæ præfectus erat Democrates: Attali, quæ propria ejus erat, duo fratres Dionysidorus, & Dinocrates, ejus verò partis quæ Rhodiorum erat, vir insignitèr fortis & omni memoria dignus Theophiliscus. Prior Attalus, militis illo die magis quàm nauarchi munia obiturus, armis conspicuus, in octerem hostilem inuectus, ipsam subter aquam oportuno adeò ictu percussit, vt confestim cum propugnatoribus profundo maris mergeretur. Philippus, quum primùm pugnam instare animaduertisset, relicta sua deceri, & classis cura Democrati delegata, cum modica cohorte ad insulam quandam pugnæ spectator futurus secessit, quod magna ejus fortuna factum mox apparuit: statìm enim conserto prælio, vna ex Attalicis tanta vi in Prætoriam Philippi incurrit, vt medium ejus inter Thranitas & Zugitas alueum rostro penetraret: nec penetrauit modò, sed ita deceris lateri infixa adhæsit, vt nec ipsa se recipere, nec deceres eam vlla vi amoliri posset: quo conspecto aliæ duæ Attali quinqueremes, impetum & ipsæ in decerem faciunt, multisque demum vulneribus perfossam depresserunt. Inter

reliquos Democrates nauarchus multis sauci-us vulneribus occubuit, Philippo inspectante, & ex illius casu, quæ sors ipsum manebat, nisi maturè se pugnæ subduxisset, animo præcipi-ente. Et jam pugnæ succedebant Dinocrates & Dionysidorus fratres. Quorum Dinocrates quum in octerem hostium inuectus, simul ipse eam prora sua percussisset, & ab aduersa vul-nus identidem non leuius quàm intulerat acce-pisset, rostrisque ita hærerent naues, vt nulla eas distrahendi facultas esset, Dinocratis verò nauis eò laboraret, quod desuper, vtpotè è cel-sioris fastigij naue telis obrueretur, jamque in eo ferè esset, vt manus daret, Attalus rem in-tuens, medius incurrit, & vno ictu non solum Dinocratis quinqueremem ab octere diuulsit, verumetiam in octerem transgressus, hostes ad vnum omnes in ea interemit, ipsam verò octerem defensoribus jam vacuam & ad suum religatam, vtraque classe inspectante magna cum gloria abduxit. Alter verò Dionysidorus totis & ipse viribus in aduersam hostium nauem fere-batur, qua declinante, à scopo aberrabat, seque ex impetu obliquum hosti quem petebat præbuit: quo conspecto hostis in auersum il-latus, remigium omne obuersi lateris detersit; quumque remis destituta nauis immota staret, & aduersis hostium proris omni parte vulnera-ta vndam penitùs acciperet, Dionysidorus cum duobus comitibus ad Hemioliã, quæ subsi-dio veniebat, enatauit, reliqui omnes, qui-bus ferrum pepercerat, fluctibus hausti cum ipso nauigio perierunt. Iamque toto mari fer-

Democratis nauarchi mors.

Dinocrates & Dionysidorus.

feruebat pugna: neutro se victoria inclinante: lemborum multitudine Philippus, tectarum nauium numero Attalus & Rhodij superabant. Apparebat tectas Philippi à lembis & pristibus sustineri: hæ enim, vtpote leuitate agiliores, in ordines Attalicarum quacuncque patebant se insinuantes, partìm eas, vel subter vel juxta aquam vulnerabant, partìm remos prætereuntibus detergebant, partim eas præpediendo, & ab omni parte incursando, opportunas majorum nauigiorum ictibus præbebant: & ista quidem dextero cornu gerebantur, pari verò Marte & in sinistro concursum, vbi Theophiliscus Rhodiorum nauarchus pugnam acerrimè ciebat. In hac parte trium præcipuè quinqueremium Rhodiarum fortuna memorabilis, memorabilis & virtus nauarchorum in illis fuit. Horum primus Autolychus erat: qui quum in hostium quinqueremem impetum fecisset, rostrum suum penitus au usum in ea reliquit, quo saucia hostilis nauis in vestigio perijt, tota enim ex vulnere fatiscebat, sed & ipsa Autolychi nauis, quum auulso rostro tota prora vndam acciperet, tantisper fluctuans dum Autolychus ex vulneribus moreretur, vndam subijt. Quo conspecto Theophiliscus cum sua quinqueremi accurrit: Aduenìens, quum & Autolychum jam mortuum, & nauem ipsam ita aqua plenam, vt subduci eam operæ pretium non esset, reperisset, ad vindictam conuersus, duas juxta stantes hostium naues grauiter sauciauit. Macedones quum Theophiliscum temerario incæpto à suæ classis corpore auulsum cernerent,

rent, in eum versi, omnes vnum telis vndique petebant. Iamque tribus saucius vulneribus Theophiliscus, nullam effugiendi spem habebat: nec manus hostium vel viuus vel mortuus effugisset, ni Philostratus, quanto in periculo classis præfectus versabatur conspecto, maturè adueniens hostibus se objicisset: omnibus à Theophilisco in Philostratum conuersis, Theophiliscus cum sua quinqueremi prœlio excessit; sed ligatis mox vulneribus, & contractis aliquot suorum nauibus, in pugnam redit, corporis quidem viribus ex vulneribus destitutus, sed animo vigens, & supremum illo die virtutis exemplar editurus: ibi Philostrato viriliter pugnanti junctus, sublimisque in puppi, vt ab omnibus conspiceretur stans, hostes loco pepulit, multasque earum naues vel cepit vel depressit. Iamque toto mari res ad Attalum & Rhodios inclinabat, quum Attalus, fusis quibuscum certamen cōtraxerat, ad cohortem illam, in qua Philippus juxta insulam erat, delendam properabat. Inter eundum, è suis quandam à naui hostili laborantem vidit. Itaque omnium aliorum oblitus, cum ea in qua erat quinqueremi ad opem ferendam accurrit: quumque nauis hostica, conspecto Rege, ad terram aufugisset, eam Rex longè à suis abreptus insequebatur; Philippus, rapta ex re occasione, quinqueremibus quatuor assumptis, reliquis subsequi jussis, se à tergo Attalo objecit: & jam Attalus vltimum discrimen adibat, & vel viuus vel mortuus in Philippi potestatem venisset, nisi impacta ad littus naue, in terram

se

ſe ejeciſſet. Fugam inſuper ſuam conſilio adhibito adjuuabat, aurea & argentea vaſa, veſtem purpuream, & ſi quid pretioſi in naue erat, per nauis cataſtromata & foros ſpargi juſſit, quibus conſpectis, qui primi in vacuam ejus nauem inuaſerant, eo vſque rebus ſpoliandis inſtabant, donec Rex ipſe ſcapham diuerſa inſulæ parte nactus, tutus in continentem trajeciſſet. Nauem Philippus ad ſuam religatam abduxit; quo viſo, reliqua Attali claſſis, Regem vel captum vel interfectum rati, omnes pugna exceſſerunt. Idem & Rhodij, qui in ſiniſtro cornu pugnabant, faciebant. Quo titulo Philippus, omni alioqui parte inferior, victoriam ſibi aſſerebat: nam ad pugnam quod attinet, nihil in altero erat alteri comparandum. Nonaginta Philippus naues, & cum ijs nouem mille ſeptingintos milites & remiges amiſit. Apud Attalũ & Rhodios ſex non ampliùs naues deſideratæ; homines centum & viginti interfecti, de capto nullo hoſtis gloriari potuit. Theophiliſcus quũ diẽ vnũ prœlio ſupervixiſſet, & ad Senatũ rerũ in illo prœlio geſtarũ ſeriẽ perſcripſiſſet, plenus honorũ diẽ obijt. Cóſtabat apud omnes, quũ metu Philippi reliqui omnes muſſarẽt, ſolũ eum & Rhodios & Attalum ipſũ ad bellũ contra Macedones pro Græcia capeſſendum, excitaſſe: mortuũ certè Rhodij meritis honoribus cumulabant, non ad oculos vano ſpectaculo in præſenti paſcendos, ſed ad memoriam nominis ſempiternam exquiſitis.

Theophiliſci nauarchi mors.

Perdomita Hiſpania Scipio in Italiam & Romam ad conſulatum petendum redijt. Nec

Cap. 53.

multa

multa ad eam rem petitione aut ambitu opus erat. Omnium animis tacita quædam diuinatio insederat, Aut illo aut nullo vnquam duce, tam triste bellum finem habiturum. Itaque nihil aliud victoriam morari rati, quàm quòd comitiorum dies non aduenisset, vbi illa illuxit, omnes tribus atque adeo homines, non solum consulem renunciarunt, verumetiam Africam ei prouinciam votis omnibus despondebant. Et ipse Scipio eò inclinabat animo, facilius Annibalem ex Italia trahi, quàm pelli posse. Qua de re grauis erat inter ipsum & Q. Fabium Max. in Senatu concertatio. Fabium sustinebat Q. Fuluius, præter Capuam captam quatuor Consulatibus & Censura conspicuus: Scipio populi fauore subnixus, haud obscurè præ se ferebat, si Africam prouinciam in Senatu non tenuisset, ad populum (vbi haud ambigua res futura erat) laturum. Veruntamen ne patritius ipse ad plebem deficere, neuè rem per se bonam, prauo exemplo tentare videretur, die vno ad deliberandum sumpto, se in potestate patrum futurum, & quod illi censuissent facturum dixit. Senatus mediã viam ingressus, nec in Italia eum retinendum, quod tetenderat Fabius, nec quod ipse voluit, in Africam mittendum censuit. Sed prouinciam ei Siciliam cum potestate in Africam, si videretur, transmittendi, decreuit. In Siciliam quum venisset, ingentem apparatum nauticũ Syracusis confecit. Quod eo erat mirabilius, quòd Fabio nunc ærarij, nunc militis inopiam causante Scipio in Senatu, nec alio se milite, quàm voluntario vsurum, nec impen-

Scipio Consul declaratur.

sa Rempub. grauaturum esse pronuntiasset. Nec frustra viri fiducia erat: omnes enim socij, omnes coloniæ, pro se quisque & quidem certatim alij frumentum, alij ferrum, lintea ad vela, arma, ornamenta, materiem, cibaria, qua re locus quisque maximè abundabat, militum denique quantum vellet polliceri: & ipse dum in Italia adhuc esset, quum triginta rostratas naues vt ædificaret ei à Senatu permissũ esset, (veteres enim inde abducere vetabatur) ita operi instabat, vt die quadragesimo quinto quam ex syluis detracta materia esset, naues instructæ armatæque & in mare deductæ fuerint. Sed minimum hoc classis erat, quam in Africam ducere parabat. Quam rem dum omni studio in Sicilia curat, Lœlium interim ad prædandum in Africam mittit, simul ne militem otio languere fineret, & ne socijs maiori, quàm necesse esset, oneri in Sicilia demorando esset. Lœlius ad Hipponem in Africa excensione facta, longéque & latè agros depopulatus tantum metũ Pœnis iniecit, vt ipsumScipionem venisse sermone ferrent, & ex eo ad vltimam rerum suarum desperationem reciderent. Vbi verò non Scipionem, sed legatum eius ad prædandum tantummodo in terram egressum esse cognouissent, animis recreati nouos delectus facere, & auxilia ad impetus hostium propulsandos contrahere cœperunt. Ac ne tum quidem maiorum suorum more, quicquam illis de classe, qua Scipioni transeunti in mare occurrerent, in mentem venit. Magonem modo ad Insubres & Ligures in Italia concitandos, cum satis ampla

Scipio classem ad trãsmittendum in Africam apparat.

pla pecuniarum summa mittunt, dantque ei in mandatis, vt Annibali se iungat, vtque iunctis copijs vtrique Romam obsessum & expugnatum eant, vt eo saltem terrore Scipio ad sua tutanda reuocatus Africæ potiundæ spem omitteret: nescio enim quo fato, sed non majorem de Scipione spem Romani, quàm terrorem tacito quodam animi augurio Pœni conceperant. Et forte accidit, vt dum aliam octuaginta nauium classem in Italiam Annibali suppetias laturam mitterent, omnes à Cn. Octauio, qui Sardiniæ tunc cum imperio præerat in itinere caperentur. Quæ causa fuit, cur ipse Scipio, vt qui nullum jam in mare hostem inuenturus esset, multò majorem strongylis & onerarijs, quàm longis & rostratis nauibus parandis curam impenderet. Omnibus paratis classem omnem, omnes copias, ad Lelybæum conuenire jubet. Classis ipsa quinquaginta non ampliùs rostratis, quadringentis onerarijs, præter actuarias, constabat. Sedenim eo ordine, eoque apparatu instructa erat, vt non spectantium modò, verumetiam audientium animos stupore defigeret, nec vlla vnquam classis è Sicilia pari hominum expectatione soluerat.

Classis Punica ab Octauio Pratore capta.

Rei ordinandæ curam tripartitò diuiserat. Lælio vt nauticos in naues cogeret, eosque in potestate haberet, imperauit; Pomponio Prætori mandauit, vt cibaria, aquam, & commeatum reliquum nauibus imponeret; ipse milites in naues singulas justo numero distribuendas desumpsit. Cùm omnia jam in nauibus essent, scaphis

Cap. 54. *Scipionis in classe ordinanda solertia.*

ſcaphis circummiſſis ex ſingulis nauibus, gubernatorem & magiſtrum & binos milites ad imperia accipienda in foro Lelybætano conuenire juſſit. Vbi conueniſſent, vnica ad omnes quæſtio erat, an aquam cibarijs parem in nauibus haberent. Reſponſum eſt, cibaria & aquam ad quadraginta & quinque dies in parato habere: militibus deinde mandat, vt ordinem & ſilentium in nauibus tenerent: neuè ſocijs naualibus in ſuis miniſterijs, aut jurgando aut tumultuando impedimento eſſent: gubernatoribus & magiſtris vt Emporia (regio erat inter Carthaginem & Syrtim poſita) peterent: omnibus edixit quem ordinem in nauigando ſeruaturus erat: Se ac L. Scipionem fratrem cum viginti roſtratis ab dextro cornu, Lælium cum Porcio Catone in ſiniſtro onerarijs præſidio futurum: roſtratas ſingula, bina onerarias, prætoriam, in qua ipſe nauigaturus eſſet, terna lumina habituras. Inde ad naues redire juſſi, poſtridie, ſi venti curſum nauibus darent, profecturi. Ad ſpectaculum concurrerat ingens ex omni Sicilia multitudo, nec ædes modò & muros ad portum verſos, verumetiam littora & rupes littori circumfuſas ſpectandi cauſa occupauerant. Enimuerò non vt olim claſſis Athenienſium, Siciliam petitura, auro, argentouè, aut purpura, cœteriſque conuiuij magis quàm belli apparatibus fulgebat, ſed ære & ferro omnia ad terrorem & formidinem compoſita micabant. Ipſum etiam ſilentium, non quale mœſtis ſuboriri, ſed quale ad res agendas intentis ineſſe ſolet, ſpectantibus & ipſis ſilentio defixis admira-

admirationem auxit. Sole orto, Scipio silentio per præconem imperato, deos deasq; qui maria terrasque colerent more patrio precatus, vt quod agere pararet, bene vorterent, cœteris deinde solennibus peractis; quum cæsæ victimæ exta sua manu in mare projecisset, ferrum strinxit, & scisso retinaculo signum proficiscendi tuba dari jussit: ad quam tantus vndique clamor sublatus est, penè vt Carthagine, per tot maris interualla exaudiri posset, omnibus fausta omnia, victorias, triumphos, & quòd omnes victorias & triumphos superaret, belli finem ominantibus. Secundissimo profectus vento: quia tamen nebula semel atque iterum in itinere suborta visum gubernatoribus auferebat, Emporia, quod volebat, non tenuit, sed tertio demum die propiùs Carthaginem, dextrorsum ad promontorium, quod Pulchrum tum dicebatur, chartæ vulgatæ Apollinis nunc habent, descendit, classemque vniuersam ad portum Vticensem occupandum præmisit, vrbem ipsam terrestribus copijs mox tentaturus. Quum verò considerato vrbis situ, ejus expugnationem majoris rem negotij, quàm animo præceperat esse comperisset, relictis ibi modicis ad speciem oppugnationis copijs, ipse proxima Africæ loca vastat, vrbes capit, Syphacem, qui rupto cum Romanis fœdere ad Pœnos defecerat, castris cum ingenti clade exuit, eundemque mox cum Asdrubale acie vicit, quumque hostem in agris ampliùs non inueniret, ipsum belli caput Carthaginem petere instituit. Itaque Tunetem (nunc Tunisam

vocant)

vocant) vrbem per se validam, & operibus munitam, nec duodecim ampliùs millibus Carthagine distantem, sed sub Romani exercitus aduentum, non solùm à præsidio, verumetiam ab incolis desertam occupat, pro castris eâ ad Carthaginem oppugnandam vsurus.

Cap. 55. *Classis Romana a Scipione grauissimo periculo exemta.*

Vix consederat, quum classem Punicam portu Carthaginis egressam Vticam tendere (nec dubium erat quin ad classem Romanam delendam pergerent) animaduertit. Quo viso, omissa ad tempus Tunete, citato, si vnquam, cursu, cum toto exercitu Vticam aduolat. Constat, si pari celeritate Pœni vsi fuissent, vniuersam, quanta quanta erat, Romanorum classem vel capi, vel incendi potuisse. Illi verò gradum mouentes magis quàm promouentes, metuque & consternatione, veluti compedibus injectis constricti, trium non ampliùs horarum iter vix die conficiunt; sub vesperam verò ad portum quum appulissent, tota deinceps nocte, ad anchoras in salo stabant, postridie classem explicant, in cornua diducunt, & copiam scilicet pugnandi hosti faciunt. At Scipio, tantũ errorem partìm quidem celeritate sua, multò verò magis cunctatione & inertia hostium correctum sentiens, pugna abstinuit, sed onerarias suas, in quibus & commeatus & apparatus reliquus omnis erat, præsenti periculo eripere satagens, omne postquam aduenit tempus classi muniendæ dabat, onerarias quadruplici ordine in portu instruxit, non vti solet ad nauale prœlium cum remigio, sed malis, asseribusque, & tabulis ab alia naue in ali-

am tota claſſis latitudine trajectis, anchoralibuſque & alijs, vt ad manum forte erant, funibus inter ſe alligatis: media verò inter ordines relinquebantur ſpatia, per quæ minora nauigia excurrere, & hoſtili claſſi vim inferre poſſint. Horum tamen nullus in hoc prœlio vſus erat: nam & à majoribus hoſtium nauibus, ſi qua excurriſſent, momento obruebantur, & non minus ſuorum ſæpe quàm hoſtium telis, vbi procurrerant, ſubjecta erant. Tota vis in onerarijs erat: eæ Punicis triremibus celſiores erant, & Scipio illas mille delectis propugnatoribus inſtruxit: Hij cum ſocijs naualibus conjuncti, ſubeuntem Pœnum tanquam è vallo, multis vulneribus arcebant. Pœni, vt culpam quam cunctando contraxerant egregiè edito certamine eluerent, quùm ſe fruſtra in aduerſum ſcandere multis irritis conatibus ſenſiſſint, manus ferreas firmiſſimis catenis illigatas onerarijs injiciunt. Hæ injectæ, naues Romanas, ruptis quibus colligabantur funibus, magna vi auulſerunt. Inde toti patere ordines, viaque ad claſſem perdendam aperta, niſi Pœni flagitio culpæ addito, quàm tarde venerant, tam citò abijſſent. Sex onerarias rapuiſſe contenti triumphantes Carthaginem reuertuntur. Quum ſi Annibal ibi dux, ſi Aſdrubal frater, ſi pater Amilcar, aut veterum ducum Punicorum aliquis affuiſſet, non Attilio olim luctuoſior, quàm nunc Scipioni Africa fuiſſet. Scipio terreſtribus hactenùs quàm naualibus prœlijs aſſuetior, periculo magis quàm clade monitus, claſſem deinceps vallo foſſaque munire didicit.

Caſtris

Cap. 56.

Carthaginis oppugnatio.

Castris naualibus ad Vticam permunitis, Tunetem redit. Et Carthaginem vt priùs oppugnare statuit. Pœni, quamuis vrbem & maximam & firmissimam haberent, omnia tamen Scipionis virtute inferiora esse cogitantes, legatos ad eum de pace mittunt. Nec Scipio post perdomitas Hispanicas, post captum Syphacem, victum Asdrubalem, totam Africam victricibus aquilis peragratam, finiti atrocissimi huius belli decus exiguam laudis accessionem fore arbitratus, à pacis consilijs abhorrebat. Eò magis quòd ad eum allatū fuerat, Seruiliū Cos. Africam prouinciā sibi dari in Senatu petijsse. Itaq; pacis cōditiones dat; si illis conditionibus pax placeret, legatos Romam ad Senatum mitterent, se inducias interim datarum, triduum nunc ad deliberandum dare. Pœni inter spem metumque ancipites, non tam quid potissimum consilij caperent consultabant, quam omnia, & quidem diuersissima simul facere cogitabant: nihil enim de conditionibus recusantes, legatos alios ad Scipionem de inducijs continuandis, alios Romam de pace, tertios ad Annibalem & Hannonem ex Italia reuocandos, mittunt. Senatus, & ipsi per se, & Scipionis literis admoniti, nunquam pacem conuenturam, si Annibal in Africam cum copijs trajiceret, Seruilium Consulem, vt Annibalem acerrimo bello detineret, datis ad eum literis rogabāt. Seruilius autē siue inuidia propter negatā sibi Africam prouinciam, quod ipse magis credi voluit, siue quod vulgò creditum erat, insita quadam inertia, nihil aduersùs hostem mouit. Ita

quo tempore legati pacem Romæ petierunt, Annibal impoſito nauibus exercitu, poſt decimum ſextum demùm annum, Italia relicta in Africam trajecit. Quem vt veniſſe Pœni ſenſerunt, nec dum reuerſis quos Romam miſerant legatis, non pactas modo inducias temerè ſoluerunt, verumetiam jus gentium, in legatis Romanis ad ſe ea de cauſa queſtum miſſis, violarunt. Cn. Octauius claſſis præfectus in Sicilia relictus, cum ducentis onerarijs & triginta roſtratis per induciarum tempus in Africam trajiciebat: ſatis proſpero vento vſus, donec in conſpectum Carthaginis veniſſet, vento ſubitò deſtituitur. Mox (vt tranquillum ferè tempeſtas in mari ſequitur) tanta incidit ventorum vis, vt tota claſſis diſjiceretur; aliæ ad dextrum ſinus latus, aliæ ad ſiniſtrum, pars ad inſulam Ægimurum, quæ inter duo ſinus illius cornua jacet, expulſa eſt. Pœni prædæ magis quàm vel pacis vel pactorum memores, Aſdrubalem, cum quinquaginta nauium claſſe, ad naufragia Romana toto mari fluitãtia colligenda emiſerunt. Id indignè ferens Scipio, rurſus legatos queſtum de injurijs & inducijs violatis Carthaginem miſit. Jj & ex vrbe magiſtratuum magis cura quàm multitudinis voluntate incolumes euaſerunt, & altum tenentes à quatuor quinqueremibus Punicis aperto Marte inceſſebantur. Veruntamen quum legati Pœnorum per eoſdem dies & flagrante adhuc eorum crimine Roma reuerſi in ſtationes Romanas incidiſſent, nihil in eos atrociùs conſuluit Scipio, ſed incolumes dimiſit, magis quid ſe & populi Romani

Pœni inducias violant

Scipionis fæderum reuerentia.

Romani moribus & institutis dignum esset, quam quid Pœni meruissent, cogitandum esse censens. Annibal Adrumetum, sex fere dierum à Carthagine iter, non procul à Syrte cum classe appellit: quod eo consilio fecit, ne statìm in terram ad Carthaginem egressus cum Scipione confligere cogeretur. Paucis post diebus sequutum est memorabile illud prœlium inter duos clarissimos omnium terrarum & temporum duces Scipionem & Annibalem, quo victus Annibal Punicum secum traxit imperium. Carthaginem ex acie fugiens, primarius de pace petenda suasor & in Senatu & ad populum fuit; Pœnos à Romanis non prœlio jam, sed bello victos esse fassus. Tum seriò de pace agi cœptum, missique ad Scipionem rursus legati, qui eisdem quibus prius conditionibus pacem dari peterent, Scipio non quidem indignas, vt olim Attilius, aut superbas, sed tamen prioribus duriores dedit. Priore formula viginti naues relictæ: hac omnes ademptæ erant præter decem, easque triremes tantum. Ante omnia ex Octauij naufragio raptæ, cum quæ inerant rebus, naues reposcebantur. Naues statìm conquisitæ & ad vnum sartæ tectæ redditæ. De rebus æstimatio Scipioni permissa. Scipio quæstores publica, dominos priuata profiteri jussit: juxta eorum professionem damnum ad viginti quinque millia pondo, hoc est, bis centum quinquaginta coronatorum millibus æstimatum fuit. Id non solùm integrum, verumetiam præsens solutum, cætera impetrabiliora fecit. Quum pax peteretur, noctem

Annibal in Africam reuersus.

vnam ad deliberandum ſumpſit Scipio. Magnitudo, ſitus, munimenta vrbis oculis occurrebant. Sita erat in Iſthmo trecentorum ſexaginta ſtadiorum, hoc eſt, quadraginta quinque milliaria Italica in circuitu complexa: ſexaginta ſtadiorum collo Iſthmus continenti jungebatur, quod totum ſpatium firmiſſimo ex lapide quadrato muro emuniebatur. In medio arx erat Byrſa dicta; Capitolio Romano par: ingens ciuium multitudo, ingentes rerum & diuitiarum copiæ, & quod hijs omnibus majus ampliuſque erat, Annibal intus dux, acie quidem fuſus, ſed qui dato exercitu rurſus pugnare poſsit. Nec tamen iſta omnia Scipionem tantopere ad pacē dandam inclinabant, quàm de Claudio Nerone Conſule eodem cum imperio properante fama. Prioris anni Conſuli Seruilio magis non data quàm negata prouincia fuerat Claudio, inuito etiam populo, Africa cum quinquaginta quinqueremium claſſe à Senatu decreta jam erat. Is dum Italiæ oram præteruehitur, ad conſcriptionem quà nauium, quà militum faciendam fœdis tempeſtatibus alia poſt aliam incidentibus laceratus juſtas parum honeſtæ ambitionis pœnas dedit, & exacto imperij ſui anno priuatus Romā redijſſe memoratur. Audita certe erat Scipionis vox ſæpiùs affirmantis, per Seruilium primò, deinde per Neronem ſtetiſſe, quo minus bellum illud excidio Carthaginis finiretur. Bellum ſenſu quidem, vtpote in Italia geſtum, priore aſperius, tempore breuius, cladium vel multitudine, vel magnitudine, haudquaquam par: nauali bus illud, hoc ter-

reſtribus prœlijs & cladibus vltrò citroque illatis clarius. Iuſtis certè claſſibus toto hoc bello, præterquam ſub ipſo ejus initio concurſum non eſt. Prœlia modò ex occurſu & per occaſionem contracta: quibus quum ſuperiores plerunque Romani eſſent, maris dominium toto deinceps bello tenuerunt. Inde fiebat vt & milites & commeatus in Siciliam & Hiſpaniam (ſine quo nunquam hoc bellum confici potuiſſet) pro arbitrio ipſi mitterent, & ex Africa viciſſim ad Annibalem miſſos omni loco intercipèrent. Hinc primùm Annibali rerum ſuarum deſperatio orta, hinc ejus in Brutios, & extremum Italiæ angulum ſeceſſus, & in Africam tranſmittendi, quum occaſio Scipioni, tum facultas præbita. A primo bello Punico cæpto, ad hoc finitum ſexaginta tres, ab hoc verò finito, ad Seruatorem noſtrum in carne reuelatum ducenti circiter numerantur anni.

Libri tertij finis.

Sit laus Deo.

HISTORIÆ NAVALIS Antiquæ Liber Quartus.

Argumentum.

RHodij inimicitias cùm Antiocho pro Romanis vltrà suscipiunt. Antiochi in Græciam cum classe descensus. Pugna naualis ad Coricum inter Polixenidam Nauarchum Regium, & M. Liuium. Pugna naualis inter eundem Polixenidam, & Pausistratum nauarchum Rhodium. Pugna naualis inter Rhodios & Annibalem ad Sidam. Alia pugna ad Myonesum, inter Aemilium Prætorem Romanum & Polixenidam. Triumphus naualis Octauij de Rege Macedonum Perseo. Tertium & vltimum bellum Punicum. Vrbis obsidio cœpta per Censorinum. Variæ in hac obsidione pugnæ nauales. Et demum vrbis excidium. Rerum post euersam Carthaginem in orbe terrarum status. Bellum Mithridaticum, Rhodiorum cum Mithridate in mari congressus. Rhodiorum vrbs à Mithridate obsessa. Piræi Athenarum portus obsidio maritima per Syllam instituta eiusq; expugnatio. Pugnæ aliquot nauales inter Romanos & Ponticos commissæ. Sertorij res in mari Hispanico gestæ. Insulæ fortunatæ, & Sertorij ad eas instituta nauigatio. Bellum piraticum. Seruilij de piratis victoria; Pompeius Magnus Romani Imperij Admirallus constituitur. Piratas miro ingenio omnes sine pugna in potestatem redigit: Maris mediterranei Insulæ

omnes

omnes in potestatem Romanorum veniunt. Pugna prima naualis inter Gallos, & Romanos in Oceano commissa. Cæsaris in Britanniam traiectus. Pugna naualis inter Cæsarianos & Pompeianos ad Marsyliam. Cæsaris à Brundisio in Epirum aduersus Bibulum transmissio, & variæ partium in eo bello res. Pompeij in mari potentia: eiusdem post pugnam Pharsalicam in mari cædes. Cæsaris in Egyptum appulsus, & variæ eius cum Alexandrinis pugnæ. Euphranoris nauarchi Rhodij virtus, laus, & mors. Egregia inter Vatinium, & Octauium in mari pugna edita. Cæsaris in Africam transfretatio, pericula, pugnæ, victoriæ. Bruti Cassijque res in mari gestæ. Ingens pugna in mari eodem quo ad Philippos, die pugnatum est inter Caluinum Cæsarianum & Aenobarbum Pompeianum duces in mari Adriatico commissa. Antonij in mari contra Aenobarbum constantia. Sex. Pompeius mare classibus obtinet: eius cum Octauio Cæsare & Antonio colloquium in littore, & pax inter partes stabilita; Eadem paulo post ab Octauio Cæsare rupta. Varia & luctuosa inter Pompeianos & Cæsarianos in sinu Cumano pugna. Horrendum naufragium Cæsarem classe exuit. Alia deinceps Cæsarianorum naufragia. Agrippa loco Caluisij Nauarchus à Cæsare constituitur. Variæ inter Agrippam & Pompeium pugnæ nauales. Pompeij ad Tauromenium in mari victoria. Vltima inter Octauium & Pompeium ex prouocatione in mare pugna, in qua debellatum est, & Pompeius fusus in Asiam profugit, vbi occisus est. Bellum inter

ter Octauium & Antonium oritur: vtriusque apparatus nautici; & demum pugna ad Actium, quæ Cæsari imperium, terrarum verò orbi pacem peperit, & Historiam Naualem Antiquam claudit.

LIBER QVARTVS.

BEllum Punicũ secundum finitũ excepit Macedonicum, secunda & ipsum vice cum Romanis susceptum. Vetus iniuria, & durissimo P[illegible] tempore inita Regi cum Annibale amicitia, illatumq; bellum altiùs animis insederant, quàm vt vllo [illegible]derum prætextu eximi aut obliterari possent. Pronis verò ad vindictam animis recens insuper accessit causa; quòd Annibali in Africam aduersus Scipionem transmittenti Rex quatuor armatorum millia suppeditasset. Huic aliæ duæ extra quæsitæ addebantur: altera Ætolorum & Atheniensium, qui Romanorum amicitiam non ita pridem indepti fuerant, & totius ferè Græciæ de Macedonum iniurijs frequentes apud Senatum depositæ querelæ: altera, quam ipsi olim Macedones contra Persas vsurpauerant, speciosus ille Græciæ liberandæ titulus. Hijs de causis bellum indictum, in quo præter copiarum & commeatuum de loco ad locum subuectiones, nihil prorsus memoria dignum nauibus gerebatur: cuius rei non tam partium arbitrium, quàm belli ratio, causa erat. Macedonia enim præter Demetriadem, eamque longè ad orientem, & Hellespontum positam, nullum in toto mari

Cap. I.

paulo

paulò ampliorem ad classem accipiendam portum habuit. Ad Adriam verò & Occidentem si nauigandum erat, vel Illyriorum vel Epirotarum portubus, plerumque & nauibus vtebantur. Neque vero hoc aut longi temporis aut multi discriminis bellum erat. Tertio demum anno à T. Quinctio ad Cynoscephalas victus Philippus & debellatus pacem petijt, eamque duris demum conditionibus obtinuit. Inter alia, non solùm quicquid nauium esset tradere, verũ etiam Demetriade, ne quà mari se mouere posset, cedere iussus est.

Cap. 2. Interim Antiochus Syriæ Asiæque Rex, (fatis, credo, Orientis res ad Romanos trahentibus) nulla iniuria lacessitus, vltrò belli Macedonici incendium alere parabat, quo ipse postea conflagrauit. Centum ei tectæ naues erant, præter ingentem lemborum, cercurarum, aliorumque minoris formæ nauigiorum vim. Cum hac classe è Syria soluens, Ciliciam peruenerat, vt primo quoque tempore in Græciam appulsus Philippo iungeretur. Quo audito Rhodij, qui hac potissimum ætate summam in mari existimationem inter omnes Græciæ populos obtinebant, legatos ad eum mittunt, denunciantes, ne vltra Nephelida, (promontorij in Cilicia nomen erat) progrederetur. Si faxit, pro hoste habituros. Quæ res grata adeò Romanis fuit, vt bello mox in Græcia, deinde & in Asia finito, nunquam eos satis pro merito beneficijs à se cumulatos esse existimarent. Nec Antiochus ipse hanc tam minacem exigui quamuis populi vocem apertè spernere audebat.

Rhodiorum aduersus Antiochum fiducia pro Romanis.

bat. Sed vt eos domi, tantiſper dum ipſe in Græciam appuliſſet, contineret, legatos eorum benigne accepit, comiter audiuit, & honorifice dimiſit. Reſponſa verò, purgantis magis, & ſuſpitionem, ſi quam de ſe veluti bellum Romanis illaturo conceperant, amolientis, quàm propoſitum affirmantis erant. Quę omnia mox in Rhodiorum concione, miſſa in eam rem legatione, confirmauit. Quam cauſam dum legati præmeditatis ad id ſermonibus ad populum in foro agerent, ſuperuenit nuntius, debellatum Philippum ad Cynoſcephalas in ea iam fortuna eſſe, vt vltro pacem à Romanis peteret. Quo percepto, & legati de victoria Romanorum lætari viſi, & ab Antiocho mox alij in Græciam ad Quinctium gratulatum miſſi. At Romani, tranſacto iam cum Macedone bello, conſilia ab Antiocho cum Annibale inita, & inſtitutum eius in Græciam ad opem Philippo ferendam iter legatis truculétiùs exprobrantes, quin vos, inquiunt, miſſis gratulationibus, quæ plus in ſe fictionis quam fidei habent, Regi veſtro renuntiate, Europa omni ei abſtinendum eſſe, neuè aut ipſi eò tranſeundum, aut copias claſſemuè tranſmittendam, Græci vero nominis ciuitates liberas vbique & ſuis legibus relinquendas. Facilè apparuit, pro parua via magnam Antiochò mercedem pendendam eſſe. Nec tamen bellum ſtatim indictum: totum quinquennium, conſilijs, colloquijs, legationibus vltrò citròque mittendis & conditionibus ſcribendis datum. Tandem verò quum Regem non ſolum literas ad Annibalem dare, &

viciſſim

viciſſim ab eo accipere, verumetiam inſtitores & adminiſtros ſuos ad ſolicitandos nobilium animos cum muneribus indies Carthaginem mittere, iamque Annibalem apud Regem eſſe, & vtroſque in Europam ad Helleſpontum tranſgreſſos, Romam allatum eſſet, bellum ab Antiocho jam indictum interpretantes, & ipſi ei bellum per fœciales more patrio indicunt, & Acilium Coſ. in Græciam conatibus Regis occurſurum mittunt. Antiochus primo ſtatim appulſu Demetriadem & Chalcidem in Eubœa, Eubœamque ipſam, loca Philippo dudum à Romanis adempta partim vi, partim ciuium voluntate recepit. Iamque non ſolum mare tractus illius omne, ſed etiam tota illa Græciæ ora Helleſpontum vſque & Boſphorum Antiochi erat, vt non mediocri profectu bellum contra Romanos inchoaſſe videretur. Sed breuis ei erat rerum tam fœliciter cœptarum lætitia. Acilius enim in Græciam tranſgreſſus, omiſſis, qui primi occurrebant, Ætolis, aduerſus Regem, Thermopylarum fauces nec victoris nec magni Regis more inſidentem contendit, deiectumque ex anguſtijs, tota Græcia fugauit.

Antiochi in Græciam deſcenſus.

Cap. 3.

Epheſum Rex quum ſine reſpectu perfugiſſet, recepto ibi animo, non ipſe ſibi, non alius quiſquã, non ipſe Annibal ei perſuadere potuit, eò audaciæ proceſſuros Romanos, vt in Aſiam tranſmitterent. At Annibal, Imo hercle, inquit, ô Rex non tam illud mirandum aliquando fuerit, ſi Romani ſuo tempore in Aſiam traiecerint, quàm miraculo nunc eſt, nondum in Aſiam tranſgreſſos eſſe. Cuius rei non

alia

alia causa nunc est, quàm quòd Acilius, Græciam, non Asiam prouinciam sortitus sit; restatque aliquantulum in Ætolia belli, & res Græciæ à te modò turbatæ in ordinem redigendæ: accedit eodem, quod in exitu nunc annus, & cum anno Acilij consulatus est. At enim quam primùm noui Coss. renuntiati fuerint: simul illos creatos, & Asiam eorum alteri prouinciam decretam esse audies. Mouit Regem non tam viri autoritas, quàm rerum ratio, & quòd eodem forte tempore, Romana classis, sub Attilio Prætore per Asiæ littora vagari, allatum esset. Itaque missi extemplò, in vltimum orientem ministri Regij, ad conquisitionem militum faciendam. In præsente verò, prœlio nauali cum Attilio dimicare placuit: Ad quod Regem sua sponte inclinatum impulit nauarchus Polixenidas, quo vno ad res maritimas plurimum fidebat. Sub hoc tempus, quum Romani bellum Asiæ omnino inferre decreuissent, nec aliud rebus impedimento esset, quàm quòd comitiorum nouis Coss. creandis dies nondum venisset, reuocato Attilio, nouum classis præfectum M. Liuium, cum maioribus copijs, ad mare interim obtinendum mittunt; is ostijs Tiberinis egressus, Italiæ oram legit, & in itinere à Rheginis, Locrensibusque & alijs tractus illius populis naues ex formula accepit. Romani enim, post primum bellum Punicum finitum, cum ciuitatibus maritimis, siue sociæ illæ, siue amicæ tantum erant, si quando fœdera cum illis vel de nouo icenda, vel ex causa renouanda essent, quo magis ærario suo parceretur, de

Polixenidas nauarchus.

de certo nauium longarum numero cum ſocijs naualibus ad bellum, mittendis paciſcebantur. Itaque Liuius contracta octoginta nauium longarum claſſe, Corcyram primum appellit. Ibi quo in ſtatu res eſſent edoctus, Peloponeſum contendit, & ad Maleam, quod promontorium in ea eſt, Cretæ obuerſum, peruenit. Hic illi occurrit Attalus Rex: ab eò certiora omnia cognouit: Attilium non procul inde ad Piræum Athenarnm portum ſtationem habere, ex vetere claſſe centum viginti roſtratas cum illo eſſe, Polixenidam claſſis Regiæ præfectum, ad Epheſum pugnæ nauali intentum ſtare: ſibi præterea viginti quinque nauium claſſem in parato eſſe, & Rhodios, præcipuos illarum regionum in mari bellatores cum pari numero nauium in tempore affuturos.

Cap.4. Quibus rebus lætus Liuius, vetere Attilij claſſe ſuæ adiuncta, hoſtem quærere inſtituit. A Piræo, quum Delum perueniſſet, ibi venti ab Aquilone ingruentes eum aliquandiu tenuerunt. A Delo enim Epheſum, qua Polixnidam cum claſſe ſtare acceperat nauigantibus, Aquilo in oculum incurrit. Polyxenidas quum Liuium maioribus multò copijs, quàm quibus Attilius nuper ad Piræum ſtabat, ad Delon eſſe cognouiſſet, nuntium properè ad Antiochũ, qui cum parte claſſis ad Helleſpontũ tranſitũ ibi Romanis clauſurus aberat, mittit. Nec Antiochus accepto nuntio quicquam ad ſummam diligentiam reliqui fecit, quò citius Epheſum reuolaret: vbi aduenieſſet, concilio militari ſtatim aduocatò, deſcendendumuè in pugnam naualem

cum

cum Romanis necnè foret, singulorum sententias exquirebat. Polixenidas, enimuero non tam illud nunc quærendum, quàm è vestigio mouendum, & sine dilatione hosti occurrendum esse censuit. Sat magnam iam esse Romanorum classem; quid futuram, si, Attali & Rhodiorum classes illis iungerentur? scire se Romanos numero aliquantum præstare: sed eosdem & genere nauium, & maris vsu, & cæteris omnibus esse inferiores. Magnam illos, vel cenerariarum, vel quod tantundem esset, commeatibus, & impedimentis onustam classem moliri. Cui se, cum expeditis, versatilibusque & præter militem remigemque nihil in se oneris habentibus occursurum. Denique suo malo intellecturos propediem Romanos quantum ars virtusque bellica vanis sine consilio viribus præstaret. Antiochus, quùm prœlio nauali decernere placuisset, rem curamque eius omnem Polixenidæ permisit. Is postero die, cum centum nauibus, quarum septuaginta constratæ, reliquæ apertæ erant, soluens, Liuio ad Coricum Phoceæ promontorium occurrit. Centum Liuius & quinquaginta nauium classem habuit: è quibus centum & amplius rostratæ erant. Et ei Attalus ad prælium exeunti cum viginti rostratis totidemque apertis se adiunxit. Primo congressu, accidit res quæ alijs forsitan panorem injicere potuisset. Sex in classe Romana naues Punicæ erant. E quibus duæ quo magis fidem suam Romanis ostentarent, ante reliquam classem euectæ, cum tribus Regijs concurrebant. In hoc conflictu vna ex Punicis à duabus

Pugna naualis ad Coricum.

Regijs circumuenta & capta fuit, altera ad classem Romanam trepida refugit. Liuius ira & indignitate rei furens magis, quàm aduerso casu motus, cum sua quinqueremi, non expectatis alijs in hostem procurrit: illum eædē duæ naues, quæ Punicā ceperant, circumsistunt. Qui, quum aliud non posset, remiges remis in aquam dimissis nauem sistere, & in vestigio firmare iussit: Tum milites suos cohortatus, Romanæ virtutis aduersus regia mancipia meminisse iubet: illi totis viribus connixi in subeuntes hinc inde Polixenidæ naues ferreas primùm manus injiciunt, & viriliter aduersus imbelle hominum genus dimicantes vtramque hostium nauem momento temporis expugnant.

Cap. 5.

Victoria Romanorum naualis ad Coricum.

Polixenidas binarum nauium temerè in hostem prouectarum iacturam nihil moratus, cum cornu in quo constiterat, Liuium magno impetu incurrit: & iam classes totæ vndique concurrerant, immistæque inter se naues, vix vt dignoscerentur, pugnando erant. Hic singulæ veluti duello congressæ: ibi vnam plures circumsistunt. Hinc ex vulnere morientium gemitus, illinc perfractis nauibus vnà mergendorū clamor & eiulatus audiebatur, agilitate & remorum vsu Polixenidas, firmitate & robore militum superabat Liuius. Attalus quum operam suam, qua parte ipse Liuius pugnabat, superuacaneam esse cerneret, ad aliam, qua magis laboratum est abreptus, pugnam terribilem ciebat; adeo quidem vt fugę initium ab hac parte hostium inciperet. Polixenidas, quū se & multitudine nauium, & generę militū, quod

quod minime sperabat, superari, remq; suam inclinatam animaduertisset, priusquã manifesta fuga & cædes fieret, suis receptui signũ dat; quũq; illi aduersæ classis ordinibus, quibus veluti retibus iniectis implicatę hærebant, multo conatu se extricassent, tum demum fuga omnes, se duce, Ephesum abire iubet Romani, quamdiu spes assequendi erat, acriter insequebantur: idem & Attalus faciebat; sed quum naues suas, quæ quidem maioris formæ essent, tardas; quæ verò leuiores, ad vim inferendam inutiles esse compe-rissent, victoria contenti, Phocæam & Cissuntem vrbes in continente Asiæ positas, sed ab hoste desertas, veluti Asiæ primitias occuparunt. Captæ sunt ex Antiochi classe cum milite & remige naues tredecim; mersæ decem: ex Romana classe, vnica illa desiderata, quam initio pugnæ a suis exclusam & captam fuisse memorauimus. Pugna finita superuenerunt naues Rhodiæ viginti quinque, duce Pausistrato. Vbi ad præfectum Romanum venissent, pudore confusi aliquantisper stabant, quòd in tempore non aduenissent. Liuius satis fœliciter gesta re, bono eos animo esse iussit, illustriorem suam sine illis de hoste victoriam interpretatus. Aucta tamen sua illorum accessione classe, confestim Ephesum contendit, vbi ante portum classem suam explicuit, & hosti potestatem pugnandi fecit: quum nemo in aduersum procederet, Attalicis Rhodijsq; nauibus dimissis, Chion redijt. Quæ omnia T. Liuium sequutus tradidi: at Trogus Pompeius, vt egregiam de hoste victoriam reportatam consentit, ita non Li-

uium, sed Æmilium Romanorum, Regiorum vero non Polixenidam, sed Annibalem nauarchum facit. Quod vt lectori substractum nolui, ita præter nominis & familiæ decus nihil reperio, quod narrationẽ Liuianam suspectam faciat; omnium locorum & temporum historiam complectebatur Trogus, Vnas Romanorum res scribendo Liuius minus facilè in ciuitatis illius annalibus errare potuit. Annibalem certè tam memorabili prælio à gentilitio suo victum non tacuisset. Æmilium verò illum quem refert Trogus, classis præfecturam Acilio Cos. indeptum fuisse in annum sequentem quo L. Scipio Cos. in Asiam cum exercitu traiecit coniectum reperio.

Cap. *6.* Antiochus, nauali ad Coricum pugna ictus, totam deinceps hyemem classi maximè parandæ animum intendit: ita & hostem transitu prohiberi, & maris dominium vno infœlici prœlio ferè amissum retineri posse videbatur. Occurrebat, se ditissimum in terris principem, primò statìm cum Romanis certamine non alia re magis, quàm nauium penuria cessisse: ducentis Romanos, se non ampliùs centum nauibus instructum ad pugnam descendisse. Itaque classem verè Regiam, & tanto nomine dignam, ædificandam instruendamque esse in concilio edixit, & extemplò Annibalem in Phœniciam, ad naues inde conquirendas mittit. Qua re Romæ cognita, & ipsi solito majore cura impensaque classem apparant, & M. Æmilium cognomento Regillum Liuio in classis præfectura successurum mittunt.

Primo

Primo vere, Rhodij, vt segnitiei notam priore anno forsitan contractam, festinatione jam & diligentia eluerent, triginta quinque naues, nihil vt addi posset, instructas eodem Pausistrato duce in mare emittunt, vt quacunque res posceret, Romano præfecto præstò essent. Erat Pausistratus, vt manu fortis & ingenio ferox, ita lingua promptus & dicax, multisque ille verbis & priuatim ad amicos, & in concionibus ad populum, in Polixenidam classis Regiæ præfectum inuectus fuerat, exulem subinde (erat enim genere Rhodius, sed ab aduersa factione ciuitate pulsus, & propter virtutem in honore apud Regem habitus) appellans: etiam à Liuio modò cum tota classe Regia in fugam turpiter conjectum memorabat. Sæpe etiam vt sibi cum fugitiuo illo concurrendi facultas à dijs daretur, votis omnibus exoptabat. Quibus de rebus certior factus Polixenidas, eò animum aduertit, vt ventosam æmuli sui linguam non tam verbis, quàm re gesta & manu refutaret, rem omni victoria potiorem, vindictam de eo, si sumi posset, fore arbitratus. Fidum igitur ad eum nuntium mittit qui cum Pausistrato ageret, esse quidem Polixenidam in summo honore apud Regem, sed nulla eum re æquè teneri ac patriæ desiderio: malle liberum in patria viuere, quàm tam splendido seruitio apud Regem detineri; posse illum, non velle tantùm insigni facinore, & Rhodiorum ciuitati publicè & priuatìm Pausistrato gratificari: operæ pretium non aliud quàm reditum in patriam a Pausistrato pacisci. Stetit

Pausistratus.

 paulisper

paulisper miraculo rei difixus Pausistratus, & quid tandem afferret, nuntium effari jussit. Ille se ni priùs fides tam consilij tegendi, quàm pacti præstandi detur, verbum ampliùs additurum negat. Data acceptaque fidè, infit nuntius: Classis Regiæ potestatem, quod nemo ignorabat, penes Polixenidam jam esse: eam illum vniuersam Pausistrato in manus traditurũ. Major primò res visa, quàm vt Polixenidas præstando videri posset: rei deinde conficiendæ rationem exigenti, ait nuntius: Classem omnem Ephesi nunc in apparando esse, Polixenidam data opera omnem rerum apparatum omissurum: non remigem, non nautam, non militem ad classem frequentem habiturum, naues alias per speciem reficiendi in naualia subducturum, alias per commeatus petendi occasionem ablegaturum, reliquas nec remigio, nec milite, nec armis instructas, Pausistrato in pugna, si Ephesum appelleret, extra portum vel capiendas, vel pro arbitrio corrumpendas objecturum. Pausistratus rem, modò fides promissis stet, non improbare, rationem conficiendæ vt probabilem facilemque laudare etiam, fidem modò vt non suspectam, ita nullo pignore obstrictam pro incerta & dubia habere. Tandem eò deuenit, vt nisi Polixenidas se promissis staturum literis sua manu, præsente & inspectante nuntio in id ipsum mittendo scriptis, & suo signo impressis, confirmaret, se fidem habiturum pernegaret. Polixenidas periculi magnitudine paulisper addubitare visus. Quum verò & hanc conditionem patriæ desiderio acceptasset impleſſetque,

Polixenidas aduersus Pausistratum fraus.

plesſetque,

plesſetque, tum demum Pausiſtratus iſto veluti fidei autoramento & ipſe fidere, & Polixenidam additis vltra pactiones promiſſis ad rem peragendam adhortari cæpit.

Rebus ſic compoſitis, rarus deinde nauta Epheſi in portu aut vrbe conſpici, naues aliæ poſt alias in naualia ſubduci, aliæ ablegari, triremes aptatis velis in onerarias mutari, nihil pro more nautico & militari fieri. Vulgabantur præterea de ſtipendio nauticis ſubtracto, quo magis ex cauſa abeſſe viderentur, fabulæ, omnia denique ſic agebantur, vt aut veræ proditionis aut profundæ ſocordiæ ſpeciem haud dubiam intuentibus præberent. Interim naualia, ne quid efferretur, clauſa & cuſtodijs ſepta tenebantur. Ibi fabri veluti ergaſtulis incluſi, nauibus vel veteribus reficiendis, vel nouis fabricandis, præſente Polixenida, & ſtipendia augente, operam intentiſſima cura nauabant. Milites verò ſocijque nauales, & reliqua turba nautica per ciuitates vicinas deſtributi, ſub graui edicto, ne quis inde ſe moueret, ſed intenti ſignum expectarent: vbi datum accepiſſent, confeſtim Epheſum concurrerent, corpora interim curarent, animas verò ad rem, vbi cauſa poſceret, gerendam intentos haberent. Hoc omni tempore Pauſiſtratus ad Samum claſſem tenuit, miſtos verò remige milites, non in portu, ſed in vrbe & agris, diuerſoria & popinas frequentare patitur, claſſis partem ad commeatum longè ex continente petendum mittit, non ſtationes, non vigiliæ pro more habitæ. Denique qua incuria & negligentia

Cap.7.

Polixenidas se vsurum dixerat, in eam Pausistratus re ipsa prolabitur. Quod vbi per speculatores quos plurimos spectatæ virtutis & prudentiæ viros seruili habitu Sami obuersantes habuit, Polixenidæ inuntiatum esset, tempus rei gerendæ adesse videns, extemplò naues è naualibus deducit, simul nautas, remiges, milites edito quod conuenerat signo eodem momento conuocat ad naues, classem aptat, cadente mox sole, tum septuaginta expeditis apprimeque instructis nauibus silentio proficiscitur, & quantum nox illa patiebatur progressus, die sequente post promontorium tectus latuit. Hic primum consilium suum aperit, gloriam, prædam, vindictam, quicquid animos militum vel acuere vel inflammare posset, eis ante oculos proponit, hostes in popinis plures quàm in nauibus, somno oppressos, quàm vigilijs intentos, reperturos affirmat. Priuatim verò ad amicos, injuriarum sibi à Pausistrato illatarum meminit: monet, rogat, obtestatur, vt, si qua sui apud eos gratia esset, ad cœteram virtutem vindictæ cupidinem illo die adderent, neu consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, ignauia nunc vel irritum vel periculosum redderent. Omnes operam sedulò polliceri. Duceret modò, & virtutem suorum experiretur, non se prius destituros, quàm linguam talia in Polixenidam ausam Pausistrato excidissent. Media deinde nocte sublatis anchoris, prima luce in portum Samium inuectus omnia formidine & pauore complet: Pausistratus strato trepidè consurgens, sparsos milites conuocari jubet. Consilium

Pugna naualis ad Samum, in qua victus & occisus Pausistratus Rhodiorum nauarchus.

Consilium erat in re trepida, hostem è rupibus, quæ portus faucibus imminebant, missilibus propulsare. Quem ejus nec insolertem, & sæpe aliâs, vt tum ferè portus erant, vsurpatum conatum præuerterat Polixenidas. Quippe Nicandrum archipiratam quondam, nunc stipendia sub Rege merentem, & ad quidlibet audendum promptum, tribus inde milliaribus, cum expedita cohorte in terram expositum rupes illas occupare jusserat. Hac spe dejectus Pausistratus nauem propere conscendit, & milites se sequi jussit. Ibi acerrima fit pugna; sed pugnam Rhodij animis magis quàm viribus sustinebant: nam & paucioribus aduersus plures, & imparatis contra instructos, & re subita consternatis aduersus spe plenos & viribus fidentes dimicandum erat. Pausistratus quùm proditionem in se versam, nec se vlla parte virium parem cerneret, quod vltimum in talibus remedium esse solet, eruptionem facere conatur. Et fauces quidem magno impetu perrupit, sed quum in apertum mare paululum euasisset, quinque eum circumstiterunt Polixenidæ naues, cujus ne viuus in manus veniret, & homini, quem ipse tanto contemptui habuerat, ludibrio vicissim fieret, telis hostium se objecit, & mille vulneribus confossum corpus præceps in mare dedit; vt nec mortuus sui potestatem hosti faceret. Nauis etiam ipsa in qua pugnabat, crebris rostrorum aduersorum ictibus pertusa momento perijt. Tota deinde classis, septem modò exceptis, quæ erumpentem sequutæ fuerant, ab hostibus occupata & Ephesum in triumphum ducta fuit.

Rhodij

Cap. 8. Rhodij quanquam florentissima (vt apud exiguum populum) classe amissa grauiter icti, nihil tamen territi, nouam paucis diebus classem apparant, & Æmilio venienti ad Samum occurrunt. Laudare eos Æmilius, quòd tanta clade perculsi, Romanos tamen juuandi studium non remisissent: mactos virtute hac, & egregia erga populum Romanum fide esse jussit, confecto bello, quod propediem futurum sperabat, parem tantis meritis gratiam reportaturos. Ad Samum Æmilius classem à Liuio accepit. Mos erat, quùm Prœtor classis imperium acciperet, sacra Neptuno facere: quibus peractis Æmilius impigrè omnia administrabat; ante omnia concilium nauticum conuocat, vt in eo de summa rerum mari gerendarum consuleret. Ibi Liuius, quod ipse, si prorogatum sibi fuisset imperium, facturus erat, id ipsum vt Æmilius nempe faceret, vehementer contendebat. Tota, inquit, classis Regia Ephesini portus faucibus includitur, has fauces depressis aliquot in introitu nauigijs saburra plenis obstruamus, ita hosti incluso maris imperium auferemus, liberum ipsi ad omnes occasiones mare habituri. Nemini omnium ista sententia non displicebat. Eumenes verò Rex qui in concilio aderat, illud modò, vana incepta æquè vanos exitus habitura præfatus, multa percunctando, id ne fieret contendebat. Demersis cum saburra nauibus, quid inde facturi? indene ad res alias gerendas abcessuri, an quod æstatis supererat eodem permansuri essent, exigebat. Abire placet? simul ac puppes verterimas

mas ne illi longè minore opere naues depressas amolientur, quàm nos eas depresserimus. Permanebimus igitur? scilicet, nos in aperto ad incertos, tempestatum casus mari iactabimur, illi in portu nauigabunt. Illi rerum omnium copiam ex agris subuectam habebunt, nos grauem annonam, nisi forsan & famem in mari patiemur. Denique vt illis maris vsum abstulerimus, nos, inquit, ante portum ad anchoras tota æstate perstando, quid quæso commodi capiemus? Liuius quum sententiam suam nulla parte probari vidisset, stomacho indulgens in Italiam abijt; Æmilius, verò eam statim adueniens de Rhodiorum solertia & in rebus nauticis prudentia opinionem imbiberat, vt consilia sua omnia cum illis communicaret, nec vllam majoris momenti rem nisi ex eorum sententia in imperio ageret.

Cap.9.

Eodem tempore fama accidit, Annibalem, quem in Phœniciam ab Antiocho, ad contrahenda auxilia nautica missum fuisse diximus, eum ampla inde classe aduentare. Quæ res quum Romanorum animos, quibus ipso Annibalis nomine nihil erat terribilius, anxios & solicitos haberet, Rhodij Æmilium adeunt, & Annibalem sibi prouinciam deposcunt. Iam ad Sidam, quæ vltima Cilicum versus occidentem vrbs erat, Annibal peruenerat, & Rhodij, quæ proxima inde nauibus statio erat, ad Eurymedontis fluminis os anchoras jecerant. Rhodiorum triginta duæ quadriremes erant, triremes quatuor. Annibal septem & triginta nauium classem ducebat; quarum hepteres tres,

hexeres

quam totam Rhodiorum claſſem ardor inceſſerat. Sed ex diutina in mari ſtatione, grauis morbus, prope vt lues videretur, totam claſſem inuaſerat. Multi eo morbo abſumpti, quos verò vis morbi afflauerat, magis quàm oppreſſerat (vt in omni contagione ſolet) eos languor habuit: ea cauſa fuit, cur remiges à diutino labore feſſi & defecti viribus, fugientes inſequi non potuerint. Ex tota Phœnicium claſſe vix viginti integræ abierunt. Hæ claudas, mutilaſque ad ſe religatas, veluti captas trahebant, vt dubium ne fuerit totam cum Annibale claſſem deleri potuiſſe, ſi vires ad inſequendum Rhodijs ſuppeditaſſent. Ipſe certè Eudamus ſumma nauis ſuæ pergula ſtans, quum ampliùs non poſſet, ſic abeuntes ſuis monſtraſſe dicitur, vt trepidatione hoſtili ſaltem oculis fruerentur. Inde Rhodum omnes redeunt, non tam victoria de hoſte parta læti, quàm pudore ſuffuſi, quòd Annibalem è manibus amiſiſſent.

Cap. 10.

Eudamus refecto paululum milite, ad Æmilium cum claſſe victrice venit. Fama tam celebis victoriæ jam ante ad Prætorem peruenerat: itaque aduenientem honorificè ſuſcepit, nec ipſum ferè magis quam Rhodiorum gentem collaudauit. Romanos ſubinde monens vt exemplum vitutis ab illis peterent. Ad Samum tum erat Prætor: ibi certior factus Antiochum à Teijs (ciuitas erat in eadem cum Erythris & Clazomene Cherſoneſo poſita, nec longè à Samo aberat) commeatu ſæpe adiutum, nunc etiam quinque millia vaſorum vinî inde ab eo expectari, eodem cum omni claſſe contendit.

Adueniens primores ciuitatis ad se vocat, eos Regem commeatibus hactenus juuisse, & nunc magnum vini numerum ei in vrbe parasse compertum se habere docet; ea vina sibi confestim dari mandat: ni faxint, se eos pro hostibus habiturum denuntiat. Iamque tota Romana classis intra portum erat, frustra Eudamo increpante, & portus vitium Prætori ostendente. Polixenidas classis Regiæ præfectus, quum totam Romanorum classem in portum Teiorum veluti in caueam demissam esse accepisset, memor quid in pari causa ad Samum nuper in Pausistratū facinoris edidisset, parem sibi nunc de Æmilio gloriam spondebat animo. Quippe præter fraudem & proditionem, omnia in vtrisque similia erant, faucium angustiæ, classis intus abdita, exercitus per vrbem aut agros palatus, rupes denique portui vtrinque imminentes, quas si semel occupasset. Itaque ad hanc rem conficiendam cum classe profectus, post insulam quandam, nomine Macrin, latuit: biduum ibi rei gerendæ occasionem præstolatus steterat, tertio demum die paratis omnibus summo mane soluit; sed conatum ejus duo casus præuerterant; alter, quòd quum Teij, imperata se facturos respondissent, classis Romana, ex portu in quo conclusa erat, in alium, eumque apertiorem ad vina accipienda, se transtulerat, alter, quòd pastor quidam per agros ab exploratoribus exceptus, & ad Æmilium perductus referebat, magnam vim nauium ad Macrin insulam biduum stetisse; eas se hodierno mane anchoras molientes è montis vertice vidisse.

Æmilius,

Æmilius, præſenti animo, id quod erat, Polixenidam eſſe ratus, poſtpoſitis omnibus, ſuos ad naues cogit: hoſtem adeſſe, pugnam inſtare, in periculo rem eſſe clamat. Ingens erat in agris, in vrbe, in portu trepidatio. Æmilius primus ipſe è portu in apertum mare prouolat, vbi vt quæque nauis proxima exierat, ita eam in fronte collocabat, longiùs ſemper progreſſus, vt ſpatium exeundi reliquis faceret. Eudamus agmen clauſit. Æmilius claſſe inſtructa contra hoſtem ire pergit, inter Myoneſum & Coricum promontorium in conſpectum veniunt. Polixenidas binis in ordine nauibus veniebat; vbi verò hoſtem adeſſe vidit, claſſē explicat, & jugando plures in fronte collocat, tantùm in læuo ipſe cornu euectus, vt dextrum Romanorum circumuenire poſſet. Id videns Eudamus magna nauium celeritate contendit, vt prætoris frontem hoſtico exæquaret: quo facto ſuam ſtatim nauim, Prætoriæ hoſtium, in qua Polixenidas pugnabat, objecit. Dum hij dubio inter ſe Marte certant, totæ interim claſſes haud minore certamine concurrerunt. Octoginta Romanorum naues erant, Regiæ nonaginta, vna minor. In Romana claſſe viginti & vna Rhodiæ erant. Hæ contis binis à prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præ ſe ferebat. Hæ quacunque ſe inferebant, fugam latè faciebant. Nouum id tum erat Eudami commentum, ad quod eludendum, artem Regij nondum inuenerant. Itaque cum Rhodijs aduerſis frontibus concurrere raræ audebant: ſi quæ concurrerent, ignem

Pugna naualis ad Myoneſum.

in

in foros accipiebant. Obliquatis verò, non solùm ignes infundebant Rhodij, verumetiam in latera incurrentes certissima rostris vulnera inferebant. Reliquum erat, vt salutem quam pugna non poterant Regij fuga quærerent. Quadraginta in ea pugna Polixenidæ amissæ naues, reliquæ Ephesum se receperunt. Hac demum pugna omni maris possessione excidit Antiochus: & jam Scipiones (Africanus enim fratri Consuli legatus aderat) ad Hellespontum in Asiam trajecturi peruenerant. Quo audito statìm Æmilius ad trajectum faciendum accelerabat: Consul in Asiam transgressus graui ad Magnesiam prœlio Antiochum deuicit, & ad pacem petendum adegit. Additum conditionibus, vt classem omnem traderent, verba fœderis ad hanc rem erant, *Tradito & naues longas armamentaque earum, non plures quàm decem naues actuarias, nulla quarum plus quàm triginta remis agatur habeto, neuè monerem ex belli causa, quod ipse illaturus erit, neuè nauigato citra Calicandrum, neuè Sarpedonem promontoria.* Traditas verò omnes vel concidi, vel cremari jussit Scipio.

Fœderis inter Romanos & Antiochum formula.

Cap. 11. Duplex ex hac victoria triumphus Romæ actus: alter propter rem ad Magnesiam à L. Scipione bene gestam: alter propter naualem Æmilij ad Myonesum victoriam, cui Prætori prouincia classis erat: victoria eò memorabilior, quòd pugnis naualibus in centesimum, & amplius annum finem dabat. Tot enim ab hoc prœlio quod in annũ ab vrbe condita quingentesimum sexagesimum quintum incidit, ad bel-

ſum Mithridaticum, quod eiuſdem æræ anno ferè ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto erupit, numerantur anni: quo toto tempore ingens à pugnis naualibus in mare ceſſatio & otium erat; nec vlla per hoc tempus naualis gloriæ materia aut præbita eſt, aut vt tum res erant, præberi potuit: quandoquidem omnis iam maris illius mediterranei, & concluſi ora in vnorum Romanorum poteſtatē & fidē conceſſerat; vt ne quidē, quibuſcum bellum geri poſſet toto maris circuitu relinquerentur: & Romani in omni, quod cum populis maritimis, & qui nauibus aliquid poſſe videbantur, fœdere icebant, naues omnes longas ſtatim tradendas, & ne nouæ ab illis fierent, diſertè ſemper paciſcebantur. Quid? quod repetito veterum Athenienſium more, quam legem illi Perſarum Regibus olim dabant, eandem nunc Romani ſuis fœderibus adjiciebant, ne vltra locum illum vel illum cum naue bellica nauigandi jus eſſet. Quo facto & ipſi quidem Romani, omnem prorſus rerum naualium curam breui abjecerunt: adeo quidem, vt quum exorto demum bello Mithridatico Syllam imperatorē in Græciam ad id bellum mitterent, & Mithridates cum quadringentarum nauium claſſe è Ponto in mare deſcendiſſet, ſcalmum Sylla, ad transferendum in Aſiam bellum non haberet, ſed ſedens ipſe, & mille interim rei benè gerendæ occaſionibus amiſſis, Lucullum claſſis tum Romanæ ſcilicet ſine nauibus præfectum, ad Rhodios, Lycios, Caras, Phœnices & Ægyptios legatum ad naues conquirendas mittere cogeretur. Veruntamen ne

Martium subductæ sunt. Nec dum enim Romani quinqueremibus maiores ad bellum ducere consueuerant. Sequentis hic ætatis luxus erat: primúsque Romanorum M. Antonius, deceribus magno suo incommodo, quinimò & exitio, in prœlio Actiaco vtebatur. De Perseo autem non ipse modo Æmilius, sed etiam Octauius Prætor triumphauit. Non ob egregiam aliquam editam in mari pugnam, sed ob strenuè nauatam in commeatibus subuehendis operam, & in Rege capiendo fœlicitatem.

Triumphus naualis de Rege Perseo

Triumphauit eodem tempore & de Illyrijs C. Acilius, & Gentium Illyriorum Regem ante currum duxit: quæ victoria non Acilio magis quàm ipsi nomini Romano gloriæ fuit. Titulus enim belli erant latrocinia in mari ab Illyrijs, insito genti vitio, exercita: Ea vero hac victoria ita compressa sunt, vt tutum deinceps mercatoribus Italis Græcisque totum illud mare ad multos annos præstaretur. In bello verò Macedonico nihil Rhodiorum casu spectabilius erat. Eo quippe bello imminente miserant Romani pro more suo legatos vndique ad sociorum fidem speculandam. Rhodum quum venissent, frigidiora ibi omnia quàm sperabant inuenerunt. Quibus rebus Romam perlatis, suspecta statim Rhodiorum fides esse cæpit. Sed omnem mox dubitationem sustulit stolida ab illis missa legatio: cujus princeps à plurimis Rhodiorum in populum Ro. beneficijs exorsus ita causam instruxit, vt maiorem partem gloriæ ex Antiocho deuicto à Romanis ad Rhodios auerteret: Annibalem scilicet,

Cap. 12.

Rhodiorum casus.

cui de tot Romanis ducibus victoriam dij dederant, sibi cessisse, & à se ad Sidam victum profligatumque profugisse: ad Myonesum verò se non solùm cum amplissima classe adfuisse, verumetiam rem temeritate & inscitia Prætoris Romani prolapsam virtute sua restituisse: & multa quidem Rhodiorum classem sine Romana, Romanam verò sine Rhodia nihil vnquam memorabile in illo bello patrasse. Eò deinde descendit, vt Rhodios cum vetere amico Perseo in gratiam cujusquam inimicitias & bellum suscepturos negaret: Vrbem suam, quod nemo ignoraret, maritimam esse, & ex maritimo quæstu viuere: quartum jam annum clausum Romanorum bello esse mare: se interea ringi, & alieni belli incommoda pati: optare vt pacem cum Perseo æquis conditionibus Romani faciant, idem se & Perseo per legatos suos significasse, denique denuntiasse se jamdudum illi, & nunc populo Romano denuntiare, per vtros stetisset, quo minus pax conueniret, aduersus eos quid faciendum esset Rhodios consideraturos esse dixit. Raro quicquam in illo senatu tanto cum fremitu auditum. Cares, Lycij, & Caunij populi, Asiani Rhodijs finitimi, & singuli per se illis potentiores, post deuictum Antiochum, in nauatæ operæ mercedem, Rhodijs à Senatu addictæ fuerant. Prius igitur quàm responsum aliquod legatis daretur, eos omnes populos, recitato confestim Sc°, liberos esse patres jusserunt, missaque extemplò ad eos senatusconsulti formula, qua sibi Rhodijs non vltra parendum, sed suis sibi legibus

gibus deinceps viuendum esse cognoscerent. Pro responso indignatio erat: Itanè tandem? Rhodios belli pacisque arbitros in orbe terrarum agere? Rhodiorum arbitrio bella Romanis vel ponenda vel suscipienda esse? per vtros stetisset, Rhodios consideraturos? Quin è senatu, vrbeque, & Italia facesserent: se interim visuros, quæ gratia benè, quæ malè merentibus socijs referenda sit. In eandem sententiam quum alij legati ad Æmilium & exercitum in Macedonia missi peroraßent, multo iniquioribus auribus à castrensi consilio auditi. Parùm absuit, quin præcipites è castris agerentur. Mitius Consulis in speciem ingenium, re ipsa nihil à cœteris asperitate differebat: decimo quinto inde die ad responsum accipiendum redire jussit; interim ipsis inspectantibus, omnia ad bellum intentiore cura apparabat: paucis inde diebus Perseo ad Penæum amnem, vt superiùs demonstrauimus, debellato, legati è castris confusi abierunt. Qui Romæ substiterant, nuntio de victoria Romanorum accepto, alba veste induti, ad curiæ vestibulum victoriam patribus gratulaturi stabant. Sed cum tristi responso ab altero Consule rejecti, vix tandem infimis precibus, ejulatibus, & lachrymis obtinuerunt, ne bellum illis ad excidium vrbis indiceretur. Verecundiam patribus vltra in supplices sæuiendi fecit, non tam veterum suorum in populum Romanum meritorum commemoratio, quàm vox legatorum in senatu audita, se si hostes nunc judicentur, cum conjugibus & liberis, cumque auro & argento, nauibus, hoc

vltimum ſibi miniſterium præbituris; impoſito, vltrò venturos, & Romæ potius quàm Rhodi jugulum ferientibus præbituros. Propè adeò exitium erat pulcherrima orbis terrarum vrbs, ex ſtulta ciuium ſuperbia, & ſtolida virium ſuarum malè cum tam potenti populo cóparatarum fiducia. Strabonis de ea elogiũ eſt. *Rhodiorum*, inquit, *vrbs, & portubus, & vijs, & mœnibus, & cætera fabrica tantum alias excellit, vt nullam ei æqualem, nedum præſtantiorem proferre valeamus*. Mira erat ciuitatis hujus, quum circa reliquam Reipub. ſuæ gubernationem, tum præcipuè in re nauali procuranda fides, juſtitia, ſolertia, diligentia: quibus illa rebus multis ſæpe vicibus ad maris dominium aſpirauit, & piratas in communem generis humani gratiam non ſemel è mari ſuſtulit. Claſſem tamen vltra quadraginta triremium numerum vllo vnquam tempore habuiſſe non reperio. Sed Ptolomæorum primò, mox Romanorum amicitiam cum fide colendo, & ſub eorum tutela mercaturas juſtè legitimèque faciendo, cauſaſque & lites ex legum ſuarum, quarum celebris toto orbe terrarum fama erat, præſcripto decidendo ad tam celſum honoris culmen peruenit. Nimirum illud omni regno, Reipub. & ciuitati ex mercaturis creſcere cupienti videndum eſt, vt mercatoribus eò confluentibus, nec vis inferatur, nec fraus fiat, & litigantibus bona & breuis juſtitia adminiſtretur. Lex certè Rhodia, quæ plurima de mercaturis & rebus in mari contingere conſuetis ſcripta fuit, ciuitatem illam ex parua magnam fecit,

Strabonis de Rhodo vrbe elogium.

fecit, & Venetiarum nunc vrbem judicia ex Consulatu maris (Codicis nomen est in quo hujusmodi judicia conscribuntur) constituta, domi forisque claram reddiderunt, & reddent, quousque eodem iustitiæ tenore jus inter ciues & peregrinos dicere perseuerabunt. Citiùs certe mare quàm mercatorum turba tam bene institutam ciuitatem deseret.

Consulatus maris.

Cap. 13.

Rhodiorum periculum (neque enim vltra processum est) ruina Carthaginis sequuta est. Nam & hanc ciuitatem, quò plures suo exitio inuolueret, Perseus legationibus & literis solicitauerat. Cujus rei nuntio Romam per alteram factionem perlato, nunquam ei deinceps in senatu oblatrare destitit M. Porcius Cato, donec peruicisset vt inuidiosæ nunc magis quàm æmulæ & noxiæ vrbi bellum indiceretur. Multis in aduersum rationibus tetenderat Scipio Nausica: vir optimus à Senatu olim in matre deûm accipienda judicatus. Carthaginem superstitem æternum fore victoriarum Romanarum monumentum: eandem Romanis rerum successu se efferentibus frœnos injecturam. Denique, nondum sibi satis justam belli inferendi causam videri dixit: Nec erat cur videretur: nam ad literas & legationes Persei quod attinet, quis eum quin legatos & cum illis literas mitteret, impedire potuit? vt crimini addatur, legationem ejus noctu non interdiu auditam, suspiciosum hoc magis quàm criminosum erat. Nam quòd milite, pecunia, nauibus, aut alia qua re Macedonem juuissent, non alius quisquam, non ipse Cato dicere potuit.

Sed quanto interim ſcelere eos ciues implicuerunt, qui patriæ ſuæ ſalutem cum fide Romanorum conjunctam eſſe arbitrantes, priuata hæc aduerſæ factionis conſilia ad eos deferebant? nempe dum patriæ ſuæ ſaluti Romanorum amicitię & fœderibus confiſi ſtudebant, exitij cauſam præbuerunt. Crimini datum erat, quod exercitum & naues contra fœdera comparaſſent: ſed & contra Maſaniſſam fiducia Romanorum vim ſubinde inferentem ea comparata fuiſſe haud ambiguæ diſceptationis res erat, & illi ſuam cum Rege litem Romanorum arbitrio ſemper permittebant, & ad naues, ſi quæ reſtabant, vltro tradendas paratos ſe offerebant, mitterentur modò qui deditas acciperent, qui conciderent, qui cremarent. Quanquam naues fabricatas & inſtructas omninò non habuerunt: crimini modò dabatur, quod materiem ad claſſem fabricandam in naualibus comportatam habere dicerentur. Vltima accuſatio erat, quod Guluſſum Maſaniſſæ hoſtis ſui filium, & ipſum hæreditarium ciuitatis ſuæ hoſtem inter reliquam legatorum Romanorum comitiuam vrbem ſuam ingredi volentem repulerant, ſcilicet iſto facinore legatos ſubs a Pœnis violatos, & jus gentiũ ſublatũ fuiſſe querebãtur.

Cap.14. Itaque quum bellum placuiſſet, ſexcenteſimo ab vrbe condita anno tertium & vltimum bellum Romani Pœnis inferebant: miſſuſque Cenſorinus Conſul in Siciliam, cum mandatis, vt inde in Africam ad delendam Carthaginem tranſmitteret. Pœni cognito Conſule in Sicilia jam eſſe, legatos Romam properè mittunt:

ibi fœdera deósque testati, fallax tandem & improbum, & oraculis Delphicis simile senatus Consultum obtinuerunt, Si trecentos nobilissimos suæ ciuitatis pueros intra trigesimum diem Consuli in Sicilia obsides tradidissent, fore, vt liberi suis legibus vterentur. Læti senatus cõsulto Carthaginem quantum remis velisq; facere valuerunt, redeũt. Delectos obsides in Siciliã transductos coram Consule infra tempus præfinitum sistunt, simul Senatus decretum porrigunt. At Cõsul literas interim à senatu acceperat, vt senatus, decreto non obstante, à mandatis in vrbe acceptis ne discederet. Itaque obsides acceptos Romam cum omni festinatione mittit, Pœnorum fidem & diligentiam laudat, gratam eam rem patribus futuram spondet. Reliqua Vticam cum venerit expositurum ait: interim bono eos animo esse jubet, simul milites nauibus imponit, tantaque celeritate in Africam contendit, vix vt ejus aduentum nauicula profugientes legati præuertere potuerint. Octoginta millium exercitus Romanorum erat: hij quinquaginta quinqueremibus, centum hemiolijs, multis insuper apertis nauibus, cercuris, & onerarijs impositi, Vticam in conspectu Carthaginis positam appulerunt: eodem & legati Pœnorum venerunt. Consedit Consul: nec legati ad salutandum propiùs admissi, sed ad funem in subselliorum vicem transductum stare, ibi si, quæ vellent, dicere jubebantur. Princeps legationis & vetera & noua fœdera commemorabat; quicquid esset de veteribus, noua certe à Pœnis sanctissime obseruata, ipso Consule, ipso ex-

ercitu,

ercitu, ipſo denique populo Romano in teſtem vocato, per omnia currendo, confirmabat. (Deos enim, apud homines omnium prætterquam jam ante præceptæ dominationis & tyrannidis oblitos citare quid attinebat?) ſi Maſaniſſæ cauſa moueret, Pœnos & olim omnium cum illo controuerſiarum ipſum populum Romanum judicem tuliſſe,& nunc ferre. Vt quid cum exercitu, cum claſſe, contra pacatos, contra juſſa populi Romani veluti deorum in terris mandata facere volentes tranſmitterent, flebilitèr exigebant. Denique ſi quam adhuc mulctam amplius miſeris irrogarent Romani, vltrò eam Pœnos ſubituros aiebant. Ibi Conſul exercitorem veriùs, quàm Romani exercitus ducem agens, quòd obſides celeritèr, & cum delectu miſiſſent rurſus laudare, ſi vero bellum gerere ex animo non cogitatis, quid armis, inquit, vltrà vobis opus eſt? arma tradite. Quum legati, enimuerò id ſibi per Maſaniſſam non licere reſpondiſſent: tum Conſul id verò ſenatui populoque Romano curæ fore dixit. Itaque & legati arma ſe quoque tradere aiebant, miſſuſque ad ea accipienda Scipio Naſica, quo ſolo inuito & aduerſante hoc bellum motum fuerat, ſed patriæ jam neceſſarium magis quàm honeſtum præbuit miniſterium: tranſducta igitur ſunt ducenta armaturarum millia, gladiorum inſuper, telorum & jaculorum numerus, qui firniri non poſſet, infinitus. Catapultrum inſuper quibus vel grandiora ſpicula vel ſaxa vibranda erant, bina millia, quæ ſi dedita non fuiſſent, nunquam illis Cenſorinus, aut

vir

vir alius Cenſorino melior è manibus extorſiſſet. Plauſtra quibus in caſtra Romana deuehebantur, tanquam patriæ ſuæ funus ſequebantur primores ciuitatis. Vbi ad Conſules veniſſent, ecquid amplius imperarent, ſupplices interrogabant. Tum Cenſorinus, Recte, inquit & ex ordine feciſtis, Carthaginienſes, obſides priùs, nunc arma tradendo: ſed quid longis ambagibus opus eſt? Cedite Carthagine, migrate, ſedes ad alium quemuis ditionis veſtræ locum, modo duodecim, ne minus, millibus à mare diſtantem transferte, ibi aliam Carthaginem extruite, certum enim eſt nobis hanc diruere. Ad quam vocem legati omnes attoniti prociderunt, ora, manuſque & capita ad terram offenſantes, cœlos verò ipſos ejulatibus & clamoribus, pudore poſito (nam quis in talibus pudor eſſe potuit) implentes, adeò quidem vt ex ipſo Romano exercitu, multi lachrymis non temperauerint. Tandem Hanno cognomento Gilla, ea familia natus quæ ſemper Romanam fouerat amicitiam, collecto animo, eam ad Romanos de fœderibus, de dijs, de jure gentium, de innocentia Pœnorum orationem habuit, vt quos illa non mouiſſet, nullam vnquam orationem moturam eſſe appareret. Non inſeram hìc viri imaginem: extant ejus apud Appianum Alexandrinum, in bellis Punicis orationes. Siue gentis ea erat diſciplina (errant enim qui Carthaginem, armorum magis quàm bonarũ artium & diſciplinarũ officinã fuiſſe putant) ſiue, inquam, illud ex gentis ſuæ diſciplina hauſerat, ſiue dolor plus ſolito diſertum fecerat, nihil

vnquam

vnquam vel ad rationem firmius, vel ad misericordiam, si homines non belluas, ad quos loqueretur, nactus fuisset, mouendum accommodatius vllibi reperitur.

Cap. 15. Castris excedere iussi, vbi in ciuitatem reuersi Consulis mandata exposuissent, tota vrbe clamor, non aliter quàm si cum legatis hostes irruissent, exaudiebatur: à fletibus deinde ad furorem & arma versi, toto quinquennio Romanos difficilimo bello fatigabant, Tantum erat autem pro aris focisque, & patrio solo dimicandi desiderium, vt quum ferrum ad arma non esset, aurum & argentum ad ea fabricanda comportarent; & prétiosis sæpe vulneribus hostem, vel conciderent, vel arcerent. Quid viros loquor? in catapultas, quum amenta & funes non superessent, ipsæ matronæ crines suos recisos ad hos vsus præbuerunt. Nec malè hos belli sumptus à se factos ex euentu interpretantur: adeò enim primo statim belli ingressu ignauissimum hostem repulerunt, vt omnem mox & annonæ & armorum copiam non minus liberam & abundantem haberent, quàm ante Censorini in Africam appulsum habuerunt. Quoniam verò naues ipsi non habebant, ideò pedibus mare ingressi (vadosum plerunque erat) naues hostium manibus aggrediebantur. Qui conatus, quum non satis ad delendam hostium classem virium habere viderentur, scaphas quas saltem ex fœdere retinuissent, post sua mœnia ne ab hostibus cernerentur, sarmentis, stuppaque repleuerunt, piceque & sulphure, aut si quod aliud aptius flammæ alimentum

mentum habuerunt, eò scaphas, & quicquid in illis erat, persuderunt, deinde notato priùs vento circumactas, passis velis sicut erant, ardentes in hostes immiserunt, quo subitò correpta Romana classis tota ferè conflagrauit. Sub exitu anni Censorinus Romam reuocatur, magno Carthagiensium gaudio, quòd deceptæ quidem, si qua illa laus erat, non etiam expugnatæ Carthaginis gloriam ex Africa reportaret, & si fata Carthaginem stare nollent, alia tamen quam perfida illa Censorini manu & sibi & vrbi pereundum esset.

Cap. 16.

Annus proximus Consules habuit Calpurnium Pisonem & L. Mancinum minimè Romani ingenij viros. Itaque qua inertia ipsi agebant pari licentia militem habuerunt: quare grauibus subinde cladibus affligebantur Romani; & crescebat indies Pœnorum ex successu res. Nimirum in aperto res erat, cædi sæpe ad internecionem potuisse Romanas legiones, ni vnus vir per socordiam & ignauiam in præsentissima pericula sæpe ruentes, vel manu vel consilio eripuisset. Is erat P. Scipio Æmilij Pauli, qui Macedones diuicit, natura filius, sed Scipionis Africani qui Annibalem diuicit, adoptiuus ex filio nepos, cui exitium Carthaginis fatis deberi vulgo credebatur; quæ opinio adeò omnium animis tam ad exercitum quàm in vrbe insederat, vt nec illi alium ad finiendum hoc bellum ducem poscerent, & populus ædilitatem petentem, Consulem, idque ad Carthaginem, (sic enim palam sermonibus ferebant) delendam crearet. Multis Scipio *jam* inde

inde ab initio belli, & egregijs facinoribus, non exercitus modò Romani, verumetiam ipſorum hoſtium oculos in ſe conuerterat: ſemel Mancinum, qui audaci incepto in vrbem per dirutum à ſe murum penetraſſet, nauibus aduectus, tanquam è cœlo dimiſſus liberauerat. Cæteris etiam ante ſe Conſulibus omnibus egregiam operam nauauerat. Ipſe verò jam Conſul factus, quum exercitum accepiſſet, paucis diebus ad corrigendam diſciplinam militarem ſumptis, per ceruicem, qua Iſthmus continenti jungitur, duplicem foſſam à mari ad mare perduxit, quam ſic præſidijs turribuſque muniuit, vt nullus planè è continenti commeatus inferri poſſit. Reſtabat adhuc liberum commeatibus importandis mare. Quamuis enim claſſis Romana, præfecto Serrano, portum, qua fieri potuit, diligentia ſeruabat; tamen, vel noctu, vel captata ventorum & tempeſtatum occaſione naues frumentariæ in portum ſubinde penetrabant. Scipio, quum in eo poſitam victoriæ ſpem haberet, ſi mare illis penitùs eriperetur, eò animum aduertit, vt os portus, quod Occidentem & Vticam ſpectabat, objecta mole obſtrueret.

Cap. 17. Produxit igitur longum aggerem in mare, demerſis defixiſque ingentibus ſaxis, quæ fluctus marinos etiam à vento concitatos ſuſtinere poſſent: aggeris latitudo viginti quatuor pedum erat in faſtigio, fundamentum quadruplum ejus continebat. Quem ejus conatum vrbana Pœnorum multitudo riſit. Aſdrubal verò quum agger indies incrementum caperet,

nec

nec omnia versanti ejus impediendi constaret ratio, aliò statim aduertit animum, vt in auersa vrbis parte qua peninsula procurrit in pelagus, & qua molis propter maris altitudinem perducendæ spes nulla hostibus ostendebatur, fodiendo portum nouum aperiret. Neuè milites ea occasione à murorum præsidijs auocarentur, mulieres & pueri, nulla sexus, nulla ætatis excusatione noctes diesque in hoc opere versabantur. Intereà temporis, & dum portus effoditur, triremes in naualibus fabricantur. Quoniam verò paratam ad hoc materiam non habebant, ideò vt quæque in ciuitate domus optimè materiata videbatur, ita eam potissimum & promptissimis ipsorum dominorum studijs diruebant. Inde trabes ad carinas, inde ad transtra, statumina, tabulas, remos ligna comportabant, ad anchoralia verò funesque alios nauticos, quicquid capillorum balistis & catapultis instruendis matronis superfuerat, id omne resectum pro se quæque nuptæ innuptæque conferebant. Quæ omnia in naualibus clausis & occultis, adeò clam omnibus & secretò fiebant, vt ne captiui quidem Scipioni, quid in vrbe pararetur, dicere possent, strepitum modò in naualibus noctes diesque audiri, domos priuatas publicasque dirui, feruere omnia hominum studijs, sed quid in manibus quiduè in animis magistratus & principes ciuitatis haberent, se vel scire, vel conjectura assequi posse pernegabant: quum subitò, aperto alio, quo minime putabatur portus ostio, primo mane quinquaginta triremes, cercuræ verò

rò myoparones, & alia nauigia numero infinita eruperunt, sic instructa omnia, vt facile crederes tantam classem non nisi ex materia multum diuque ante præparata & congesta extrui & fabricari potuisse. Quæ res tanto ad præsens terrori & miraculo Romanis fuit, vt si Pœni classem eorum, sicut erat, in mari stantem, nec quicquam minùs quàm vim naualem metuentem aggressi fuissent, magnam cladem illaturi viderentur. Sed quid facies? quum deus exercituum, gentem vel ciuitatem manibus pedibusque vinctam, hoc est oculis animisque captam, hosti à se misso delendam tradit? Pœni, quum Romanos tam improuiso casu trepidantes adoriri possent, eos risu & cachinnis, quàm telis & armis incessere præoptarunt, qua tandem voluptate saturi, in portum suum se receperunt, satis habentes hostem terruisse: quum etiam, si mens affuisset, perdere potuissent. Tertio dein die, omnem classem portu eductam in mari explicuerunt, aduersus quam Scipio suam, omni jam rerum apparatu longè instructissimam, emisit, vt qui illo potissimum prœlio fatum Carthaginis stare intelligebat. Nam si vincerent Pœni, non solum apertum ad commeatus accipiendos mare habituri erant, verumetiam aggerem tanto labore in mare jactum, nullo negotio distracturos apparebat: forsan & in fossam, quæ de mari ad mare tanto molimento perducta fuerat, impetum vtrinque facturi, & finem obsidioni impositurí videbantur. Concurrebatur igitur, magnis vtrinque non ducum magis & præfectorum, quàm

militum

militum & nautarum animis, & maria ipsa clamoribus & hortatibus hinc Pœnorum ab vrbe, illinc Romanorum ab aggere & à castris insonuerunt. Pœni in suis tum manibus conjugum, liberorum, ipsiusque Carthaginis communis patriæ salutem positam esse cogitantes, nihil ad summam virtutem artemque nauticam reliqui fecerunt. Quoniam verò triremibus aduersus Romanorum quinqueremes haud quaquam par pugna erat (nam nec transiliendi in aduersas ex inferiore loco facultas erat, & tela in sublime jacta minore vi in hostes ferebantur) ideò alio se verterunt, & vel gubernaculis vel remis detritis hostium naues lacerabant, & in thalamitas, qui soli, vtpote infimorum ordinum remiges, triremium ictibus patebant, vim suam exeruerunt. E diuerso Romani ex quinqueremibus suis, veluti ex muro vel aggere pugnabant, grauiùsque multò, non modò certiùs, in subjectos tela incidebant. Nec thalamitas illi suos, ad rei summam quod attinebat, magnopere curabant: gubernacula etiam sibi detergi, & in eo vires suas hostem consumere facilè patiebantur, vtpote qui in loco arcto rem ad pugnam stabilem reuocassent: sæpe tamen in triremes Punicas desiliebant, & manu rem conficere potiùs, quàm telo eminùs pugnare optabant: nec vllo vnquam prœlio nauali tantum vel sui, vel hostium sanguinis profuderunt, & in fessorum, vulneratorum, & defunctorum locum noui semper & recentes, ab vrbe, à castris certatim submittebantur. Itaque per varia & egregia omni parte belli facinora, nulla intermis-

ſione edita, aut ſpatio ad reſpirandum ſumpto, eodem tenore à mane pugna extrahebatur: dubio ſi aliàs vnquam Marte, & neutram in partem inclinante ſe fortuna. Sub veſperam Romani, nulla alia re ſuperiores, conſtantia, qua ſola victores in omni grauiore bello euaſerant, ſuperabant. Quoniam enim eos tam juſtæ pugnæ non pœnitebat, & in quo victi non eſſent prœlio, in eo victores ſe eſſe cogitabant, nihil illi de impetu ad ſeram noctem remittebant, parati pugnam, vſque dum in alterutram partem inclinaret ſe res, continuare: ſimul ſi pedem retuliſſent, ne hoſtis confeſtìm in aggerem vim faceret, metuebant. At Pœni magnam ſe & egregiam laudem adeptos rati, quod tam ſtrenuè manum in conſpectu liberorum & conjugum toto die conſeruiſſent, feruente tum maximè prœlio receptui ſignum ſubitò cecinerunt. Multis belli caſibus compertum eſt, nimis celeres receptus ingentium cladium cauſam fuiſſe. Vis & impetus, dum pes infertur, adſit. Preſſo gradu & vultu ſemper in hoſtem verſo receptus fiat: aliter qui facit, ſuis ſæpe formidinem immittit, hoſti fiduciā ſemper dat. Id quod nunc accidit: curſus enim celeritas fugæ ſpeciem hoſti præbuit. Itaque Romani ſublato clamore, veluti tum primùm pugna cæpiſſet, ferociter cedentibus inſtabant. Pœni quamuis celeritèr, ſeruatis tamen aliquantiſper ordinibus abibant, ſed quum majora nauigia portui appropinquaſſent, nulla illis ſubeundi facultas relinquebatur: quippe minora confertim priùs irruendo, portus os obſtruxerant, & in arcto

vt

vt fit, hærebant. Inde pauor & trepidatio Pœnis orta, & difficilis consilia explicandi ratio.

Erat in propinquo agger, quà mercaturæ è nauibus exponebantur, Quaias vulgò dicimus. Huic aggeri Pœni, ab initio statim belli quòd depressior paulo erat, murum aliquantulæ altitudinis pro vallo superstruxerant, eique loricam, quales parapettas nunc dicunt, imposuerant, vt media sui parte tecti fidentius inde tela in hostem subeuntem ingererent. Huc Pœni portu suo exclusi confugerunt, puppibusque ad aggerem versis, proras hostibus objiciebant. In has Romani omni vi inuehebantur, & quia nulla ictus declinandi ratio hostibus erat, inde factum, vt nullum cassè telum incideret. Sed quum Romanorum quinqueremes recipere se vellent, & inter recipiendum obliqua & nuda latera præberent, in eas Pœni vicissim incursando haud paulò grauiora, quàm quæ acceperant, vulnera inferebant, & milites insuper præsidiarij aggeri, quem diximus, superstantes telorum nubem omni grandine densiorem in subeuntes pariter & stantes & abeuntes Romanos effundebant. Et aduersus hos quidē nulla satis tuta aut commoda ratio à Romanis iniri potuit. Contra naues verò Pœnorum hoc remedij inuentum est. Quædam eorum quinqueremes paulò in altum prouectæ, ibi anchoris firmabantur, à quibus vbi cœteræ longos rudentes religassent, rursus in Punicas inferebantur, quas quum ad suas vicissim religassent, non circumflexo cursu, vt priùs, abibant, sed à quinque-

Cap. 18.

remibus in alto ſtantibus attrahebantur, vt Herculis olim boues in Caci ſpeluncam caudis tractos fuiſſe memorant. Media ferè nocte prœlium finem cepit. Haud ſatis certa ne tum quidem victoria, potior tamen erat Romanorum cauſa: nam & plures Pœnorum naues perierant, & finito ſtatim certamine, naues Punicæ in portum ſuum refugerant. Scipio verò mane proximo vix dum certa luce ad aggerem, vbi plurimum nocte incommodi accepiſſe videbatur; cum claſſe & omni tormentorum genere redit, & ariete iunctis quinqueremibus tunc primùm impoſito, & murum aggeri, & loricam muro ſuperædificatam magna parte decuſſit, diruitque, aggerem verò ipſum quatere non potuit. Scipio toto die pugnando feſſus, ſub veſperam in caſtra ſe recepit; at Pœni, quamuis continua duorum dierum pugna fatigati, nihil tamen actum putabant, niſi machinas hoſtium in aduerſo littore conſtitutos illa nocte flammis corripuiſſent; In intimo ſinu verſus continentem vnda marina leniter effuſa ſtagnum faciebat: aqua ſupra arenas pectore tenus eminebat, nauium cuiuſlibet magnitudinis haud quaquam patiens, pedibus iter ingreſſis ſatis præuia. Pœni alij alios adhortati, altera manu faces ſed mortuas, altera ferrum portantes, ſecunda vigilia ad machinas taciti ſubeunt, Cuſtodias ſomno oppreſſas obtruncant: tum funalia & faces ad ignem, quem ferreis quibuſdam trullis, vt non emicaret, incluſas attulerunt, accenſos machinis immittunt, picemque & aridam aliam materiam mijciunt. Iam flamma machinas,

machinas, terror castra occupauerat, fœdaque ex littore in terra fuga fiebat: quum Scipio excitus, properè fugientibus occurrit, stareque & in pugnam redire iubet, pauorem & turpem fugam increpitans: minæ deinde erant, in certam pernitiem ruituros ni dicto pareant. Postremò dat signum suis, vt primos fugientiũ cædant. Romani ancipiti metu circumuenti, in pugnam redeunt, & Scipio cum suis pedem infert. Iam collucentibus vndique machinis hostem conspicere dabatur. Quos vt numero non multos, eosque inermes aspexissent, audaciùs iam in eos ruere; & Pœni vtpote nudi ab armatis crebra vulnera accipiebant. Itaque peracto ad quod venerant negotio, mare repetunt, parsque vadendo, pars natando, paucis desideratis, reliqui ouantes in vrbem redeunt. Scipio omnibus terra marique frustra tentatis, quum iam machinæ incensæ conflagrassent, & hyems maritimæ oppugnationi haud quaquam commoda instaret, paucis ad speciem oppugnationis in castris relictis, ad vrbes in continenti expugnandas abit. Vbi re fœliciter gesta, omnique Africa in potestatem redacta, primo vere Carthaginem rediјt, eamque exclusis terra marique commeatibus, ferro & fame debellauit; debellatam incendio omnem absumsit. Vrbem antiquam, diuitem, potentem, Africæ Reginam, Romæ æmulam, perfidam ipsam, sed a gente, sancta hactenus, fœderumque & iuris obseruantissima, perfidia & scelere, priùs quàm bello & armis [illegible]a am: vrb[illegible]m, in quam, cognomento magnam, & de qua verè [illegible] licet, n[illegible]llum vnquam

Carthago deleta.

vel regnum vel populum maris vſu fuiſſe comparandum. Qua deuicta quinimò & deleta, facilis iam & declinis erat Romano nomini ad vniuerſi terrarum orbis imperium via.

Cap. 19. Deleta Carthagine ingens ſequutum eſt in mare ſilentium. Quamuis enim bella alia poſt alia longè atrociſſima in Romano Imperio exorta fuerant, erant tamen illa terreſtria omnia. Huius generis erat Macedonicum contra Andriſcum, à Cæcilio Metello, Hiſpanicum à Iunio, Gallicum à Mario, Corinthiacum à Mummio, alia ab alijs geſta & perpetrata. Nedum illa ex agrarijs legibus ſuſcitata incendia quibus Gracchus primùm, deinde Scipio Naſica, ille in foro, hic in lecto trucidatus periit, maria ſanguine polluerunt. Donec Mithridates Ponti Rex, dormientem, vt ita loquar, Neptunum excitauit. Hic anno ab vrbe condita ſexcenteſimo & ſexageſimo, cum quadringentarum nauium claſſe, quarum trecentæ tectæ erant, in mare deſcendit: quas omnes per Boſphorum Thracium, & Helleſpontum in mare Mediterraneum effudit. Cuius belli initio habuerunt & Romani ſuam claſſem ſub Minucio Rufo & C. Popilio præfectis, ſed quæ neutiquam ſatis virium ad Mithridatem ſuſtinendum haberet. Itaque non ſolùm totam Aſiam fulgure citius terra penetrauit, verumetiam copijs in Europam tranſmiſſis, omnem fere Græciam Archelao duce ſuæ poteſtatis fecit. Paratus inde in Italiam, niſi Sylla Coſ. propere occurriſſet, traijcere; Interim Rhodij vrbi ſuæ à Mithridate omnia claſſibus obtinente metuentes, eam

Mithridates.

omni

omni munitionis genere instruunt, simul naues aptant, & portam firmant: jamque aderat cum classe Mithridates. Et Rhodij partim suopte ingenio ad res mari tentandas proni, partim quò suum erga populum Romanum studium testatius facerent, in aduersum prodeunt. Id conspicatus Mithridates, quia nauium numero longè superabat, eas in cornua extendit, vt Rhodias circumueniret: Quod quum agi cernerent Rhodij, paulatim gradum referebant, mox cursu in portum se receperunt, Hostem deinceps non iusta acie, sed ex occasione aggressuri. Forte accidit, vt oneraria Regia in cõspectu vrbis præteueheretur, in quam quum biremis Rhodia portu euecta incurrisset, aliæ statim ex classe Mithridatica suis subsidio veniunt. Idem & ex portu Rhodiensi factum: donec tandem crescente certamine, quicquid vsquam naualium copiarum erat, in vniuersæ pugnæ discrimen descenderet. Nauium numero Mithridates, nauticorum arte & virtute præstabant Rhodij. Nec metus erat ne Rhodij, pauciores numero quòd essent, à pluribus circumuenirentur: quandoquidem in ipsis ferè portus faucibus pugna conferebatur. Ex hoc certamine Rhodij vnam triremem Regiam captam trahentes, læti in vrbem redierunt: sed cum classem deinde suam recensentes, è quinqueremibus suis vnam desiderassent, ignari eam vicissim ab hostibus fuisse captam, sed alio delatam putantes, sex confestim velocissimas triremes ad eam quærendam emiserunt; eas conspicatus Mithridates, conuertit se. Dux Rhodius

Pugna naualis ad Rhodum.

dius

Demagoras nauarchus Rhodius. dius erat Demagoras : is nauium velocitate fretus retrò cessit, ita tamen vt sui potiundi spem hostibus faceret. Regij, quùm jam aduesperasceret, se ab hoste eludi sentientes, retro cursum flexere. Demagoras vt auersas vidit, in abeuntes magno impetu infertur, & binas ex Regijs rostro percussas ipso loco demersit, totamque deinceps noctem insequendo, nunc has, nunc illas incursat, vulnerat, lacerat,& oriente demum luce Rhodum se recepit; frustra indignante Rege, quòd tantis opibus quum esset, à tam exiguo populo non repulsus magis, quàm lacessitus & contemptus videretur.

Cap.20. In hoc tumultu nocturno, nauis quædam Chia, Regis auxiliaris, in quinqueremem qua Rex ipse ferebatur temerè illata eam nonnihil concussit. Quis injuriam illam, vel nocturnis tenebris, vel ventorum, si qui tum flabant, turbini, vel fortunæ denique & casui non imputasset? Mithridates non solùm gubernatorem & proretam, reliquamque nauis turbam ad antennam suspendit, verumetiam totam Chiorum gentem, in hujus injuriæ scilicet vindictam à sedibus suis penatibusque auulsam,vltra pontum Euxinum in desertissimas solitudines transducendas nauibus imposuit. In itinere Heraclienses (ciuitas illa Græca, sed in ponti confinio ad mare posita) cum classe occurrunt, Ponticasque naues leui prœlio expugnant. Vbi verò eas captiuis, & quidem Chijs, hoc est Græcis, amicisque priuatim suis plenas inuenissent, eam verò rem omni præda jucundiorem

diorem interpretati, vinculis solutos hospitio primùm benignè acceperunt, pulsisque mox a. L. Licinio Lucullo Ponticis, in vrbes agrosque suos restituerunt. Paulo deinde pòst Mithridates copias terrestres ad Rhodum operibus à terra oppugnandum accersit: hæ nauibus impositæ ad Regem vela faciebant, sed insulæ appropinquantes sæuissima tempestas adorta variè afflixit. Rhodij classem Regiam tempestate adhuc turbatam disjectamque cernentes portu suo egressi maximam quidem eorum partem capiunt, alias vel rostris inuecti deprimunt, vel immissis ignibus incendunt. Qua re grauiter commotus Mithridates, alijs statim copijs (quibus affatìm in omni genere abundabat) accersitis, vrbis oppugnationem acerrimè instituit. Sed enim vrbs quæ Demetrij Poliorcetæ vim olim sustinuerat, Mithridatis impetum non magnopere reformidabat. Animos obsessis fecit, non solùm insita genti virtus, & gloriæ per tot annos quæsitæ ad posteros transmittendæ cura, verumetiam Romanorum, & præcipuè L. Cassij Asiæ Proconsulis præsentia. Etenim Mithridates Romano nomini infensissimus, datis ad omnes per vniuersam Asiam ciuitates, vrbes, castella, vicos literis, omnes Romani, atque adeò Italici nominis homines, masculos, fœminas, seruos, ingenuos, condicto tempore, horæ momento trucidari mandauerat. Quod non crudeliùs à Rege mandatum, quàm ab incolis acceptum fuerat. Octoginta millia hac peste absumpta fuisse traditur. Proconsul verò cum

paucis

paucis cæde elapsus Rhodum perfugit. Ea vna vrbs in tam exitiali rerum tempestate salutis portus nomini Romano tota Asia fuit. Itaq; Mithridates quum Proconsulem Romanũ intus esse cognouisset, ne tempus ibi omne tereret, obsidionem terra mariq; soluit, & ad Græciã præsidijs obtinendam se conuertit. Eodem tempore Sylla Consul cum exercitu in Græciam transgressus, nihil antiquius habuit, quàm vt Athenarum vrbem, quæ nulla Romanorũ injuria ad id impulsa Regi portas aperuerat, in potestatem redigeret.

Sylla.

Cap. 21.

Pyræum.

Vrbs erat apprimè munita, Pyræum verò (nauale illud & emporium erat, longis vt vocabantur muris per aliquot stadia ductis vrbi junctum) longè munitissimum: murus quadraginta cubitorum altitudinis erat, totus saxo quadrato extructus. Sunt qui illud à Pericle Atheniensium principe, quum bellum Peloponesiacum (quo ciuitas illa postea conflagrauit) moliretur, sic extructum fuisse memorant: quod mihi neutiquam persuasum esse potest. Nam præterquam quòd Thucidides Pericli coetaneus, & temporum illorum scriptor diligentissimus, tantam operis magnificentiam silentio neutiquam præterijsset. Frustra postea Lysander, vrbis muros demolitus esset, si tam firmum præsidium indejectum populo reliquisset.

Naualia.

Erant autem tria naualia toto orbe celeberrima: Carthaginense, Syracusanum, & hoc, de quo nunc agitur, Atheniensium Pyræum: quorum illa plures naues capiebant. Erant forsitan & venustiora; murorum verò celsitudine & robore hoc vnum omnibus præcellebat. Sed non is

erat

erat L. Sylla, qui mœnium celsitudine ab oppugnatione deterreri posset. Athenas igitur obsidione & fame domuit, Pyræum quòd liberum & apertum ad commeatus mare haberet, non aliter quàm oppugnatione & operibus capi potuit: itaque aggerem ad murorum altitudinem extruxit. Nec vllius vnquam loci vel oppugnatio vel defensio memorabilior in historia reperitur. Primum murum ex lapide, vt diximus, quadrato constructum ariete dejecit Sylla; sed interiorem semper murum Archelaus objecit, vt nullum oppugandi finem Sylla inuenturus videretur, donec consumpto reliquo omni Pyræi solo, Archelaus ad eam solam partem quæ fluctibus cingebatur cum suis occupandum adigeretur: quam etiam Sylla oppugnare jacta per aquas mole quum instituisset, Archelaus tam ferum hostem vltra non sustinuit, sed cum classe profectus ad exercitum in Thessalia properabat. Eum verò Sylla paulo post duobus terrestribus prœlijs, altero ad Cheronæam, altero ad Orchomenum ita concidit, vt centum sexaginta millibus amissis ipse Archelaus, vir fortissimus, sed Sylla minor, vix effugerit. Nihil Sylla in hoc bello molestius accidit, quàm quòd nauibus destitueretur. Lucullum certè tum legatum, magni postea nominis ducem, Rhodum ad classem comparandam misit. Illi pro classe consilium dederunt; vt ad Ægyptios & Phœnices auxilia petitum pergeret: parùm enim in se opis aduersus Mithridatem cum quadringentarum nauium classe omnia obtinente esse aiebant. Itaq;

Lucullus.

Lucullus

Lucullus nunc seruili, nunc nautico habitu amictus, scapha piscatoria, eaque sæpiùs mutata, per medias hostium stationes elapsus in Ægyptum venit. Alij aliter hanc eandem rem narrant; cum sex nauium classe profectum, diuerso itinere in Cretam primò descendisse: Inde in Cyrenaicam traiecisse: A Cyrenis verò aucta aliquantulùm classe in Ægyptum nauigasse. In itinere in piratarum classem incidit, à quibus fœde laceratus, maiore parte classis amissa, cum reliquis Alexandriæ portum vtcunque tenuit; Qua re cognita, obuiam ei Ptolomæus Rex cum classe textilibus cæteroq; luxu ornata processit, hospitiumque in Regia præbuit; nec tamen classem, ad quam petendam venerat, Mithridatis metu dedit; cohortem modò nauium, ad piratarum in itinere vim arcendam, quæque in Cyprum deducerent, commodauit. Lucullus contracto ex Phœnicia aliquantulo nauium numero, quum piratas viam omnem à Cypro Rhodum ferentem insidere cognouisset, classem omnem subduxit, & veluti in insula hyematurus, circum vrbes de Hybernis & comeatibus militi, socijsque naualibus parandis misit. Cuius rei fama quum ad piratas peruenisset, & ipsi stationes negligentiùs solito habere cœperunt. Lucullus mare vacuum nactus, deducta properè classe, oram soluit, & interdiu quidem remis, ne candore velorum proderetur, noctu velis etiam vsus, Rhodum incolumis peruenit. Vbi amplioribus copijs naualibus instructus, Chion, Samum, aliasque in eo tractu & insulas, & vrbes ad mare

re poſitas, & à Mithridate nuper occupatas, recepit. Interim Sylla hoſtis à Senatu iudicatur & Fimbria Marianæ factionis Conſul cum exercitu in Aſiam venit. Vbi paucis diebus Mithridatem magno prœlio victum, intra Pitanem, vrbem ad mare Ægæum ſupra Gnidum poſitam, compulit, vrbemque ipſam, quantum à terra fieri potuit, obſidione cinxit. Sed inutilis erat omnis à terra oppugnatio, quamdiu Rex liberum à tergo mare, & portum ipſum claſſe plenum poſſideret. Literas igitur ad Lucullum Conſul dedit: quo in ſtatu res Syllæ eſſent, edocuit; rogabat vt claſſem adduceret, eamque portui Pitanenſi objiceret: ita portum, claſſem, vrbem, Regem denique ipſum vel viuum, vel mortuum, in populi Romani manus venturum; facinoris laudem, & finiti huius belli gloriam, vt vtrique communem, ita ipſo Fimbria concedente, maiore ſui parte, propriam Luculli fore; Lucullus quamuis ſat opimam gloriæ ſpem in oculis haberet; fidem tamen Syllæ datam fallere, & aduerſæ factionis Conſuli ſuis opibus gratificari noluit. Itaque ſoluta obſidione Fimbria abijt, & ipſe Mithridates cum claſſe profectus eſt. Quod vbi ſenſit Lucullus, veſtigia premens, claſſem Regiam circa Troada aſſequutus, egregiè fudit fugauitque. Poſtero vero die Neaptolemum nauarchum Regium ad iuſtam pugnam circa Tenedum, notiſſimam fama inſulam, pertraxit; magnoque prœlio ſuperatum claſſe exuit. Inde profectus, Syllæ ad Cherſoneſum traiecturo ſe adiunxit. Sylla omiſſo Mithridate Fimbri-

Fimbria

am

am tota Asia quæsitum profligauit, & occidit, Mithridati verò pacem petenti non difficilem se præbuit, priuata conuentione sexaginta naues à Rege accepit, & exhausta pœne facultatibus omni Asia Ephesum venit. Inde tertio die Athenas venit, vnde circummissa Dyrrachium in Epiro classe, ipse eodem per Thessaliam & Macedoniam contendit, vbi imperatis ex omni Græcia nauibus, cum mille quingentorum nauigiorum classe in Italiam trajicere parabat: fecissetque, si res vrbanæ, tantisper dum contraherentur, moram recepissent. Modica igitur classe trajiciens; incredibili fortuna Marianos in itinere fudit fugauitque: Romam verò ingressus, non solùm forum & vrbem, verumetiam vniuersam Italiam vel sociali, vel ciuili sanguine repleuit.

Cap.22. Sylla verò mortuo, Senatus sibi redditus pacem ab eo cum Mithridate factam antiquauit. Anno sequente Consules Aurelius Cotta, & Lucius Lucullus erant. Bello Mithridatico gerendo dux Lucullus designatur; Cotta; vt Bythiniæ, & classi ad Propontidem tuendam præficeretur, tenuit, Mithridates cum quadringentis ære rostratis nauibus præter alias minores, quæ duplum eius numeri efficiebant, ex mare Pontico in Propontidem descendens, toti mari se superfuderat. Neque verò classis hæc, vt prior illa, vel auro & tapetibus exteriùs fulgebat, vel intus balneis & gynicæis struebatur, sed ære & armis vndique horrebat. Circa Chalcedonem, vrbem Byzantio ex aduerso positam, eodem die, cum Cotta Cos. terra

marique

marique conflixit; & vtrobique vicit. Pugna nauali octo millia ciuium Romanorum cæsa, quatuor mille & quingenti capti á Photio in Excerptis Memnonis memorantur. Quo vulnere fractæ Romanorum res tota Asia concidissent, nisi Lucullus restaurata properè classe, Regis impetum cohibuisset. Pugnæ enim ad Tenedum successu elatus Rex, classem sub acerrimis ducibus ad Italiam inuadendam missurus erat, & Hispaniam Ponto (ascito Sertorio) iungere parabat. Sed tantis conatibus ad Cretam insulam obstitit Triarius dux á Lucullo missus. Qui, cum classis Regia pugnæ metu retrò in Pontum vela faceret, eius veluti fugientis extremum agmen in Ægeo mari carpsit; Ad Tenedum verò totis viribus concursum est. Septuaginta Triario, Regijs octoginta ferè naues erant; quas omnes Triarius summa virtute vel cepit, vel depressit. Qua victoria ereptum planè est Mithridati maris dominium; aliam deinde ejus classem ipse Lucullus ad Lemnum insulam concidit, & ipse Mithridates dum cum classis suæ reliquijs Pontum & interiora regni peteret, horrenda tempestate omnem amisit; ipse etiam, quum eximia quadam naue veheretur, sed quæ nec mare propter sæuitiam tempestatis vltrà pati, nec præ sui magnitudine ad littus tutò appelli posset, in nauiculam piraticam fortuitò occurrentem descendit, salutemque suam hominum generi insidiosissimo credere, pessimo debere etiam cogebatur. Reliquæ Luculli victoriæ terrestres omnes erant, quibus ita non

Pugna naualis ad Tenedum.

Triarius.

Pugna naualis ad Lemnum.

ſolùm huius quem dixi, verumetiam Tigranis Armeniæ Regis res afflixit, vt facilem de vtriſque victoriam ſucceſſori traderet; longiùs proceſſurus, nec Euphratem, ſed Indum fluuium Romano imperio terminum poſiturus, niſi eum milites ſui, in medio maximarum rerum curſu, inclinatis omnium ad Pompeium animis, deſtituiſſent. Mille tantùm & quingentos milites ſecum è prouincia Romana, eoſque inuitos, deportauit. Cum hoc tam exiguo numero, magno tamen patrum & bonorum omnium conſenſu, triumphauit; inter cætera naues æreis roſtris aptæ centum & decem in triumpho tranſductæ. Spectaculo fuerunt, non tam ipſæ naues, quàm ærea earum roſtra, tunc primùm Romæ viſa: nouam certè rem eo ſæculo fuiſſe, vel eò apparet, quòd quo tempore Lucullus primùm ad Troada cum Mithridaticis concurreret, Rhodiorum nauarchus Demagoras, vir alioqui non contemnendus, rei inſolentia territus, & æreum incurrentis roſtrum metuens, non ſine riſu ſpectantium, puppim ferienti obuertit.

Ærea roſtra.

Cap. 23. In hac rerum turbatione Q. Sertorius magnæ autoritatis tranquillis reipub. rebus Senator, ſed Syllanarum partium inimicus in Hiſpaniam, quam Prætor obtinebat, profugit. Cuius res in ea geſtæ, à Plutarcho in eius vita, & ab Appiano Alexandrino ſic deſcribuntur, vt magnum planè, & Romano nomine dignum virum agnoſcas: primo ſtatim aduentu magnam rerum difficultatem paſſus eſt, & à Syllanis pulſus cum tribus hominum millibus per fretum Gadi-

Gaditanum in Mauritaniam abijt, vbi quum Barbari, milites ejus aquationis cauſa in littore expoſitos trucidarent, nec pacati quicquam in ea terra inueniret, in Hiſpaniam renauigauit. Ibi nauibus prædatorijs Cilicum ad famam viri confluentibus, Pityuſam inſulam aggreditur, ejectiſque inde Syllanis ducibus inſulâ vi potitur. Anius erat Syllanarum partium in Hiſpania dux; hic claſſe comparata, cum quinque millium exercitu aduerſus Sertorium nauigabat. Sertorius quanquam Cilicum naues, quibus vtebatur, non aliæ quàm piraticæ Myoparones erant, claſſe tamen cum eo confligere optabat: obſtabant venti, qui totos decem dies & noctes ita mari incubuerunt, vt tam leuibus nauigijs vix ad anchoras in mare ſtandi facultas relinqueretur, nedum congrediendi poteſtas fieret. Anio igitur inter medias tempeſtates inſula potito, Sertorius quum nullum vſquam in mari Mediterraneo refugij portum haberet, toto illo mari exceſſit; & per fretum Herculeum ad mare Atlanticum, ſiue Oceanum, fama hactenus quàm vſu Romanis notiorem, enauigauit, & ad Occiduam Hiſpaniæ oram, qua Bætis fluuius in Oceanum effunditur, applicuit: ibi nautæ quidam ei occurrunt, qui recentes ex inſulis Atlanticis aduenerant.

Has inſulas Plutarchus binas omnino fuiſſe tradit, breui freto à ſe inuicem diſiunctas: ſed quæ decem millibus ſtadiorum, hoc eſt, octingentis & amplius millibus paſſuum ab Africa ad Occidentem diſtarent. Eas Beatorum ſiue

Cap. 24.

Inſulæ Fortunatæ, ſiue Canariæ.

Fortunatas insulas, & in illis campos Elisios ab Homero olim, alijsque vatibus Græcis pariter Latinisque decantatas, esse vult. Imbribus, inquit, modicis, idque raro rigantur; leuibus plerunque & roscidis ventis perflantur; non arationi modò & plantationi commodam terram præbent, sed & vltrò omnis generis fruges effundunt, aer innoxius, annique tempestates mediocri & salubri mutatione variatæ. Quippe venti qui à Borea flant propter viæ longitudinem positâ feritate leniùs in illas incidunt; Cauri autem & Zephyri sua natura placidi pluuias à mare modicas rarasque infundunt. Hæc Plutarchus. Loci autem situs, ejusque mistâ in plerisque cum vero falsitate descriptio, facilè ostendnnt, has illas esse, quæ nunc insulæ Canariæ appellantur. Sunt autem numero septem: aeris quidem temperie & salubritate insignes omnes, & quales duæ illæ à Plutarcho fuisse memorantur: sed è septem vna est, quæ Ferro dicitur, in qua nullus fons, aut alia aquæ dulcis vena è terra scaturiens reperitur: arbor modò est in medio insulæ sita, quæ sub meridiem densa quadam nebula obducitur: hæc aquæ venam arbori infundit; inde quotidie quantum ad humanos vsus sufficit perenniter hauritur. Altera verò est, quæ Teneriffa dicitur, in qua surgit quidam mons, leuiter à radice fastigiatus; vertex verò in tantam altitudinem attollitur, vt omnes terrarum montes acumine suo longè longèque superet. Et sunt reliquæ mira ad fruges, vineasq; & ficus, & diuersa malorum genera fertilitate omnes: planè

Insula Ferro.

Teneriffa.

vt

vt de iſtis vſurpari poſſit quod de Alcinoi hortis apud Homerum in ſeptimo Odyſſeidis ſuæ libro prædicat Vliſſes, Pira poſt pira, poma poſt poma toto anno matureſcere. Vina certè inde in omnes Europæ partes eo numero, ea nobilitate afferuntur, vt quid in illis magis mirere neſcias. Quæ naturæ miracula quum priſcis temporibus, fama omnia in majus augente, ad poetarum aures accidiſſent, fabularum materiem præbuerunt. Nec à fabula diſtat ſpecioſus ille Platonis liber, qui Atlanticus inſcribitur. Quem omnem ſermonem Soloni Athenienſi acceptum refert Plato, Solonem verò à ſacerdotibus Ægyptijs de Atlante inſula (quam Lybia longè majorem fuiſſe vult) & Neptuni in ea templo, ad integri ſtadij longitudinem extructo multa non ſolùm ipſum hauſiſſe, verumetiam literis prodidiſſe memorat. Enimuerò extra fretum Gadiricum (Gaditanum poſteà Latini appellabant) ingentem quandam inſulam ante nouem annorum millia, omnibus naturæ bonis, ſed magis legibus floruiſſe, eam verò poſtea aquarum diluuio, vt ne veſtigia quidem ſupereſſent, perijſſe refert. Ego vt rebus tam profunda vetuſtate obrutis lucem me afferre poſſe non confido, ita ſi conjecturam meam inſerrere liceret, ſic exiſtimarem, Vnam olim ampliſſimã eò loci inſulam fuiſſe, vbi nunc ſeptem illæ Canariæ inſulæ viſuntur. Has nunc veluti exeſi corporis reliquias reſtare; corpus ipſum vel generali olim diluuio ſubſidiſſe, vel ſuccedaneo maris impetu paulatim euanuiſſe. Quicquid eſt, nemo certè jam ea-

Atlanticus Platonis.

rum vſum Hiſpano nomini inuiderit, quum tam retrò acta antiquitate ad eas mercaturæ faciendæ cauſâ aſſueuerint, & patrum ferè, certè auorum noſtrorum memoria, earum per tot deinceps ſæcula veluti deperditarum poſſeſſionem, dum Americam exquirerent, veluti poſtliminio receperunt. *Sertorius.* Sertorius quum ex nautis & mercatoribus omnia de ijs locis diligentiùs inquiſiuiſſet, incredibili ſtatim hæc loca non explorandi modò, verumetiam incolendi ſtudio flagrare cæpit. Nam quid ei optatius fœliciuſuè contigiſſe potuit, quàm amiſſa per tyrannidem Syllanam patria, in amœniſſima terrarum orbis regione conſenuiſſe? cujus animi inclinationem vt ſenſerunt Cilices, ſublatis ſtatim velis in Africam abierunt. Sertorius veritus ne eorum exemplo à reliquo exercitu deſereretur, vanas de inſulis illis ſpes animo fouere deſtitit, & ad belli curationem reuerſus, totam ferè Hiſpaniam armis ſuis occupauit. Sunt tamen qui eum non animo tantùm aſpiraſſe, verumetiam opere ad inſulas illas penetraſſe ferunt. Id ſi ita eſt, facile adducer vt exiſtimem, eum omnia ibi fama minora reperiſſe: eam cauſam fuiſſe, cur parùm exploratis locorum illorum rebus, reditum in Hiſpaniam maturauerit. *Mithridates.* Multa hoc tempore Mithridates mala Romanis intulit, nulla tamen re infeſtior fuit, quàm quòd præter claſſem ſuam, ingentem etiam piratarum vim in mare effuderat. *Pirata.* Horum præcipua in Cilicia ſedes erat: inde in vniuerſum mare Mediterraneum excurrebant. Neque verò peſtis hæc maris finibus ſe

conti-

continuit, sed in terram hìc illic improuisò egressi, non solùm agros & vicos depopulari ausi, verumetiam vrbes ipsas munitas diuersis regionibus aggressi hostiliter diripuerunt. Sæpe etiam justis classibus cum Romanis Prætoribus congressi, victoriam reportarunt. Itaque quum res illa majus imperium requirere videretur, P. Seruilius Proconsul cum magna classe aduersus eos missus, ipsum belli caput Ciliciam petit. In itinere, quamuis validam & Proconsulari imperio dignam classem ipse duceret, piratæ nihil præter leues Myoparones haberent, conserto nauali prœlio, haud incruentam victoriam retulit. Inde in Ciliciam excensionem fecit, cepitque nonnulla eorum propugnacula. Inter cæteras arcem vnam, Isauron dictum, expugnauit; quod tanti momenti opus videbatur, vt ex eo Isaurici cognomentum, non in præsens modò, verumetiam ad posteros inuenerit. Sed hijs prœlijs irritati sunt magis quàm fracti piratarum animi; nec vllus hujus belli aut modus, aut finis, aut gerendi ratio ostendebatur. Erant enim numero infiniti, qui vt nullum certum ducem habebant, ita inter se concordes, humano generi bellum inferebant: jamque commercia omnia in mari sustulerant. Neque enim mercator aliquis per tam infestas prædonibus vndas vela facere audebat. Itaque nec ex Sicilia, nec ex Ægypto, duobus Romani imperij horreis frumenta ampliùs ad vrbem subuehebantur. Ipsam denique Romanorum classem ad Hostia stantem, nocte portum inuecti, incendio corruperunt. Quare ad cætera,

quibus tum Romana Respub. grauissimè affligebatur, incommoda, fames insuper accessit.

Cap. 27. Erat ea tempestate vir vnus in vrbe Cn. Pompeius iuuenis, olim à Sylla, propter ingens, quod in eo emicabat, ingenij specimen, cultus, *C. Pompeius* & cui soli in Senatum introeunti ferocissimus tyrannus assurgere soleret. Hic quum plurima antehàc belli facinora in Italia, & Hispania edidisset, Sertoriumque sæpè fudisset, & Romani nominis, propter summam in eo cum virtute comitatem coniunctam deliciæ haberetur, ingenti omnium studio ad bellum Piraticum Dux & Imperator vnicus, data ei libera & absoluta bellum illud administrandi & gerendi potestate, in triennium creabatur. Imperium verò ei non solùm in mare, verumetiam in insulas, tanquam maris partem, erat. Addita & continentis quaque versus à mare milliaria quinquaginta, ne piratæ à mare, hoc est, à solo suo profugi, extra Imperium & Iurisdictionē eius vsquam ferè esse censerentur. Frustra enim ei tanquam magno Admirallo, imperium in mare demandatum fuisset, si nihil in littore, nihil etiam in terra, quum piratæ eò se ejecissent, pro imperio facere valuisset. Quinimo inutilis est omnis Admiralli in mare potestas, quæ maris ipsius finibus continetur. Pompeius ne imperium ingenio suo maius adeptus videretur, vniuersum statim mare, quod intra columnas Herculis est, animo complecti cæpit. Itaque viginti quinque legatis bellum hoc gerendum distribuit. Hic Thusco mari cum classe præfuit, ille Siculo, tertius Gallico, quod Mar-

Marsyliæ adiacet; Tiberius Nero Gaditanum fretum tenuit; Marcellinus Ægyptum, Varro Ponticum, singuli suum in mari locum, à freto Phœniciam vsque cum potestate & classe obtinuerunt. Hoc consilio per omnes æquoris portus, amfractus, sinus, & vt ita loquar, crepidines & angiportus quicquid piratarum erat, quasi indagine cincti tenebantur. Ipse Pompeius incredibili celeritate, per omnia maris littora cum instructissima classe discurrebat. Itaque si piratæ vno loco deprehensi, alio vt consueuerant confugissent, in nouas semper & quidem cumulatas hostium stationes incidebant. Nec vllus in toto mediterraneo locus relinquebatur, ad quem tutus illis appulsus relinqueretur: sed ferarum modo in casses & retia agebantur. Omnibus inspectis, Pompeius Ciliciam belli huius originem & fontem petit. Cilices ab omni vetustate rebus nauticis dediti, sed qui nullo vnquam duce aut nauarcho claruerunt, Pompeio cum classe occurrere non dubitabant; non quidem, vt puto, spe victoriæ, sed vt digni qui à tanto duce vincerentur videri possint. Haud aliud periculosius Romanis bellum vllo vnquam tempore exarsit: Sed nec vllam vnquam pari celeritate & facilitate confectum. Quod triennij tempus flagitare videbatur, quadraginta diebus compressum est; quod multo sanguine constiturum, nec minima quidem sanguinis vnciola redemptum est. Vsq; adeò in rebus humanis præualet rei gerendæ rectè instituta ratio: quæ in omni negocio vnica ferè est, modò eam percipiendi mens, homini, vt nunc

Cilices.

Pompeio, a summo numine tribuatur. Piratæ, quum captos se vndique & constrictos cernerent, vltrò se omnes fidei Pompeij commiserunt. Deditis Pompeius, fidem quam facilè dedit, tam fideliter seruauit: mulctam modò illis irrogauit, vtilem planè & optandam victis: Omnes in ciuitatibus procul à maris conspectu positis habitare iussit; nec illi tam facilem, tamque benignam victoris conditionem respuerunt. Sed abjecto maris, cui priùs assueuerunt, desiderio, terras sibi addictas, non aliter quàm si eas à patribus accepissent, diligenter omni vita coluerunt; Ingens virtutis, consilij, fœlicitatis exemplum; & cui nihil vnquam mare vel simile vidit, vel secundum.

Cap. 28. Bello Piratico confecto, & deposito quod ad id bellum gerendum susceperat imperio, Pompeius aduersus Mithridatem, iterum iam rebellantem mittitur, in quo bello dum ille multa cum laude & gloria versatur, dum Regem ipsum non solùm regno, verumetiam vita expellit, dum omne Ponti regnum, hoc est, quicquid terrarum inter duo maria Euxinum & Caspium, quicquid inter Tanaim & Volgam fluuios, vsque ad vastas illas Moscouiæ, Russiæque solitudines interjacet, in prouinciæ formam redigit, omnesque ad orientem populos ingenti rerum successu domat. Mare nouis iterum bellorum fluctibus agitari cæpit; in quo Romani post deuictos piratas Cretæ insulæ, quæ nunc Candia dicitur, bellum intulerunt. Crimini datum quòd Mithridati duobus prioribus bellis (ter enim ille bellum populo Romano intulit)

Cretæ insulæ expugnatio.

tulit) plùs quàm Romanis fauisse viderentur. Ad hoc bellum missus primùm M. Antonius plures catenas quam arma ad id bellum tulisse dicitur. Cretenses venientem oportunè in mare nacti classem omnem capiunt, militesque ad antennas suspensos vrbi ouantes inferunt. Quam contumeliam vltus paulò post est Q. Metellus. Hic cum classe firmiore, meliusque instructa, quàm Antonius fecerat, rem aggressus, magni nominis insulam, multo incolarum sanguine inundauit. Cuius consanguineus alter Metellus Baleares insulas adortus, nouum prœlij naualis genus expertus est. Baleares post extinctos Cilices suo nomine piraticam exercere cœperunt: ad hos perdomandos (domiti enim & antea sæpe fuerant) missus Metellorum alter: cui intrepidè occurrerunt loci incolæ, ratibus quidem inconditis, sed fundis, quibus plurimùm à pueritia assueuerant, instructi. Hijs Romanos arcent, hijs conserto prœlio venientium ora ita certo ictu conuulnerabant, vt raro aliud in mare illis æquè molestum acciderit. Sed ista pugnarum ludibria, non vltrà tulit Romana virtus. Alij alios hortati impressionem faciunt, comminusque congressi omnem fundorum vsum hosti eripuerunt. Itaque consanguineus consanguineo cognomine æquatus: vtque ille Creticus, ita hic à deuictis Balearibus, Balearicus appellatus. Restabat Cyprus omnium in mari mediterraneo post Siciliam insularum & maxima & ditissima, sed Ptolomeo Romani imperij pupillo subdita: huic bellum inferre placuit: cuius causa nulla erat, nisi quòd

Victoria Cretensium de Romanis.

Baleares expugnati.

diuitijs

Cyprus à Romanis expugnata.

diuitijs ſupra cæteras ex longa pace abundabat. Miſſus itaque cum claſſe M. Cato, inſulam nemine repugnante intrauit: tulitque inde ſpoliorum quantum nemo vnquam Romanorum dux ex vlla terra in triumphum tulerat.

Cap. 29.

C. Cæſar.

Dum iſta in mari mediterraneo ab aliis Romanis ducibus geruntur, C. Cæſar bellum in Gallia contra ferociſſimas gentes ferociter & ipſe geſſit. Tertius iam ejus belli annus agebatur, quum Veneti qui Armoricam, hoc eſt, ſi vim verbi ſpectamus, oram maritimam, in occiduo Galliæ littore incolebant, rebellare cæperant. Venetorum autem ſedes ea erat, quæ nunc à Britonum colonia, eò ex hac noſtra, circa Conſtantini Magni tempora deducta, Britannia minor appellatur. Cæſaris verò tempore ipſa regio Venetia dicebatur: ſuperatque adhuc in ea vrbs, quæ priſci vocabuli ſonum retinens, etiamnum Vannes dicitur. Cæſar quum Venetos legatos ſuos retinuiſſe, hoc eſt, vt ipſe interpretabatur, jus gentium violaſſe cognouiſſet, properè ex Italia in Galliam venit; quoniam verò hunc potiſſimum ex omni Gallia populum rei nauali ſtudere non ignorabat, præcipuam claſſis parandæ curam & ipſe habuit. Iam ante ejus aduentum M. Craſſus, egregiæ indolis adoleſcens, quùm naualem maximè contentionem cum Venetis fore præſenſiſſet, omni ſtudio claſſem in Pictonibus, cujus præcipua ciuitas maritima Rupella fuit, ædificabat. Cæſar quum in Galliam veniſſet, D. Brutum Craſſo ætate parem (multis enim adoleſcentibus Cæſar, indolem potiùs quàm ætatem ſpectans legatis

Armorica.

Veneti Gallorum.

Vannes.

gatis vtebatur) claſſi præfecit: & quamprimùm poſſet, in Venetos mouere iuſſit. Ipſe eodem cum copijs terreſtribus contendit. Tardius Brutus ventis aduerſantibus peruenit. Interim Veneti & vſu maris pollentes, & locorum peritia freti, plus in maritimis quàm terriſtribus copijs fiduciæ collocabant. Itaque quum Brutus eò tandem cum claſſe appuliſſet, Veneti cum ducentis viginti nauibus, in aduerſum prodierunt. Nauium forma hujuſmodi erat; carinæ aliquanto planiores, vt vada & deceſſum æſtus faciliùs exciperent, & per breuia expeditiùs ferrentur: Erat autem ora illa vt plúrimùm vadoſa, nec majorum nauium incuruis & acutis carinis ſubnixarum patiens. Proræ abſque turribus admodum erectæ, puppes adhuc celſiores erant, ad magnitudinem fluctuum tempeſtatumque quæ violentiùs multò,& maioribus aquarum molibus in oceano inferebantur, accommodatæ. Nec forma modò à Romanis differebant, verumetiam materie: ex abiete illæ fiebant: quæ vt aduerſus putredinem & cariem omnium arborum tutiſſima erat, nec ſolibus expoſitæ rimam facile ducebat, ita fragilis eadem, & ad roſtrorum incurſantium ictus ſuſtinendos futilis habebatur. Venetorum verò naues ex robore omnes erant. Quo factum eſt, vt non ſolùm oceani & ventorum iniurias leuiùs perferrent, verumetiam incurrentium nauigiorum ex abiete confectarum vim mole ipſa & duritie ſua retunderent. Nec aliter ad has illæ quàm ad cautes & ſcopulos allidérentur: pro funibus anchorarijs catenis ferreis vtebantur:

Brutus Nauarchus à Cæſare conſtitutus.

Nauium Gallicarum forma & apparatus.

tur: vela non, vt alijs, ex lino erant, sed pellicea. Rudentes non ex canabo, sed ex amentis & alutis confecta. Brutus quid potissimum in re noua faceret, aut quam pugnæ viam iniret, paulisper addubitabat. Rostris si incurrisset, in certissimam perniciem ruiturum apparebat. Sed nec circumcursatio, quod in prælijs mediterraneis fieri consueuit, aut remorum hosti detergendorum ratio alicujus in ea pugna vsus futura videbatur: non enim ibi remis omnino, vt tum mortales, inter pugnandum, sed vt horum temporum ratio fert, velis ad omnes inflexiones dexterrimè vtebantur. Porrò tanta erat illarũ præ Cæsarianis altitudo, vt non scandendi in illas, sed nec tela ex tam humili loco in eas adigendi facultas Romanis esset. Reliqua vna erat, salutis eadem & victoriæ via, falces ferreas, longis admodũ perticis affixas, à Pictonibus & Santonibus, qui eodem littore ad Austrũ inter Ligeris fluuij os & Garumnæ ostiũ habitabant, admoniti, ex tempore comparabant. Hijs ad latera nauium cum ingenti periculo subeuntes, funes chalatorios, seu opiferos, hoc est, rudentes, quibus vela suspendebantur, præciderunt. Quibus præcisis immobiles confestim in mari stabant Venetorum naues, nisi quantum æstu propellerentur. Nec jam ampliùs nauali prælio similis res erat; sed castellorum oppugnationes ea pugna referebat. Et Romanus miles, vallos reuellere, & vrbium mænia scandere assuetus, sublatis supra caput scutis testudine in hostium naues euadebat. Iam omni parte inæqualis pugna erat, & Romana virtus omnia

Pugna naualis prima in oceano commissa.

nia

nia ſuperabat. Addidit pugnantibus animos exercitus in littore ad ſpectaculum effuſi clamor, & ſpectator Cæſar; quo tempore incidit etiam tanta maris tranquillitas, vt cælitùs ad ius gentium à Venetis violatum vindicandum immiſſa videretur. Itaque ex ducentis viginti maximis fortiſſimiſque nauibus vix vlla effugit. Pugna naualis multis caſibus memorabilis, nullo tamen memorabilior, quàm quòd omnium in mare extero, quem oceanum dicimus, commiſſorum prima, quæ ad noſtrum notitiam peruenerit, celebratur. Maris enim vſum, & non vulgarem rerum nauticarum notitiam priſcis illis Oceani accolis fuiſſe, multis in eam rem rationibus prolatis, confirmare poſſem. Vt illud hic repetam quod paulò ante, dum Sertorij res geſtas ex Plutarcho referrem, protuli, quantæ quæſo peritiæ res erat, Beticæ in Hiſpania oræ nautas ad Canarias vſque inſulas, procul omni terræ aſpectu abreptos ordinariæ mercaturæ faciendæ cauſa proceſſiſſe? Iam Veneti iſti in Gallia, cum tam numeroſa, tam inſtructa claſſe, parumnè indicabant ſe non nauigandi modò, verumetiam in mare pugnandi vſum & rationem longè ante tenuiſſe? Scilicet; ſine claſſe, ſine pugnâ, ſine nautica diſciplina, totam illam Galliæ oram ſibi vectigalem fecerant, & perpetuam mercaturam in hac noſtra Britannia exercuerant. Sed enim ad hæc vſque tempora mare illud concluſum rerum nauticarum vnicum in terris theatrum & ſcæna fuiſſe videtur, quòd res alibi in mare geſtæ, nullis literarum monumentis memoriæ noſtræ commen-

dantur: posteriora deinde sæcula suum rebus in Oceano gestis splendorem pariter non inuidebant.

Cap. 30. *Cæsaris in Britanniam transitus.*

Cæsar sub eiusdem æstatis fine ad res in Morinis sedandas auocatus, & albentes ex aduerso Britanniæ scopulos inde contemplatus, magno ejus, si non perdomandæ, attamen pro tempore intrandæ & visendæ desiderio tenebatur. Erant autem Morini, omnes à Somi in Gallia fluminis ore, ad Rheni vsque ostia populi. Cæsar igitur, contractis vndique ex Venetia, alijsque Armoricis, hoc est, maritimis (vt rectè Popellinierus in suo Galliæ Admirallo eam vocē interpretatur) regionibus centum circitèr nauium classe, inde octo paulo minùs horarum spatio in aduersum littus trajecit. Dum milites exponit acre in ipso littore prœlium conseritur. Fusis deinde Britannis Romani terram tenuerunt, vbi dum consilijs magis quàm prœlijs rem gerit Cæsar, acerrima tempestas, & eam partem classis qua equi ferebantur rejecit, & ipsam classem qua Cæsar trajecerat, non ea qua oportuit cura subductam & munitam, sed ad anchoras in salo temerè stantem, grauiter afflixit. Qua occasione moti Britanni, conceptâ etiam de opprimendo Cæsare cum tantillis copijs (octo enim erant, non ampliùs, millia) spe, pacta in quæ iam conuenerat, ruperunt, & de obsidibus quos dederant parùm soliciti, bellum Romanis renouarunt. Cæsar prœlio superior properè in Galliam remeauit, fugæ magis quàm victoriæ, vt tum æmuli eius sermonibus ferebant, speciem præbens.

Proxima

Proxima deinde æstate cum mille nauium classe, ad eandem Britanniæ regionem appulit. Quo tempore nouum Hippagogorum, hoc est, ad equos transferendos nauigiorum genus excogitauit. Etenim quum onerariæ omnes ante illa tempora bellicis multò editiores essent, eas nunc Cæsar, quùm ad equos aliosque commeatus faciliùs vel excipiendos, vel exponendos depressiores, tum ad maiorem oneris vim ferendam, vterosiores fieri mandauit. Hoc traiectu nullum maris ventorumuè iniuriã sensit Cæsar: nec descensum eius hostes impedierunt. non enim classem Britanni, quam ei in mare opponerent, habebant. Cæsare verò longiùs in terram ad Cassiuilanum Regem summæ rerum à cæteris insulæ Regulis præfectum quærendum progresso, sæuissima tempestas naues partìm in mare deprehensas, partìm in littore hærentes vel demersit, vel confregit. Qua in re illam suam fælicitatem prædicat Cæsar, quòd non milite, non commeatu repletæ, sed inanes omnes perierunt; & captiuos quidẽ aliquot hac expeditione inde retulit, diuitiarum reliquarum nihil, præter natiuas littoris nostri margaritas, ex quibus thoracem omni auro pretiosiorem Veneri, ad quam stirpem gens Iulia referebat, Romæ dedicauit. Harum verò gemmarum vena ab auidis illis Romanorum manibus citò exhausta penitùs exaruit.

Cap. 31.

Margarita.

Cæsar perdomitâ Cantij prouinciâ, acceptisque obsidibus, in Galliam redijt: vbi bellum illud omni qua potuit celeritate confecit, vt tam longa, tamque difficili militia indu-

Cap. 32.

ratum

ratum exercitum, ad bellum ciuile, quod cum Pompeio instabat, in Italiam deportaret. Cujus non solùm non aduentum, sed ne aduentus quidem famam tulit Pompeius, sed arrepto Brundusium itinere, quum & vrbem & portum communijsset, Dirrachium in aduerso Epiri littore situm trajecit; vt duobus illis veluti Italiæ Græciæque claustris occupatis, colligendi se (erat enim hoc tempore ad tantum bellum, & contra tantum ducem suscipiendum imparatissimus) & copias terrestres naualesque ex Græcia totoque adeò Oriente contrahendi spatium nancisci posset. Abeuntis vestigia pressit Cæsar, & instituta Brundusij, in qua Pompeium esse cognouerat, obsidione ante omnia fauces portus, jactis vtrinque molibus, & superinstructis turribus præclusit, vt siue inde abire pararet Pompeius, fugæ copiam non haberet, siue obsidionem tolerare, commeatum mari ei intercluderet. Sed ea Cæsaris operа Pompeius majoribus statim operibus disjecit. Veruntamen quum Brundusinorum animos communi Italiæ inclinatione in Cæsarem propendere animaduertisset, milites silentio nauibus impositos, Dirrachium transduxit. Cæsar quum nullam nauium in præsenti copiam haberet, Romam redijt. Hispaniam inde petiturus, quæ à partibus Pompeij firmissimè tum stabat, in itinere Marsyliam venit: vrbe recipi se petit. Marsylienses sua neutralitate se defendere, precari; rogare, ne vrbem pacis & otij cupidam, & fidissimam imperij Romani omni tempore clientem, in bellum traheret: suæ nec

Marsylia.

faculta-

facultatis nec juris eſſe, vter duorum Cæſar an Pompeius cauſam foueret juſtiorem, exiſtimare. Denique rem per ſe impetrabilem tam demiſſa inſuper oratione, & à ſtudio partium ſic remota agebant, vt Cæſar de media aliqua ratione cogitare non grauaretur, qua nec illis neceſſitatem ſe recipiendi imponeret, nec ipſe vi potiùs quàm voluntate incæpto deſtitiſſe videretur: quùm ſubitò Domitium partium Pompeianarum ducem cum claſſe portum intrantem, effuſamque ad eum recipiendum omnem ciuium multitudinem conſpexit. Ea res vt hoſtium numero à Cæſare haberentur, effecit. Quoniam verò omnis vrbis maritimæ obſidio ſine nauibus haud rectè inſtituitur, ideo materiam confeſtim ex ſyluis cædi, & naues longas duodecim extemplò fabricari mandat: quibus trigeſimo à ſecuri die in mare deductis inſtructiſque, D. Brutum, cujus egregiâ in re nauali operâ aduerſus Venetos in Gallia vſus fuerat, præfecit; juſſum vt obſidionis rem mare adminiſtraret. Terreſtrem enim oppugnationem Trebonium curare juſſerat. Ipſe quum tantulæ rei occupationem Hiſpaniæ recipiendæ præponendam non eſſe exiſtimaret, eò cum reliquo exercitu ad Afranium, Petreiumque & Varronem Pompeij legatos ſubjugandos terreſtri itinere per Pyrenæi montis juga contendit. Domitius, quum & quanti momenti rei maritimæ poteſtas eſſet non ignoraret, & Pompeio cœtera omnia in mare tenente, ſi ſua tantùm pars auelleretur, flagitium fore duceret, claſſem Cæſareanâ ampliorem comparat:

 eam

Albigenses. eam Albico milite complet. Erant Albici Galliæ populus, qui montes ſupra Marſyliam poſitos incolebant; moribus, vt reliquæ tum Galliæ partes, agreſtioribus: ſed magna præ alijs animi conſtantia & virtute præditi, vt ne quidem, quod ipſe Cæſar non diſſimulat, Romano militi pari congreſſu cederent. Hij ſunt, qui temporis progreſſu Albigenſes dicebantur, quique haud paulò atrocioribus pro fide Chriſti ventis & tempeſtatibus jactati, circiter annum domini milleſimum trecenteſimum non ingloriam rerum, vitæ, nominis denique ipſius, niſi quantum fama ſuperat, jacturam faciebant. Hoc milite inſtructus Domitius, cum Bruto nauali prœlio congredi cupiebat: nec Brutus pugnæ diſcrimen diffugiendum eſſe exiſtimabat. Bis congreſſi, quum reliquis omnibus ſuperior, virtute non impar Domitius eſſet, peritia Bruti & genere nauium vtroque prœlio ſuperatur. Toto mari pulſus miſeros Marſylienſes ſuis jam viribus ſtare juſſit. Eos Cæſar ex Hiſpania deuicta omnium opinione celeriùs reuerſus, vetere vrbis fama & dignitate motus, deditos non occidit, non vrbe exuit, nec inclementius quicquam in eos ſtatuit, quàm vt pecuniam in ſtipendium, eamque non magnam, pendere juberet.

Cap.33. Omnium ad Occidentem domitor Cæſar, citato itinere, & vrbe in tranſitu tantummodò ſalutatâ, Brunduſium venit, inde in Epirum, quæ à Pompeio tum tenebatur, transfretaturus. Pompeius annum jam ad apparatus bellicos faciendos

ciendos nactus, exercitum quidem terrestrem magnum, copias verò nauticas immensas parauerat, quibus omnes ab Illyrico Peloponesum vsque portus compleuerat. Id ea ratione fecit, vt Cæsarem transitu in Græciam prohiberet. Cæsar quamuis rerum nauticarum angustijs non mediocritèr premeretur, nauibus tamen è Sicilia & omni Italiæ ora, quæ tota jam ejus erat, sine delectu accersitis, Pompeium belli caput & causam petere parabat. Quoniam verò copias omnes vno commeatu trajicere non valuit, ideò ipse primùm cum parte exercitus transmisit. Eo tempore rei naualis Pompeianæ summæ præerat Bibulus, vir à Cæsare propter hebetiorem in rebus gerendis sensum jampridem contemptus. Is si portus omnes occupasset, omnia à Cæsare tuta fore existimabat. Cæsar autem omnem maris oram viro forti portum esse ratus, vacuum littus, juxta Ceraunios, qui Oricum inter & Apolloniam medij montes jacent, nactus, eò se & exercitum, nihil dum sentientibus Pompeianis, ejecit, munitisque statim castris, naues Brundusium ad reliquum exercitum adducendum remisit: postero die, Oricum & Apolloniam, vrbes maritimas & portu opportunas se dedentes recepit; quas deinde tota ferè Epirus littoralis sequuta est. Id Bibulo documento fuit, non portus modò, verumetiam oras maritimas, si hostem transitu prohibitum vellet, classibus in posterum firmandas esse; idque posteà diligentèr administrabat. Diligentiæ præmium primo statim die tulit. Dum enim audito Cæ-

ſaris ad Oricum appulſu, effuſa omni claſſe mare occupat, forte fortuna in triginta onerarias ad ſecundum commeatum faciendum à Cæſare, ſicut diximus, Brunduſium remiſſas incidit: eas omnes indagine cinctas cæpit, captaſque cum dominis & remigibus crudelitèr incendit. Quæ res Brunduſium perlata, metum trajiciendi legionibus injecit. E diuerſo Cæſar omnem oram maritimam, diſpoſitis vbique præſidialibus cohortibus, ſeruabat, vt nullum Bibulus vel aquandi vel frumentandi facultatem toto Epiri littore haberet. Corcyrâ aquam accerſere neceſſum erat: quæ quoniam tardiùs ex longinquo ſubuehebatur, tanta ſæpe aquæ dulcis inopia claſſis ejus laborabat, vt rorem nocturnum corijs, quibus naues integebantur, inſidentem, ad ſitim pellendam lambere, ac ſicubi major ejus copia appareret, vtribus excipere cogerentur. Ita nec mare Cæſari, nec terra Bibulo pro tempore patebat. Sed Bibulus dum præſens omnia luſtrare & agere, & nocturnis diurnas vigilias continuare vult, prouectior alioqui ætate, & valetudine parùm ſecunda vſus, contracto mox morbo extinguitur. Inde rei naualis adminiſtratio, quæ ante vnius erat, plurium eſſe cæpit; quod Cæſari non incommodè cecidit. Dum enim ita ſuam quiſque partem cum cohorte nauali ſibi attributa tuetur, vt nemo vnus ab altero penderet, ſumma rei negligebatur. Qua captata occaſione Antonius Cæſaris legatus reliquam exercitus Cæſariani partem inter ſtationes hoſtium elapſus, & priuſquàm illi ad impediendum conuenire

nire possent, prope Lissum vrbem, inter Dirrachium & sinum Rizonicum positam, quæque nunc, variato nomine, Alessio dicitur, exposuit. Veruntamen dum Dirrachium prætervehitur, Q. Coponius legatorum Pompeianorum vnus, & qui classi Rhodiæ in eo portu præerat, eum conspicatus, naues properè educere, & Antonium insequi maturabat. Sed quum prior se Antonius tuto littore condidisset, sæuissima mox ab Austro ingruens tempestas, vniuersam classem Rhodiam afflixit. Remiges & milites Rhodij qui naufragio supererant, omnes in Antonij potestatem venerunt; eos Cæsar dissimili à Pompeianis ingenio vsus, conseruatos in patriam remisit. At enim eodem tempore Octacilius Crassus Pompeianus, cum nauem vnam Antonij, quæ cursu tardior reliquam classem non æquauerat, ad se dedendam, pactione salutis interposita, pellexisset, contra fidem datam omnes immanissimè trucidabat. Sequuta deinde est Dirrachij obsidio, in qua Cæsar & Pompeius omnibus inter se militaribus & imperatorijs artibus ita certabant, facilè vt constaret, neutrum eorum ab vllo tertio vinci potuisse. Quoniam verò minima hujus obsidionis pars maritima, aut naualis fuit, ideò eam, veluti rem à nostro instituto alienam tacitus prætermitto.

Cap 34. Eodem tempore Pompeius suis classibus omnia in mare obtinebat. Quo factum est, vt Cæsar non solùm terra, verumetiam mari omni commeatu excluderetur: neuè quam spem Pompeius Cæsari in mari relinqueret, Cn. filium

Cn. Pompeius filius

classi Ægyptiacæ, propter eximiam in tam viridi ætate ad res marinas indolem, præfecit. Cn. Pompeius Magni filius cum classe statim profectus, longas naues Cæsaris ad Oricum subductas, expugnato repentè portu, incendit, & inde Lissum profectus, triginta alias naues Gallicas (Pontones appellabant) pari peste absumpsit, vt si forte Pompeius bellum ex Græcia, quod quidam eum moliri existimabant, in Italiam transferre voluisset, nullam Cæsar ad insequendum facultatem reliquam habiturus videretur. Supererant adhuc duæ Cæsaris classes, quarum altera ad Messanam in freto Siculo, altera ad Vibonem in Hispania stationem habuit. Erat vtraque classis ad res Cæsaris in Græcia juuandas parùm vtilis, non solùm propter longinquitatem, qua aberant, verumetiam propter virium, si adfuissent, tenuitatem. Veruntamen ne quid reliquiarum toto mari Pompeius haberet, Cassium Messanam ad classem Siculam opprimendam misit. Cujus aduentu Pomponius, qui classi præerat, ita conterrefactus est, vt primum ejus impetum non sustineret, itaque classem ipsam nullo resistente incendit, vrbem ipsam occupaturus, (tanta erat intùs trepidatio) si ad audendum animus Cassio non defuisset. Inde Vibonem in Hispania contento itinere abit, vbi classem numero nauium aliquanto ampliorem (octoginta nauium classis erat)reperit: quam vniuersam primo aduentu expugnasset, nisi legionarij qui præsidio vrbi erant, classicorum ignauiam pertæsi, naues ipsi conscendissent, & strenuè magis quàm

scientèr

ſcientèr pugnando hoſtem ſummouiſſent. Inceptum tamen Caſſius, nec cuiquam id dubium erat, breui peregiſſet, niſi Pharſalicæ pugnæ fama aduenisſet. Ea res partes Pompeianas toto orbe afflixit: ipſe Pompeius, fuga ad mare delatus, quum Syriam primò petere ſtatuiſſet, certior factus omnia ibi poſt pugnam ad Cæſarem inclinare, in Ægyptum abijt. Quumque ab alto Ptolomæum Regem cum exercitu ad paludem Sirbonidem, inter Peluſium & Palæſtinam mediam conſpexiſſet, legatos ad eum miſit, per hoſpitium paternum & ſuam amicitiam, rebus afflictis ſubſidium & opem petituros. Summæ rerum ſub Rege puero præerat Achillas. Is humani ingenij more, pluris victorem, quàm victum faciens, nec ciuilibus Romanorum armis Ægyptum immiſceri volens, miſit, qui Pompeium, priuſquàm terram tangeret, interficerent. Hij vili nauigio profecti, hortantur Pompeium vt ex naue prætoria in ſuam tranſcenderet, cauſati vadoſum illud eſſe mare, & majorum nauigiorum haudquaquam patiens. Vbi tranſcendiſſet, Septimius quidam, genere Romanus, ſed qui pridem ſub Gabinio Cæſaris amico ſtipendia fecerat, & tum Ptolomæo militabat, in auerſum primùm vulnus inflixit; pluribus deinde vulneribus confoſſus, integro tamen corpore ad terram Regi conſpiciendus defertur. Ibi capite reſecto & in aduentum Cæſaris reſeruato, reliquum in littore ſub Caſio monte ſepelitur, quod ab Adriano poſteà imperatore, dum per illa loca ex Ægypto Syriam petens tranſiret, erutum,

agnitum, & honestiori paulò sepulturæ traditum memoratur.

Cap.35. Interim Cato cum trecentarum triremium classe ad Corcyram stabat. Eò L. Scipio Pompeij socer, eò Labienus, & Scapula, eò denique reliqui Pompeij amici, prælio Pharsalico superstites contenderunt; rati Pompeium eodem potissimùm, si copia daretur, appulsurum. Sed enim quum eum non solùm tantæ classis, verumetiam maximarum in Africa copiarum immemorem Asiam & Ægyptum fuga petijsse, fama referente, accepissent, classem inter se partiti, diuersa petierunt. Scipio cum Catone in Africam, vbi Varus validissimas legiones Pompeianas tenebat, & Iuba Mauritaniæ Rex easdem partes multa virtute sustinebat, abijt. Sex. Pompeius Magni filius natu major, cum Labieno, Scapula, & alijs in Hispaniam properabat. Cassius in Pontum nauigauit, ad Pharnacem Mithridatis magni filium, contra Cæsarem concitandum. Cæsar biduo Pharsali, ad cæsorum corpora humanda, & res Græciæ constituendas commoratus, vestigia Pompeij sequitur; quumque eum in Asiam trajecisse accepisset, ipse eodem paucis contractis nauibus transmisit.

Cassius. In itinere occurrit ei Cassius, septuaginta triremium classe instructus; ea enim iter in Pontum ferebat. Cassius notæ alioqui fortitudinis & audaciæ vir, quique Cæsarem odio acerrimo persequeretur, eum conspicatus, ratusque ad se opprimendum venire, quum lauream Pharsalicam Cæsaris capiti detractum suo imponere posset, vinci maluit, supplicesque ad Cæsarem

manus tendens, vt sibi ignosceretur ab eo petiit, cui ipse, si animus fuisset, vel veniam dare, vel vim facere pro arbitrio suo potuisset. Et tamen hic ille fuit Cassius, qui hunc eundem Cæsarem posteà in curia Romana totius imperij Romani viribus succinctum, immani ausu aggressus, primum ei vulnus inflixit. Cæsar accepto in fidem Cassio, Mytilenem abit. Eò enim Pompeius ad Corneliam vxorem tetendisse acceperat. Sed ante Cæsaris aduentum Pompeius cum vxore inde soluerat. Cæsar paucis diebus Mytilene moratus, quum Pompeium ad Cyprum insulam visum fuisse intellexisset, ratus, id quod erat, in Ægyptum profugisse, cum decem Rhodiis paucisque aliis ex Asia nauibus, maiestate Imperij (Consul enim erat) & rerum à se gestarum famâ, quam viribus instructior, Alexandriam auolat. Tertio quam Rhodo soluerat die Alexandriam peruenit. Ibi in sui gratiam Pompeium cæsum esse intellexit. Vrbem ingressus, fasces Romanos & secures anteferri iussit. Id primùm stomachum Alexandrinis mouit, Regiam maiestatem eo ausu minui haud frustrà existimantibus. Aliam deinde belli causam dabat Cæsar; Ptolomæus eo tempore bellum cum Cleopatra sorore de Regno Ægypti habuit. Eam controuersiam Cæsar, ad P. R. & ad se Cos. spectare ratus, edixit, sibi placere vt vtrinque ab armis discederetur Regesque apud se iure, non inter ipsos bello, disceptarent. Id verò Achillas & Photinus, qui pupilli nomine liberam rerum administrationem habebant, indig-

num

num planè, nec ferendum esse dicere. Itaque ad arma tota vrbe discurritur.

Cap.36. Erat quinquaginta, quà triremium, quà quinqueremium classis, apparatissimè instructa, & ad Pompeium ante pugnam ad Pharsalum commissam auxilio à Rege missa: Hæc quum ad Græciæ oram peruenisset, intellecto pugnæ euentu, Alexandriam eodem tempore redijt, quo prœlium in vrbe inter Cæsarem & Achillam acerrimè conferebatur. Erant præterea in portu viginti duæ naues, constratæ omnes, quæ ordinario vrbi præsidio erant. Par cura vtrumque ducem de hijs classibus solicitum habebat. Achillas, si in classem Cæsarianam impetum fecisset, facilem sibi de ea (tantilla quum esset) certamque victoriam promittebat. Quoniam verò hoc quandocunque vellet, pro arbitrio patrari posse existimabat, à præsenti in vrbe certamine diuertendum non esse censuit. Cæsar qui pugnæ terrestris finem, naualis principium fore prouidebat animo, relictis qui hostium vim ad munitiones sustinerent, ipse cum classe sua profectus, naues omnes hostium non solùm quas stantes in portu reperit, verumetiam in publicis naualibus inuentas succendit. Quod eò faciliùs fecit, quoniam quæ redierant naues fama viri terrebantur, & veluti injectis compedibus hærebant animis. Qui verò classi præsidiariæ præerant, ideò consilium explicare, aut quid potissimùm in re subita facerent statuere non valebant, quod hinc Cæsarem, & P. R. majestatem, & cum eo Regem Ptolomæum, pupillum ipsum, & eius tutorem

Photinum,

Photinum, illinc & Achillam, & quicquid Ægyptus virium haberet stare animaduertebant. Itaque consilij incertos aggressus Cæsar, prius oppressit, quàm se colligere, & arma expedire possent. Nec eo contentus, eodem impetu Pharon occupauit. Erat Pharus insula quædam littori Alexandrino obiecta, quæque obiectu suo portum efficiebat. Hæc mille ferè passuum aggere iacto & ponte medio vrbi adiungebatur. In hac insula erant domus Alexandrinorum, & vicus, oppidi magnitudine: inter scopulos & vada angustus in portum introitus erat. Pharitis mos erat, si nauis peregrina, siue errore viæ, siue tempestatibus acta naufragium eò loci fecisset, eam veluti rem iuris sui factam diripere: quem morem, vt ab vsu ciuili alienum, aboleuit deinceps ius ciuile Romanorum. Sed vt ad Pharitas redeam, angustus adeò erat per eam insulam in portum Alexandrinum introitus, vt illis inuitis à nemine intrari posset. Itaque eâ occupatâ liberum ab omni parte siue copijs, siue commeatibus accessum habiturus erat Cæsar; non occupatâ, omnibus ad belli vsum rebus necessariò carendum erat. Hæc ei causa insulam tam alieno, vt quidem videbatur, tempore, aggrediendi & occupandi fuit. Rebus in ea constitutis, ad suos in vrbem redit Cæsar, quos ex mandato suo, pugnam sustinentes magis quàm cientes reperit. Vbi nox prœlium diremisset, paucis horis ad quietem militi datis, rursus operibus in vrbe perficiendis insistit. Itaque continuato ad lucem opere, vallum fossamque ea firmitate duxit, vt quam occupa-

Pharus.]

uerat

uerat vrbis regionem, contra totius Ægypti vires facilè se defensurum esse confideret. Tum ad classis curam conuersus, eam non solùm tueri, verumetiam accersitis Rhodo nouis copijs augere statuit. Interim Alexandrini non sic classe amissa despondebant animos, vt de noua paranda omni studio non cogitarent: Itaque veteres quasdam naues ex antiquis Regijs naualibus deductas reficiebant. Nec vlli in tota vrbe Alexandrina, sua tam chara domus erat, vt non inde materiam, ad classem vel reparandam vel instruendam, detraheret. Inde factum, vt paucis diebus, præter Cæsaris spem, ingens Alexandrinorum classis in portu, veluti mari enata appareret. Cuius potissimum robur erant quadriremes viginti duæ, quinqueremes quinque, constratæ omnes: reliquæ enim & infra illã magnitudinẽ erant,& apertæ.Classis, verò Cæsariana, nouem Regijs, Ponticis octo, ex Lycia quinque, Asiaticis duodecim constabat. Ex hijs quinqueremes erant quinque, quadriremes decem, cætera nauigia Alexandrinis, præterquam quòd numero cedebant, paria.

Cap. 37. Hijs confisus Cæsar, dimicandi auidus Pharon classe circumuehitur, aciemque in conspectu hostium dirigit. In dextro cornu Rhodias naues collocat: ijs præerat Euphranor dux, vir Cæsaris iudicio Romanis, quàm Græcis hominibus vel animi virtute vel belli vsu similior. Nec Alexandrini detrectabant, sed magna animi fiducia cum classe in medium procedebant: naues viginti duas in fronte collocant, reliquam multitudinem secundis tertijsque ordinibus

Pugna naualis ad Alexandriam

dinibus in subsidijs constituunt. Breuia erant inter duas acies media, angusto adeò alueo, vix vt bina nauigia in fronte caperent. Vtra pars prior transijsset, periculum erat ne priùs ab hoste circumuenta opprimeretur, quam à socijs succurri aut subueniri posset. Euphranor quum anxium animi & consilij dubium hærere Cæsarem animaduertisset, sic prior alloquitur; Videris mihi, inquit, Cæsar, vereri, si hæc vada primus intraueris, ne priùs dimicare cogaris, quàm reliqua classis subsequi possit; nobis Rhodijs rem permitte; nos vadum primi intrabimus, & impetum hostium tantisper sustinebimus, donec reliqua classis in pugnam successerit: nec tuum de nobis iudicium hac in re fallemus. Grata erat oratio Cæsari. Itaque macte hac tua virtute, inquit, Euphranor esto: Perge bonis auibus, & Rhodiæ gentis in re nauali gloriam hodierna pugna dijs iuuantibus auctiorem redde: simul pugnæ signum proposuit: & Euphranor cum quatuor quadriremibus alueum ingressus, vadum impigrè quum transisset, tota statim Alexandrinorum classis eum circumsistit. Sed tantus erat Euphranori in re nauali vsus, ea nauium agilitas, & remigum in remis, gubernatorumque in gubernaculis tractandis exercitatio, vt quacunque parte se inferret hostis aduersis semper proris indueretur. Interim Cæsar cum vniuersa classe per vadorum fauces in apertum mare transgressus, aciem instruit. Iamque omnibus viribus concurritur, mutuisque rostrorum ictibus naues, mutuis telorum iactibus viri conuulnerantur:

Euphranor.

rantur: pugnam ipſam hinc Alexandrini, illinc Romani, ex ædificijs, ex molibus, ex omni denique loco, vnde deſpectus in mare erat, (ſub ipſis enim mœnibus gerebatur res.) ſpectabant; magis illi, quàm qui pugnâ miſcebantur, trepidi: vt qui rem fortunamque ſuam in aliena virtute & fœlicitate poſitam eſſe non ignorarent. Itaque ſuis quique inclamabant: illi vtrinque ſtrenuè rem gerere, & quiduis potiùs, quàm vulnera & mortem pertimeſcere; maximè Romani, quibus vel egregiè vincendum erat, vel in veſtigio moriendum. Nulla enim tertia oſtendebatur ratio: à fronte hoſtis, à tergo & à lateribus vada erant. Omnium verò oculi maximè in Euphranore defigebantur: qui non ſolùm audaci incæpto conſpicuus, verumetiam eodem virtutis tenore ad finem pugnæ in hoſtem graſſatus, ſuis pariter & Ægyptijs mirandus apparebat. Et ipſe Cæſar, ne nominis ſui fulgore, & magiſtratus inſignibus magis quàm virtute & rebus manu geſtis ſplendere exteris videretur, quà conſertiſſima volabant tela, egregiè pugnandi exemplum ſuis & autor aderat. Nec Ægyptij ſe vel Ptolomæis Regibus, vel antiqua gentis ſuæ gloria indignos illo die oſtenderunt. Veruntamen quum intolerabili impetu hinc Cæſar ipſe, inde Euphranor ſe inferrent, poſt diuturnam pugnam Ægyptij fortioribus, quod neceſſe erat, cedere coacti, paulatim primò pedem referebant, mox in fugam effuſi ociùs ad terram perfugerunt. Fugientibus inſtare Cæſar, nec priùs abſiſtere, quàm hoſtis, fractis pleriſque ſuis ad terram na-

uibus,

uibus, in littus ſe inermes ejecerunt. Tum depreſſa magna parte hoſtium claſſe, quadriremes plurimas, & aliquot quinqueremes, ad ſuas pro more religatas, infra præſidia ſua traxit: quo nullum vnquam triſtius Ægyptiorum oculis ſpectaculum incucurriſſe dicitur. Paucis inde diebus Euphranor, dum leui certamine cum Ægyptijs contracto, audaciùs ipſe cum quadrireme ſua in cohortem hoſtium inueheretur, reliqui ſegniùs ſubirent, vnus à pluribus circumuentus occiditur. Ita variante fortuna, Romanis tamen animos indies creſcere, Ægyptijs haud quaquam minui apparebat. Nec multò pòſt, quum Cæſariani extra munitiones progreſſi, tumultuariam in vrbe pugnam cieuiſſent, dum ſubſidia ſuis vtriq; mittunt, tandem Cæſar ipſe, ſeu temerè ſeu conſultò, ad manus cum hoſte venit: quo conſpecto, effuſus mox vniuerſus Alexandrinorũ exercitus; Cæſarianos in fugam vertit. Cæſar ipſe, quum liberum ea parte ad munitiones regreſſum non haberet, & ſuos à fuga retinere non valebat, ad nauem quæ non procul à terra ſtabat; ſe recepit, eodèm & tota fugientium turba inclinabat. Id videns Cæſar, ne aut ſuos non recipere, aut communi cum receptis naufragio perire cogeretur, vltrò in mare ſe dejecit, & nando (cujus ab ineunte ætate peritiſſimus erat) ad aliam, quæ longiùs ad anchoras in mare ſtabat, nauem incolumis euaſit; inde ſcaphis comparatis, miſit qui natantes ſuſciperent, & quos poſſent, conſeruarent. Sunt qui rei miraculum augentes, eum chartas quaſdam memoriales læua manu ſupra

caput

caput gestantem, dextra tantùm enatasse scribunt. Id si fecisset, Hirtius, vt opinor, qui rei gestæ intererat, tam memorabilem casum in suis de bello Alexandrino commentarijs non omisisset. Porro quid à vero tam absimile, quàm ad pugnam prodeuntem tabulas in sinu potiùs gestare, quàm in scrinijs reponere voluisse? Quicquid erat, præsentissimo periculo æquè præsenti ingenio se eripuit: statim enim in nauem quam petebat receptus, alteram illam quã reliquerat, à multitudine in eam confugientium depressam, & injusto onere demersam aspexit.

Cap. 38. Alexandrini quum Romanos, pridie victos, die postero prælium acriùs instaurantes cernerent, quocum hoste res esset reputantes, legatos ad Cæsarem de pace mittunt: ad eam conciliandam Rege sibi remisso opus esse docent. Fore enim vt ejus præsentia & autoritate populares moti omnes confestim in Cæsaris fidem & populi Romani potestatem concederent. Cæsar pensata aliquantisper re, Regem ad eos remisit. Quo recepto, Alexandrini non pacis arbitro, sed belli duce, quamuis incertæ adhuc pubertatis juuene, vtebantur. Nec id grauatè tulit Cæsar, speciosiùs se de Rege ipso, quam de Regis mancipio triumphaturum arbitratus. Prælium deinde in ipso Nili flumine, ad quod Rex castra habebat nauale fuit. Ad quod spectaculum dum, qui in castris Regijs erant, oculos animosque intenderent, Cæsar per auersam castrorum partem militem immisit. Rex castra à tergo capta sentiens, lintremque nactus, transmisso Nilo saluti suæ consulere parabat. Sed

quum

quum incondita fugientium turba (nemini enim moriturus parcit) in eundem lintrem conuolasset, Rex depresso nauigio nusquam postea comparuit, & cum eo Ptolomæorum, qui a morte Alexandri Magni per ducentos nonaginta duos annos Ægypto fœlicissimè imperauerant, nomen simul florere, simul esse desijt. Nam ad Cleopatram quod attinet, precarium modo illa, & veluti in pudicitiæ Cæsari prostitutæ præmium regnum illud aliquantisper obtinebat: Tota deinde Ægyptus in prouinciæ formam ab Augusto redacta fuit.

Dum verò Cæsar ipse Ægyptū armis Romanis superat, acre interea in Illyrico inter duarum factionum duces oritur bellum: neque enim extincto statim Pompeio partium arma conticuere, sed multiplex pro vno bellum diuersis orbis terrarum partibus oriri cœpit. Illyricum Cornificius & Gabinius ambo Cæsariani obtinebant: ad quos opprimendos, Octauius classis Pompeianæ præfectorum vnus nauigabat. Cornificius prouinciæ metuens Vatinium è Brundusio in auxilium properè vocat. Vatinius omni quidem studio Cornificium adjutum voluit, sed classem Octauianæ parem in promptu non habebat. Itaque in Achaiam fugâ Pompeij jam vacuam, ad classem conquirendam misit. Quoniam verò res Cornificij tantum moræ non recipiebant, ideo Vatinius nauibus actuarijs, quarum magnam tum fortè vim ad manum habebat, rostra addidit, vt isto saltem modo bellicarum non solùm speciem, verumetiam vsum pro tempore præberent. Ipse

insigni & egregia quinqueremi ferebatur. Aliquot præterea longas habuit; sed nec nouo huic actuariarum rostratarum generi, nec longis nauibus, nec ipsi quinqueremi suæ, (quibus omnibus se classi Octauianæ longè inferiorem esse intelligebat) tantopere fidebat, quàm militum suorum robori & virtuti: legionarij erant omnes & plerique veterani, longa Cæsaris militia durati. Hijs igitur confisus ad Octauium in aduerso littore quærendum pergit.

Pugna naualis inter Vatinium & Octauium.

E diuerso Octauius, quum nihil eorum quæ Brundusij agerentur ignoraret, classe concurrere toto animo desiderabat. Vatinius præter Epiri & Macedoniæ oram, vt qui Octauium longè abesse existimaret, plenis velis nauigabat. Octauius rei gerendæ occasionem captans, post insulam quandam nomine Tauridem in insidijs latuit. Quum verò per speculatores Vatinium aduentare persensisset, paululúm progressus venienti se opposuit. Vatinius vela properè contrahit, antennas subducit, complanat omnia, tantumque moratus, dum naues suæ conuenirent, nulla habita ordinis artisué nauticæ ratione, ipse primus cum sua quinqueremi in quadriremem Octauianam, quantum remorum vi efficere posset, incurrit: incurrentem rostro aduerso excepit Octauius; sed Vatiniana, quum & mole superaret, & vento insuper secundo ferretur, Octauianæ rostrum decussit, ipsique ejus proræ inhæsit: quo ducis facinore incitatus miles, cum sua quisque actuaria contemptìm in hostium triremes irruit. Sed vna omnibus mens & ratio erat, si quam hostium nauem

uem attigissent, in eam vel transcendere, vel transilire. Quod eorum consilium eo potissimum juuabatur, quòd tota classis aduersa ad Octauium periculo eximendum se conglomerauerat. Itaque in eam, sic vt erat, stipatam, veluti in terram se ejiciebant. Ibi varia virtutis exempla vtrinq; edebantur. Nam & Octauiani summa vi resistebant, & Vatiniani rabie magis quàm robore pugnare videbantur. Itaque Octauianos alios in ipsis foris jugulant, alios vmbonibus in mare proturbant: ipse Octauius, quum quadriremem suam admissis fluctibus subsidere sensisset, in scapham desilijt: sed quum reliqua etiam turba in eandem se trepidè conjecisset, ea depressa, ipse quanquam vulneribus grauatus, ad myoparonem non longè stantem enatauit: qua abreptus, quamuis amissa classe vitam tamen suam seruauit, sæpe fata non tam sibi quàm Pompei senatusque causæ aduersa infestaque incusans.

Cap.40.

Cæsar constitutis in Ægypto rebus, cum expedita militum manu, in Ponti regnum, ad Pharnacem Mithridatis à Pompeio jam olim deuicti filium debellandum auolauit: quem vt venit viditque, ita facilè vicit, vt ipse quidem Cæsar tam insperatam victoriam hostium ignauiæ, Hirtius verò, qui prœlio etiam interfuit, præsentis tum numinis potentiæ ascripserit. Inde opinione celeriùs Romam ad res in vrbe firmandas redijt. Quibus vt potuit pro tempore compositis, pari celeritate in Siciliam ad Messanam trajecit, à Messana pedestri itinere Lelybæum contendit, vbi defixo in littore tentorio

torio, ita vt fluctibus allueretur, ea veluti tessera suis significauit, Se in Africam ad L. Scipionem, M. Catonem, & Iubam Mauritaniæ Regem, aduersæ factionis duces profligandos, remittente vento, nulla mora trasmissurum. Solent medijs ferè tempestatibus venti ad tempus conticescere, majore mox & impetu & sonitu consurrecturi: id quod tum accidit. Cæsar enim silente mox vento, cum longis quas habebat, & onerarijs nauibus proficiscitur, jusso Allieno, vt cum reliquis quàm primum posset, sequeretur. Vix altum tenuit, quum sævior quàm priùs orta tempestas, vniuersam classem disiecit. Ipse cum paucis relictâ ad dextrum antiquæ Carthaginis sede, & Mercurij promontorio, Adrymettum ad Orientem appulit, quæ vrbs firmissimo tum præsidio à Scipione imposito tenebatur. Itaque Cæsar quum frustra eam oppugnationem tam exiguis copijs fore intelligeret, ei magis rei studebat, vt dispersos in mari suos colligeret. Nec studio euentus defuit. Rei maritimæ in illo littore Varus & Octauius, quem modò à Vatinio in sinu Adriatico fusum fugatumque dixi, præerant. Hij quum Cæsaris classem per mare Lybicum errare accepissent, classe freti, singulos carpebant: quumque eos non falleret, Cæsarem in Siciliam ad Allienum nuntium misisse, quo reliquas copias omni seposita excusatione ad se ociùs transmitti imperaret, idque Allienus, non vt vellet, sed vt posset efficere curabat, classisque inopia, singulis quibusque nauigijs milites impositos in Africam mitteret, hij obsesso itinere, eas magna

magna parte interceperunt. Quod quum futurum Cæsar prouideret animo, cohortem nauum ad hostium impetus præuertendos emisit. Fortè euenit vt nauis vna è Sicilia missa à Varo caperetur, in qua Centurio quidam erat cum turma militum; eos omnes Varus ad Scipionem misit; Scipio pro tribunali sedens monere eos omnes, sed impensiùs Centurionem cepit, vt omisso Cæsare, suam potiùs & Reipub. causam sequeretur. Cui Centurio, Ego verò, inquit, ô Scipio, neque enim te Imperatorem appellare fas esse censeo, isto fortasse beneficio tuo vterer, nisi cum scelere conjungeretur. Monere deinde Scipionem cepit, vt abjecto partium studio Cæsaris, fidei se cômitteret, bellisq; ciuilibus post tot clades finem faceret. Quo commotus Scipio, hominem in vestigio concidi jussit. Cæsar viri casum misertus, classis suæ præfectos, quòd stationibus seruandis minus intenti fuissent, cum ignominia exautorauit. Ipse deinde mare ingressus, & Varum & Octauium intra præsidia sua compulit, vt mare jam libero reliquæ deinceps copiæ sine impedimento, sine periculo in Africam transfretarent. Quibus copijs auctus, bellum in Africa incredibili fœlicitate confecit. Inde Romam reuersus tertiò Dictator creatus est, rebusque ibi constitutis, rursus in Hispaniam ad Pompeij liberos debellandos properauit: vbi difficili bello conflictatus, C^n^. occidit, Sext. fugauit, Romamque reuersus quinque triumphos de diuersis gentibus, Gallis, Afris, Ægyptijs, Ponticis & Hispanis egit. Plurima

etiam ſpectacula populo exhibuit. Inter alia, pugnæ naualis ſimulachrum, campo Martio effoſſo, & immiſſo in eum Tibere, dedit. Inde ad belli Parthici curam auerſus, expeditionem in vltimum Orientem moliebatur: ſed quarto quàm ab vrbe more majorum paludatus proficiſci ſtatuit die, in ipſa curia à Bruto & Caſſio, alijſque ſenatoribus, pater patriæ pridie ſalutatus, nefario parricidio confoſſus perijt.

Cap. 41. Mortuo Cæſare, M. Antonius tum Coſ. plebem primò aduerſus percuſſores, atque adeo contra vniuerſum ſenatum tanquam facinoris participem concitabat. Quem vt rurſus deliniret, rei non plebi minùs quàm patribus gratæ adjecit animum, & de Sexto Pompeio, Magni filio natu minimo, ex Hiſpania reuocando mentionem intulit. Ea verò res tam læta ſenatui fuit, vt præteritorum omnium Antonij maleficiorum memoriam pro tempore obliteraret. Sancitaque tum eſt, M. T. Cicerone autore, de amneſtia, hoc eſt, veterum hinc inde offenſarum obliuione lex. Fit itaque Sc^m^, vt maris imperium Sexto Pompeio, eodem titulo quo patri olim datum fuerat, decerneretur. Interim C. Octauius defuncti Cæſaris ex

Octauius. ſorore nepos, adoptione filius, & hæres teſtamento nuncupatus, nihil de ſumma diligentia remiſit, vt ad Conſulatum, quamquam iunior annis, perueniret. Quam dignitatem eo conſilio ambibat, vt Sc° de amneſtia in irritum reuocato, conjuratos parricidij reos faceret. Coſ. factus omnes reos primo iudicio peregit, damnatoſque, adhibito in conſilium Antonio, bello

perſe-

perſequendos in ſe ſuſcepit. Quorum præcipua capita Brutus & Caſſius erant. Hij viginti & amplius legiones habebant. Claſſem inſuper quâ mare omne orientem verſus obtinebant, comparauerant: Ei Caſſius plerumque præerat. Brutus à Rhodijs ſubſidia per legatos petijt. Quibus negatis, apparatâ claſſe bellum intulit. Rhodij veteris in re nauali gloriæ memores, claſſem è diuerſo adornabant. Claſſis triginta duabus triremibus conſtabat: prælium acre ad Mindum committitur; ſed Rhodij à potentiore hoſte oppreſſi, in vrbem amiſſa claſſe refugerunt. Eam Brutus, quod nec Demetrius olim, nec Mithridates efficere valuerunt, vi cepit. Miſit deinde in Ægyptum, claſſem copiaſque alias à Cleopatra petens. Sed ea tota Cæſaris & Antonij fuit. Inde factum, vt Dolabellæ Cæſarianarum partium duci, in Aſia bellum gerenti copioſe omnia, & palam, præſertim quæ ad claſſem inſtruendam pertinerent, ſubminiſtraret. Quæ res Caſſium diutiùs in Laodiceæ obſidione retinuit. Vrbs maritima Laodicæa fuit, in iſthmo ſita, portu opportuna, in quo claſſem apparatiſſimam Dolabella habuit. Cum eo Caſſius quinquies prælio nauali directa claſſe pugnauit, & demum vicit, compulſumque in vrbem obſidione preſſit, captaque demum vrbe Dolabellam ad voluntariam ſibi mortem conſciſcendam adegit. Ita captis duabus præclariſſimis tota Aſia vrbibus Rhodo & Laodicæa, Caſſius cum victrice claſſe Ægyptum petere inſtituit. Inſtitutum ruperunt, literæ à Bruto eodem tempore accep-

Brutus.

Laodicæa vrbs.

Pugna nauales inter Caßium & Dolabellam repetita.

tæ, quibus certior fiebat, Cæsarem & Antonium in Macedoniam cum parte copiarum iam transisisse. Qua re cognita Cleopatra jam antea Cassio perinfensa, nunc vero recenti hac formidine incitata, cum ingenti classe ad Cæsarem, qui Dirrachij tum erat, nauigabat. Quod inceptum vt impediret Cassius, Murcum classis præfectum cum septuaginta nauium tectarum cohorte mare Ionium insidere jussit; simul vt Cleopatram freti aditu prohiberent, & copias Cæsaris dum à Brundusio Dirrachium transmitterentur interciperet in mandatis dedit. Quarum rerum neutram præstitit Murcus. Cleopatra enim siue viæ errore, siue ventis acta ad majorem Syrtim appulit. Vbi maximâ classis suæ parte naufragio amissâ, ipsa ægrè elapsa in Ægyptum redijt. Cæsariani verò milites, quamuis onerrrijs tantum veherentur, sic Murcum eundo pariter & redeundo (neque enim vno aut altero commeatu transmitti potuerunt) eludebant, vt ne vnam quidem ex illis nauiculam Murcus exciperet. Inde factum vt Murco Ænobarbus imperij socius cum quinquaginta nauium longarum classe adjungeretur: vtrique in mandatis datum, Darent operam, ne commeatus ex Italia ad Cæsarem subueherentur. Nam ne aliunde subsidia ad bellum præberentur, satis jam satisque prouisum videbatur. Iamque pugna ad Philippos imminebat, qua Brutus & Cassius fusi, ne viui ciuium ora aspicerent, vltro sibi mortem consciuerunt.

Cap. 42. Eodem die, quo fatalis hæc pugna in campis Philippicis commissa est, dignum memoratu, siue

Pugna naualis.

siue prœlium illud, siue naufragium appellare libet, in sinu Adriatico, Brundusium inter & Dirrachium accidit. Domitius Caluinus binas legiones onerarijs ad Cæsarē ducebat. Erant præterea in illo commeatu duo Prætorianorum millia, sex alæ equitum, alijque selecti viri, qui ad Cæsarem Philippis sedentem, ne prœlio abessent, properabant. Hijs in transitu occurrerunt Murcus & Ænobarbus, cum centum & triginta nauium classe. Longæ omnes erant, & ad pugnam instructæ, vt quæ maximè esse possent. Eos paucæ admodum, quæ primum agmen faciebant, vento secundiore fretæ effugerunt. Sed remittente mox vento reliquæ omnes consistere coactæ. Has Murcianæ primùm omni vi circumsistunt: alias rostris perforatas deprimunt, alias, quandoquidem nullæ deditionem faciebant, vel capiunt, vel v[illegible]ant. Hijs additæ præsidio fuerant triremes aliquot; sed propter paucitatem, non illæ reliquis auxilio esse potuerunt, quin ipsæ potius in partem cladis subitò ab hostibus circumuentæ cesserunt. Cæsariani quum ordines suos vbique perrumpi, & singulas à pluribus oppugnari cernerent, ne id semper contingeret, alteræ primò alteris se applicabant. Deinde funibus se alligabant, tum vt ne ab hoste ampliùs perrumperentur, tum vt rem ad stablile pugnæ genus & pedestri simile, virtute fisi, reuocarent. Quo conspecto, Murcus & Ænobarbus ne suam occasionem hosti præberent, non jam ampliùs in eas incurrunt, sed eminùs pugnando jacula ignita in eas certatim conjecerunt. Quo malo grauiter

affecti Cæsarani, suos sibi ipsi funes, quibus astricti tenebantur, præcidebant. Quo remedio vt aduersus incẽdia opportunè satis vtebantur, ita statim in antiquum circumuentionis malum reuolutæ, singulæ à pluribus oppugnabantur. Itaque frendentes se tam ancipiti malo premi, ne hostiũ potiùs quàm suo arbitrio perirent, alij se ipsi iugulabãt, alij in mare præcipitarunt, alij illud sibi solatij inter pereundũ quærebãt, vt in hostiũ potiùs quàm in suis nauigijs, & veluti intra vallum hostilẽ pugnantes expirarẽt: naues quoq; semiustulatæ, & vectoribus plenæ, quum ingruente nocte hostium conspectum effugissẽt, aliæ igne, quem in pugna conceperant perierunt, aliæ per mare errabundæ vectores suos fame & siti cruciabant. Erant qui submersis nauibus, antennis aut tabulis hærentes vel ad scopulos alliderentur, vel in d[illegible]ta littora nudi & inopes ejicerentur. Constat in illo tam angusto freto non defuisse, qui ad quintum vsque diem in mare jactarentur, picem interim lingentes, aut vela funesque dentibus mandentes, donec vndis ad terram famelici appellerentur. Erant tamen, qui malis victi, deditionem demum facere non aspernarentur. In hijs decem & septem triremes erant; quæ omnes Murco sacramentum extemplò dixerunt. Ipse Caluinus medio hostium elapsus, quinto demum die Brundusium redijt, perijsse creditus. Incidit autem hoc prœlium, vt postea, comparatione facta, compertum est, non solùm in eundem diem, sed in idem ferè temporis momentum, quo pugna ad Philippos conserebatur: vtraque etiam

pugna

pugna in noctem extracta fuit, & par in vtroque prælio strages edita: naualis tamen ista minore famæ celebratur, quòd illa altera duces vtrinque c'ariores, & ipsa belli capita, hinc Cæsarem & Antonium, illinc Brutum & Cassium habebat.

Cap. 43.

Bruto verò & Cassio defunctis, quum nulla coniuratis terra restaret spes, alter Cassius, cognomento Parmensis, inter doctos illius temporis viros censitus, & fœderatorum classi in Asia præfectus, cum Clodio, Toruio, Lepido, alijsque ducibus è prœlio ad mare confugerunt; impletisque quotquot assequi possent nauibus, omnes ad Ænobarbũ & Murcum contendebant. Hìc rursus in duas partes à fœderatis discessum; Ænobarbus enim aucta classe sua, mare Ionium tenere, Murcus ad Sex. Pompeium in Siciliam abire maluit. Sex. enim Pompeius Senatusconsulto, vt diximus, reuocatus, magna per Hispaniam contractâ omnis generis nauigiorum vi, Marsiliam in Gall.a primò venit, inde veluti è specula res Italiæ oculis ex propinquo subiectas prospecturus. Quum verò Triumuiratum Antonij, Lepidi, & Cæsaris constitutum, optimum verò quemque ad necem quæri accepisset, Siciliam properè cum classe inuasit, eamq; ejecto inde Bythinico lætis incolarum animis occupauit. Quumque classe sua vniuersum inter Italiam & Africam, Hispaniamque & Galliam mare, & vtrumque freti Siculi latus, veluti possessionem suam obtineret, ingens proscriptorum multitudo tutum ad eum refugij locum inuenit. Quid? quod saluberrimo consilio na-

Ænobarbus

Murcus.

ues tota Italiæ longitudine emisit, qui ad mare temerè conuolantes exciperent: quo facto veluti Reip. naufragia colligere visus, verè se Pompeij Magni filium ciuibus ostendit. Interim Cæsar oppresso Lepido, & diuiso terrarum orbis cum M. Antonio imperio, in Italiam venit. Vbi paulo post graues contraxit cum L. Antonio Marci fratre tum Consule inimicitias, quæ in apertum mox bellum proruperunt: Ea res M. Antonium ex Græcia in Italiam reuocauit. Priùs tamen quàm vela faceret, pacem cum Pompeio per legatos fecit. Qua firmata cum ducentarum nauium classe in mare Ionium venit. Quod quamuis ab Ænobarbo, à se dudum proscripto, teneri non ignorabat, temerario tamen consilio vsus, cum quinque nauium cohorte, quæ reliquam classem velocitate anteibant, progressus, in totam Ænobarbi classem incidit. Erant qui suadebant, vt saluti suæ fuga consuleret: id verò se Antonius facturum pernegabat. Iamque è propinquo agnoscebant se inuicem prætoriæ: Quum lictor Antonij stans in prora, Ænobarbo vt inferiori, insignia vt detraheret imperauit; fecit vt iussus erat Ænobarbus, nauemque suam ad Antonianæ latus sinistrum applicuit. Inde in nauem Antonij proscriptoris modò sui, & in sua iam potestate, nulla fide interposita, constituti transcendit, Imperatoremque salutauit. Sic firmata inter duos amicitia, de communi consilio legatos ad Pompeium mittunt: placere ostendunt, vt omnes maritimæ Italiæ ciuitates, quæ Cæsarem reciperent, ejusuè man-

Antonius.

data facerent, hostium loco haberentur. Id eò impuniùs faciebant, quòd classe nuper ad Brundusium ab Ænobarbo, quà capta, qua incensa, nullam Cæsar toto mari nauem in potestate haberet. Confestim Pompeius Sardiniam, pertractis ad se duabus Cæsaris legionibus, quæ insulæ præsidio erant, inuasit. Tantam animorum inclinationẽ Pompeij cum Antonio coniunctio fecerat. Et verò Cæsar hac duarum legionum defectione magis animo commouebatur, quàm si ter binas in acie cæsas amisisset, veritus ne eorum exemplo plures ad similem deditionem faciendam traherentur. Itaque vt Antonium à Pompeio distraheret, amicitiam cum eo renouauit. Quo facto, rursus Pompeius & Ænobarbus suis priuatim opibus fidere cogebantur. Pompeius qui omne mare Inferum tenebat, id sedulò curabat, ne qua frumenti copia ex Hispania, Africa, Ægypto, Sicilia, alijsuè locis ad vrbem subueheretur, qua re breui effectum est, vt vrbs non annona iam, sed planè fame laborare cœperit. Cuius mali causam ciues non in Pompeium, (quid enim insons & extorris, & à Cæsaris cæde, quæ belli causa ferebatur, alienus faceret?) sed in Cæsarem & Antonium, qui priuata ambitione nouum belli incendium suscitauerant, reiecerunt. Itaque nunc minis, nunc precibus agebant vt pacem duces cum Pompeio facerent. Nec illi vltrà tendere sustinuerunt; maior ferè difficultas in Pompeio ad pacem accipiendam pertrahendo fuit. Missa igitur ad eum est, vt olim ad Coriolanũ, cum delectis quibusdã matronis, mater eius

Mutia,

Muria, quæ nomine publico pacem flagitaret.

Cap.44. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cæsar & Antonius Baias, vrbem in Italia maritimam, balneis olim lauretisque nobilem descendunt: eódem Pompeius cum classe, ipse Hexere vectus, applicuit. Vbi defixis in mare palis bini Pontes, modico interuallo, desuper instructi sunt, in quorum alterum terræ contiguum Cæsar & Antonius, in alterum Pompeius eiusque socer Libo processerunt. Inter pontes tantum intererat, vt non nisi clara contentaque voce loquentes exaudiri possent. Quoniam verò ea opinione imbutus venerat Pompeius, fore vt in imperij societatem cum illis reciperetur, illi benignè se facere existimarent, si reditum in patriam profugo concederent, re infecta, vixque aspectu alteri alteros dignati discesserunt. Ingruente verò in vrbe fame, iteratis populi clamoribus adacti sunt Cæsar & Antonius ad pacem cum Pompeio æquis conditionibus faciendam. Itaque rursus de pace tractaturi in maris littore conuenerunt. Summa erat, vt Pompeius Siciliam, Sardiniam, Corsicam, & si quas alias tum insulas habebat, eas omnes tot annos imperio teneret, in quot Cæsari & Antonio in continente prorogaretur imperium: absens Consulatum per amicorum quemlibet gereret, & in Pontificum collegium honoris causa cooptaretur. Mox alteri alteros inuitabant hospitio. Prior Pompeius sortitò, Hexere ad aggerem appulsa dubia si vnquam cæna excepit hospites. Erat quidam nomine Menodorus, Pompeij libertus, & in classis curatio-

Menodorus.

en

ne cæteris omnibus ab eo prælatus. Hic, quoties de pace in concilio agebatur, aduerſam ſemper ſententiam dixit, Murcum etiam, quo nemô vnus Pompeio vnquam fidelior erat, per ſcelus occidendi author fuerat. Hic dum in naue diſcumberetur, Pompeium per nuntium monuiſſe dicitur, vt conuiuas aggreſſus in ipſa menſa patri fratrique inferias faceret. Cui Pompeius, Vtinam verò, inquit, Menodorus hoc ſine me præſtare vellet. Itaque conſilium laudaſſe contentus, eo vt ſibi parum conueniente, vti noluit, ſed hoſpites ſuos hilaritèr acceptos cum fide ſaluos & incolumes remiſit. Sequentibus diebus Cæſar & Antonius, fixis in eodem aggere tentorijs, pari fide Pompeium conuiuijs exceperunt, tanta omnium hilaritate, vt noua tum lux Reipub. affulſiſſe videretur. Inde maria mercatoribus aperiri cæpta, tantaque repente non in vrbe modò, verumetiam tota Italia annonæ vilitas fuit, ac ſi profundiſſima jamdiu pace vſi eſſent.

Cap. 45.

Bellum inter Octauium & Pompeium renouatum.

Inde Antonius in Græciam expeditioni Parthicæ intentus redijt. Cæſar Italiam & Occidentem legibus firmare inſtat: Pompeium tamen mare tenentem diutiùs non ſuſtinuit, & ipſe Pompeius, mare piratis infeſtando rerum nouarum cauſam quærere vulgo ferebatur: quippe piratæ aliqui in mare capti, queſtione adhibita, ſe à Pompeio ſubmiſſos fatebantur, & ſpeculatores à Cæſare miſſi, in occultis naualibus triremes ædificari, remiges exerceri, bellum denique indubiè parari referebant. Quibus rebus motus Cæſar, & ipſe magnam naui-

um

um vim Romæ, Rauennæ, alijsque in locis apertè comparabat. Quoniam verò id bellum contra fœdera moueri plerisque videbatur, ideò populum per literas, exercitum è suggesto edocebat, Fœdus à Pompeio apertè violatum, quòd ille prior per piratas mare infestasset, in quam rem & piratarum ipsorum inter tormenta confessiones, & Menodori, qui nuper à Pompeio ad Cæsarem traditis Sardinia Corsicaque insulis cum tribus legionibus, & non contemnenda classis Pompeianæ parte transfugerat, testimonium in medium afferebat. Nihil ego hìc de Cæsaris rationibus, quàm iustæ illæ iniustæue erant, edisseram, dum vltroneis transfugarum criminationibus, & expressis piratarum confessionibus fidem vel habens vel habere simulans, nuper icta fœdera turbare, & nouum belli incendium toto orbe suscitare pergit. Rebus paratis Tarento, Siciliam inde petiturus, soluit: & Caluisius classis Cæsarianæ præfectus ex Hetruria, cum Sabino & Menodoro transfuga, eòdem, ex edicto, accelerabant. Pompeium nihil eorum quæ gerebantur, latuit. Itaque ipse ad Messanam Cæsarem operiebatur. Caluisio Menecratem ex libertis alterum opposuit, eique legatum Democharem etiam libertum dedit. Habuit enim hoc Pompeius à patre veluti hęreditarium, vt libertis plùs semper quam ingenuis fideret, eorumquè magis quàm nobilium opera in rebus, siue suis, siue publicis vteretur. Prior Menecrates in conspectum Caluisij circa Cumas, vrbem maritimam, & Sybillę olim vaticinijs nobilitatam, venit.

Caluisius nauarchus.

Menecrates

nit. Caluisius quòd jam aduesperasceret, in sinum, qui supra Cumas erat, se recepit. Menecrates ad insulam Enariam, (veteres Pithecusas appellabant) applicuit. Caluisius, cui id vnum in præsenti curæ erat, vt Cæsari ad Messanam iungeretur oram sinus in circuitu lunata classe legebat, ne copiam pugnandi hosti faceret. Menecrates orto statim sole, instructa ad pugnam classe; in sinum Cumanum penitùs inuehitur. Quumque hostem littus vsque legentem cerneret, facilè eo indicio intellexit, Caluisium nisi coactum pugnare nolle. Itaque suos cohortatus quanta maxima potuit vi, in confertissimos hostium ordines inuehitur. Caluisius conuersis ad terram puppibus, proras nauium ad excipiendos hostium impetus venientibus obuertit. Quæ pugnæ ratio vt ducem timoris & inertiæ arguebat, ita neutiquam par aut æqualis erat. Liberum nempe Menecrati erat, quoties volebat, se in altum ad nouum capiendum impetum recipere, & in vulneratarum locum integras semper ad pugnam adducere, hostiumque classem vbi vellet carpere, facta denique impressione, si res successisset, vltra tendere, sin minùs, pedem vt in terrestri certamine referre, cursumque flectere, & pugnandi modum pro suo arbitrio & commodo statuere; Quorum nihil Caluisio faciendi facultas relinquebatur. Interim Menecrates, suis in dextro cornu vincentibus, ad sinistrum auolat, vbi Menodorum transfugam pugnam acritèr cientem conspicatus, omissis alijs, in illum vnum cursum dirigit, suosque adhortatus: En

Pugna naualis ad Cumas.

vobis, inquit, Menodorum Domini sui proditorem: Illum ego hodie vel viuum è libertate in Pompeij seruitutem retraham, vel mortuum Orco consecrabo, simul remos omni vi incitari, & milites animos parare iubet. Menodorus quum se à Menecrate peti animaduertisset, præuertendum ratus, ne ad anchoras stans cum reliquis deprenderetur, in altum prouehitur. Ibi ingentibus animis concurritur; Primo insultu Menecrates Menodoro rostrum nauis perfregit: Secundo Menodorus Menecrati remos detersit; sic æquata ferè pugna ad manus veniunt: Harpagonasque inuicem & pontes injiciunt, vt sic alter alterum comminùs inuaderet, nec missilibus modò, verumetiam gladijs rem gereret. Dum inter confertissimos pugnant, Menodorus veruto brachium trajicitur: quo celeriter extracto ille se rursus pugnantibus inseruit. Menecrati paulo pòst tragulo hamato femur vulneratur, quod quum extrahi non posset, eodem vestigio stans, quod solum potuit, hortatibus rem gerebat, donec Menodorus ipse viam in nauem eius pugnando aperuisset: quo conspecto, Menecrates ne æmulo viuus ludibrio esset, quæ proxima via mortis erat, præceps in mare desilit. Menodorus captam Menecratis nauem ad terram traxit. Interim Caluisius, quum per Menecratis absentiam lentiùs pugnātem hostem repulisset, & grauem in sinistro cornu pugnam misceri cerneret, ipse eodem cum suæ classis parte accurrit, & forte cohortem quandam hostium à reliquis seclusam adortus, eam in altum refugi-

entem persequitur. At Demochares, quem Menecrati legatum à Pompeio datum fuisse diximus; suos morte Menecratis territos cohortatus pugnam impigrè instaurat. Quumq; Caluisium longè in altum abreptum, Menodorum vulnere grauem ad terram delatum aspexisset, classem reliquam duce destitutam, cum suæ classis corpore aggressus; ingentem cladem & stragem dedit: Alias incendit, alias demersit, magnam etiam partem præcipites in scopulos & saxa egit. Sub vesperam Caluisius ab hoste nequicquam persequendo reuersus, suos vbique laborantes cernens; pugnam vt potuit restituit. Nox deinde vtrique gratum pugnandi finem fecit, in qua pugna cætera omnia superiora Pompeianis erant, præterquam quòd Caluisius maiore animo cladem suam, quam Demochares victoriam tulit: ille enim quamuis classem magna parte amissam, & si quid supererat, vulneratam & mutilam haberet, hostem tamen mane proximo in nauibus expectabat. Hic verò mortem Menecratis, veluti totius classis interitum flens, victique magis, quàm victoris vultum præ se ferens in Siciliam ad Pompeium redijt. Quo comperto Caluisius resartâ, vt potuit pro tempore classe, nusquam alto se committere ausus, sed prope littus cursum tenens ad fretum Siculum iter intendebat.

Cap.46.

Sub eodem tempore Cæsar cum classe egregiè armata Messanam venit. Vbi Pompeium cum quadraginta tantum nauibus reperit. Erant qui Cæsarem vt Pompeium, sic vt erat, im-

paratum aggrederetur monuerunt. Cui consilio neutiquam aurem præbebat Cæsar. Sed Messanam prætervectus, fretumque ingressus, id vnum, vt videtur, agebat, vt cum Caluisio primo quoq; tempore coniungeretur. Digressum Pompeius insequutus, extremas carpendo vniuersam turbabat classem. Cæsar quum necessariò pugnandum sibi esse cerneret, instarentque à tergo Pompeius, à fronte Demochares, eodem quo Caluisius ingenio vsus, littori adhæsit, & proras obuertendo hostem excepit; quæ res in vltimum statim periculum Cæsarem coniecit. Cæsar ipse in scopulum iuxta stantem se eiecit. Multosque è suis qui diffractis nauibus natando ad terram euaserant, conseruauit. Cornificius autem & alij classis Cæsarianę præfecti, quum stando confici se & telis obrui animaduerterent, in altum se proripuerunt: saltem vt pugnando, si gloriose vincere non possent, honestè morirentur. Cornificius Democharis triremi occurrit, & in eam impetum acerrimè fecit. Accidit verò, vt primo concursu tota Democharis nauis diffinderetur, adeo quidem vt Demochares ipse in aliam iuxta stantem nauiculam saltu se dare cogeretur: quæ res ei animum non minuit, sed iram incendit. Itaque circumquaque cursando prælium omni parte accendebat, multasque hostium naues opportunè nactus vel cepit vel demersit. Iamque sole ad occasum vergente, nulla manifesta, quæ quidem Cæsarianis constare potuit, causa, omissa subitò pugna Pompeiani se recipere cœperunt. Causa autem erat quòd quum

Cornificius.

Democha-res.

quum in sinu maris pugnaretur, hij altum tenentes Caluisium aduentantem conspexerunt. Cujus visum Cæsarianis promontorij objectus auferebat. Media ferè nocte intellectum est appropinquare Caluisium: quo nuntio, animum Cæsar quem penè desponderat recepit, manè verò surgens, horrendum visu spectaculum oculis subjectum habuit, totum, quà prospectus erat, mare nauium militumque suorum cadaueribus constratum. Sed hanc tamen ægritudinem lenibat Caluisij per media naufragia, hora diei tertia appulsus, quùm subitò horribili tempestate ingruens Auster, (vt est totum illud Italiæ latus illi vento expositum) tam classis Cæsarianæ reliquias, quam Caluisianas, alteras alteris, sed omnes littori & scopulis allisit; planè quasi in id fortuna classem Caluisianam eò appulisset, vt sub Cæsaris potissimùm oculis naufragio perderetur. Neque verò hæc paucarum horarum tempestas fuit, sed & reliquum diei illius & noctem insequentem ad solis ortum tenuit, tanta vi, vt ne indigenæ quidem omni sua ætate similem accidisse confirmarent. Vltra mediam nauium hominumque suorum partem eo naufragio amisit Cæsar. Quod autem supererat ita infractum & debilitatum erat, vt inutile prorsùs redderetur.

Naufragium.

Cap. 47.

Cæsar classe exutus non mediocritèr rebus suis timere cæpit. Itaque dimisit per vniuersam Italiam qui se superstitem esse confirmarent, & eleuarent verbis jacturæ magnitudinem: fusum Mecocharem, cæsum Menecratem: restare jam Pompeium, imperatorem ipsum

 prœlijs

prœlijs naualibus parùm vtilem, & ducibus quibus fidebat destitutum. Amicos verò ad se conuocauit, veritus ne qua rerum nouandarum occasio quæreretur. Maximum verò ab vrbe erat periculum, vbi passim ciuium audiebantur voces, non Pompeium magis, insontem ipsum, & falsis criminationibus appetitum, quàm contra fœdera & deos susceptum bellum incusantium. Iamque fames, iterum clauso mare, longè quàm antea infestior vrbem & Italiam inuasit. Quæ res ad pacem efflagitandam omnium animos exasperauerat. Quibus rebus commotus Cæsar, nuntium extemplo ad Antonium Athenis adhuc hyemantem misit, qui eum ad hujus belli societatem, amissa expeditione Parthica, pertraheret. Interim & amici priuatim, & ciuitates per Italiam publicè nouam classem Cæsari magno studio parabant: nec Antonius difficilem se ad amicitiam cum Cæsare integrandam præbuit. Itaque ineunte vere cum trecentarum nauium classe Tarentum venit, earumque potestatem Cæsari fecit. Cæsar autem quum jam copijs naualibus de suo abundaret, tantam classem, tamque benignè oblatam non accepit, nec de oblatis gratias egit, planè vt vel munus Antonij, vel ipsum hominem à Cæsare fastidiri appareret. Id indignè tulit Antonius: veruntamen eò vsque se animumque suum vicit, vt offensione omni remissâ vltrò Cæsarem de amicitia renouanda interpellare non grauaretur: nec eo contentus, Octauiam vxorem suam Cæsaris sororem, prudentissimam fœminam ad eum misit, cujus interuentu

amicitia demum inter eos remissis offensionibus de nouo contracta fuit. Inter cætera centum viginti naues instructissimas Cæsari dono dedit Antonius, & Octauia decem Phaselis triremibus (genus nauis Campanum erat inter longas & onerarias medium) fratrem donauit.

Cap. 48.

Pace firmatâ ad bellum Parthicum illicò reuertitur Antonius. Cæsar nihil antiquius in votis habuit, quam vt Pompeium debellaret. Iamque totus in classe paranda erat Cæsar, quum Menodorus, incertum qua occasione motus, fidem rursus ad Pompeium mutauit, & ad eum cum septem triremibus, nihil sentiente Caluisio transfugit. Quam rem ita grauiter tulit Cæsar, vt classis præfecturam Caluisio ademptam Agrippæ traderet: Vbi verò classem, quantum satis ad id bellum fore videbatur, comparasset, antequam vela faceret, eam more solenni Romanorum lustrandum curauit: cujus ritus formulam, quum eam semel in omni historia reperim, hìc inserere abs re non esse existimaui. Altaria in littore, sic vt fluctibus alluerentur, extruebantur, naues plenæ classiarijs justo ordine & magno silentio astabant, sacrifici mare, quantum satis erat, ingressi victimas mactabant, moxque scaphis accepti, ter circa classem lustramina ferebant, ducibus vnà nauigantibus comprecantibusque, vt à classe populoque Romano ira deûm, & infausta omnia in ea lustramina auerterentur: diuisis deinde sacro cultro extis, alteram eorum partem in mare porriciebant, alteram in altaribus, fausta omnia ominante multitudine, adolebant. Erat autem à

Caluisius exauctoratus.

Agrippa nauarchus a Cæsare constituitur.

Classis lustrandæ ratio.

Cæſare conſtitutum, vt ipſe à Puteolis, Lepidus ex Africa, Taurus à Tarento diuerſis claſſibus Siciliam inuaderent, vt ſic hoſtem ab Oriente pariter & Occidente, & à Meridie aggrederentur, præmonitis omnibus, ad quem diem Cæſar ipſe Puteolis ſoluturus erat. Is verò fuit Calendis Iulij, fauſtam eam lucem omni tempore futuram ratus, propter Iulium Cæſarem, cujus memoriæ menſis ille, abrogato Quintilis quo priùs vocabatur nomine, conſecratus fuerat: nec Pompeium fefellit iſta omnia agitari. Itaque & ille partitis copijs Lepido ex Africa venienti Pleminium oppoſuit ad Lelybæum, robur verò claſſis, cui ipſe præerat, ad Meſſanam tenebat. Calendis Iulij omnes è ſuo quiſque portu ex condicto ſoluunt. Ex Africa Lepidus cum mille onerarijs & ſeptuaginta longis nauibus iter arripuit, rectâ Lelybæum petens: Taurus è Tarento cum centum & duabus nauibus eòdem curſum dirigebat, Cæſar Puteolis ſacrificio peracto ſoluit, Neptunum precatus vt ſibi contra parricidas Cæſaris proficiſcenti propitiùs adeſſe vellet: inde præcurſorias quaſdam emiſit, quæ ſinus & anfractus maris ſcrutarentur, ne qui forte hoſtes poſt promontoria in inſidijs laterent: mediam aciem ipſe tenebat, agmen cogebat Appius, Lepidum verò ex Africa venientem ferox Auſter inuaſit, & magnam claſſis ejus partem fluctibus obruit: quæ cladi ſupererant, (quòd ventus quantumuis ſæuus, tamen ſecundus Siciliam petentibus erat,) in Lelybæi portus conſpectum venerunt quidem, ſed prohibente

Menſis Iulius.

Multiplex Cæſaris naufragium

Ple-

Plеminio eum intrare non valebant. Taurus, quum eundem Austrum sibi aduersum sensisset, nec contra obniti posset, retrò Tarentum, vnde pridie soluerat, cursum flexit. Appio verò circa Mineruæ promontorium nauiganti, pars nauium, eodem omnes vrgente Austro, ad scopulos allisa est, pars hæsit in breuibus, reliquæ disiectæ magno numero perierunt. Cæsar ipse in sinum Velinum, qui propter circumductum promontorium tutus ab Austro erat, se recepit: sed quum eodem momento Auster in Africam vertisset, isque sinus ab Austro tutus, Africo apertus esset, ingentibus statim fluctibus efferri cepit, plurimasque ibi Cæsar naues vel profundo absorptas, vel ad littora confractas amisit. Quibus incommodis medendis quum totos triginta dies insumpsisset, & æstas jam vergeret, expeditionem Siculam in æstatem proximam differre statuit: Sed quum misti gemitibus fremitus, & voces Romæ, propè vt Puteolis exaudiri possent, Ergonè fame æstatis reliquum & in ver vsque, Pompeio interim mare claudente, laborabimus? in omnibus circulis exigentium, jacerentur, mutato repente concilio, classem in id modò reparauit, vt exercitum in Siciliam transmitteret, eam belli cum Pompeio sedem habiturus. Cap. 49.

Pompeius tot tantisque hostium cladibus elatus, in omnem lætitiam se effudit, Neptunoque sacra instaurauit, vestem etiam, abjecta purpura, cæruleam sumsit, filius scilicet curiatis Nereidum comitijs à Neptuno adoptatus. Neque enim sine illius numine tot naufragia

fragia alia super alijs Cæsari aduersus se nauiganti incidere potuisse: sed quum Cæsarem nautas ad remum reuocare inaudisset, turbatus animo, quòd sibi cum inexpugnabili virtute, & cujus vires Hydræ in morem damnis subinde crescerent, rem esse intelligeret, & ipse ad bellum gerendum totis viribus se comparabat. Eodem tempore Lepido, quatuor legiones quas priore commeatu non transduxerat, in Siciliam onerarijs adducebantur. In eas Papias legatorum Pompeij vnus non procul Lelybæo incidit, plusque media earum parte depressit. Vectores si qui fluctibus delati enatauerant, à Lelybæi præsidiarijs jugulantur: quo patrato facinore ad Pompeium Messanæ classem tenentem redijt Papias, eumque læto rei nuntio impleuit. Diximus superiùs Menodorum Pompeij libertum primùm ab eo ad Cæsarem transfugisse, mox deinde in Pompeij fidem redijsse. Idem jam quum non eodem quo priùs loco apud Pompeium esse se, sed defuncto Menecrate, Democharem & Apollophanem & Papiam, sibi prælatos cerneret, rei indignitate motus, iterum ad Cæsarem transfugium parat. Nec Cæsar tam perditæ fidei hominem, dummodo Pompeio eum adimeret, lucrari dedignatur. Rebus omnibus paratis Cæsar præfectorum suorum alijs diuersis in locis Siciliam, vt pro se quisque inuaderet, imperabat. Ipse cum Agrippa, sine quo nullam posthac majoris momenti rem aggrediebatur, Strongylem (insula est in vicinia Siciliæ posita) cum classe transmisit. Vbi paululùm demoratus, in continentem

tem breui poſt reuertitur. Quo abſente Agryppa è Strongyle ad Hieram Inſulam tranſmiſit, eamque pulſis inde Pompeianis occupauit, eo conſilio, vt inde poſtridie profectus Papiam cum quadraginta nauium claſſe ad Mylas, Siciliæ locus erat, ſtantem aggrederetur. Quod ne fieret veritus Pompeius, Apollophanem eadem nocte Papiæ cum alijs quadraginta nauibus ſuppetias ferre juſſit: ipſe paulò pòſt cum quod roboris in claſſe erat, eòdem contendit. Iamque Agrippa cum media claſſis ſuæ parte, quam ad Papiam opprimendum ſatis ſuperque fore exiſtimabat, Hiera ſoluerat, quum & Apollophanem & ipſum Pompeium cum ſua quemque claſſe à Meſſana Mylas tendentes conſpiceret; itaque celeriter Cæſarem per nuntium inſtare pugnam certiorem facit, aciem inſtruit: reliqua claſſis ex Hiera accurrit, medium ipſe agmen majoribus nauigijs firmatum tenuit, cæteris, vt quæque ab Hiera ſubibant, in ordines receptis. Erat apparatus vtrinque magnificus, impoſitis à prora puppique turribus: ipſe tamen Pompeius prœlio non interfuit, ſed montem in propinquo mari imminentem, inde pugnam ſpectaturus, conſcendit. Signo dato clamor tollitur, & magna ab vtraque parte vi concurritur; agiliores Pompeianæ erant; mole Cæſaris naues præualebant. Itaque vt illæ eminùs pugnando ſuperiores erant, ita ſi quando congrederentur, hæ & certiora & grauiora vulnera inferebant. Acceſſit eòdem, quòd Cæſarianarum turres & propugnacula multò quàm hoſtium celſiora erant. Itaque

Pugna naualis ad Mylas.

que manus ferreas & coruos & pontes ex loco superiore in subjectas Pompeij triremes faciliùs injiciebant. Quibus ex causis factum est, vt commisso statim certamine tota acie à Pompeianis laborari cœptum sit. Ante omnes insignis erat ipsius Agrippæ pugna, qui cum Papia singulari certamine congressus nauem ejus suo rostro percussum ad carinam perfregit: propugnatores qui in turribus stabant excussi omnes, & thalamitæ aqua in nauis alueum accepta obruti, superiorum verò ordinum remiges perfractis tabulatis natatu euaserunt, & scaphæ circummissæ nantes exceperunt. Papias ipse in nauem proximam acceptus rursus in prœlium redit. Pompeius è montis vertice, quum suos vndique labare, & virtute pares, genere nauium superari animaduertisset, suis signum dedit, vt seruatis ordinibus se reciperent. Illi in loca vadosa juxta littus se receperunt; fore sperantes, vt Agrippa in breuia illa majoribus nauigijs inuectus rei bene gerendæ occasionem daret. Agrippa verò à locorum peritis admonitus, anchoras in alto jecit; quumque hostes vltrà non prodirent, fessus demum stando, receptumque illum fugam hostium & formidinem & victoriæ confessionem interpretatus, multa cum gloria Hieram, vnde mane soluit, serò vespere reuertitur. Pompeius verò suos consolatus, eos non virtute, aut arte militari, sed mole nauium aduersarum superatos fuisse docuit. Itaque non secus quàm victores & laudauit publicè, & præmijs donauit. quanquam nec incruenta hæc pugna Agrippæ fuit, quinque nauibus submersis,

Agrippæ virtus.

&

& fortissimo quoque militum in prœlio amisso.

Cap. 50. Cæsar iam ante ab Agrippa certior factus Pompeium à Messana Mylas profectum, Tauromenium per absentiam Pompeij adoriri & expugnare statuit. Quoque magis falleret, noctu rem aggredi instituit. Quùm verò rumoribus omnia in maius augentibus, fusum Pompeium, classemque eius omnem, non pulsam fugatamque, sed profligatam penitùs & deletam accepisset, mutato consilio, rem palàm & interdiu (id enim victori magis conuenire existimabat) exequi parabat. Itaque quantum potuit militum nauibus imposito, à Leucopetra, quò breuissimus ex Italia ad Tauromenium traiectus, soluens, eò luce aperta contendit. Quumque in conspectum venisset, misit qui deditionem à præsidiarijs fieri postularent. A quibus reiectus, milite exposito, subductaque classe, collem ex aduerso vrbis occupauit, ibique castra munire cœpit. Erat autem Tauromenium vrbs ad freti Siculi orientale latus sita, quemadmodum Mylæ ad occidentem; inter duas vrbes media Messana fuit. Pompeius qui post aduersam ad Mylas pugnam, quid Cæsar paraturus esset, coniectura assequebatur, statim à cœna, Messanam se conferebat. Quumque Cæsarem postridiè summo mane Tauromenium profecturum ex speculatoribus comperisset, ipse classe eòdem contendit: Iusso equitatu iuxta sequi, & exercitum eòdem, quâ maxime potuit celeritate contendere. Et forte accidit, vt sub vesperam & classis Pompeiana à mare, & exercitus cum equitatu à terra se ostenderent,

Tauromenium vrbs.

derent. Equitatus primo aduentu cum impetu illatus in munientes pugnabat: quòd si pedestres copiæ cum classiarijs in terram egressis parem operam nauassent, quantum humano iudicio æstimari posset, actum planè illa nocte de rebus & fortunis Cæsaris fuisset. Sed quum naues iactis anchoris segnem in salo stationem facerent, copiæ pedestres sibi castra munire, quàm cœptas hostium munitiones oppugnare & reuellere pararent: equitatus à reliquis destitutus languidiùs primò in pugna versari, mox se recipere & loca tuta petere cœpit. Cæsar ignauia hostium pro occasione vsus, castra ante mediam noctem perducto vallo communiuit, & ante lucem, veritus ne à tot simul exercitibus clauderetur, relicto ad præsidium castrorum Cornificio cum parte copiarum, cum reliquis ad classem, maris fortunam aduersus Pompeium tentaturus silentio descendit: impositoque milite, dextro cornui præfecit Titinium, læuo Carcium: ipse Liburnica circa classem volitans omnibus hortator ad rem strenue gerendam aderat. Quo facto ad mediam aciem, quam tuendam ipse desumpserat, reuertitur, positis insignibus, vt in maximo & vrgentissimo periculo constitutus, ne ab hostibus agnosceretur. Vbi illuxit, nondum firmatis cibo corporibus ad pugnam veniunt. Acri vtrinque edito prœlio, & neutram in partem inclinante se fortuna, sub meridiem fessi se recipiunt: pransi iterum in pugnam redeunt, & certamen in noctem extraxerunt: idque Cæsar aduerso iam Marte vsus sedulò faciebat, vt

Pugna naualis ad Tauromenium.

noctis

noctis beneficio, vel honeſtiùs pugnandi finem faceret, aut etiam, ſi res ferret, tutiùs profugeret. E diuerſo Pompeiani rem ſemel inclinatam videntes, ante veſperam tranſigere cupiebant. Itaque omnibus viribus conniſi triremes Cæſarianas alias magno numero capiebant, alias ignibus immiſſis incenderunt. Quo conſpecto, reliqua ſtatim claſſis ſublatis velis, fruſtra inclamante & retinente Cæſare, Italiam curſu petierunt. Sed eas Pompeius magna celeritate conſequutus omnes ferè ceperat. Quod ſi qui in terram iuxta Tauromenium enataſſent, eos ab equitibus Pompeianis qui littus ſeruabant, obterebantur. Ipſe Cæſar ad multam noctem actuaria iactatus (nam & ſua nauis depreſſa fuerat) incertus Cornificiumnè per media naufragia ad Tauromenium in caſtris perſtantem peteret, an in Italiam rediret, fortuna magis quàm conſilio, medijs tenebris ad porticulum quendam in Italiæ littore iuxta fretum, cum vnico armigero deuenit: ibi illum quidam è ſuis, è proximis collibus ad rem cognoſcendam decurrentes, corpore ſimul animoque fractum inuenerunt: Veruntamen bono animo eſſe iuſſum, & à tugurio in tugurium obliquis tramitibus, quo magis hoſtem, qui omnia littora ſcrutabatur fallerent, tranſlatum tandem ad Meſſalam, quæ ad Leucopetram ſubſtiterat, incolumem deduxerunt. Hic finis fuit pugnæ naualis ad Tauromenium, qua proxima ad Mylas clades ab Agrippa accepta abundè Cæſari reddita videbatur.

Cap 51. Cæſar tanto vulnere grauitèr affectus, à prœlijs

lijs maritimis, quantum licuit, deinceps absti-
nebat. Interim legiones alias post alias in Sicili-
am transmisit, donec totas viginti legiones ex-
pleuisset. Pompeius quum se, si bellum trahere-
tur, ipsâ multitudine ad Cæsarem ex Italiâ
confluente, obrutum demum iri prospiceret,
semel aleam iacere, & fortunam pugnæ expe-
riri statuit. Itaque nuntium ad Cæsarem misit
percontatum, num vellet decertare nauali præ-
lio? Cæsar quamuis Neptunum parum æquum
hactenùs expertus, prouocatus tamen diem
dixit, quo cum trecentis hinc inde nauibus,
inter Tauromenium & Leucopetram iuxta fre-
tum Siculum concurrendum esset, vel laborum
ibi, vel vitæ finē expectaturus. Ingens erat pug-
næ apparatus, ingentior hominum de hoc præ-
lio expectatio. Inter cætera Agrippa nouum
Harpagonis genus excogitauit. Manus olim
ferreæ longurijs inserebantur: eæ nauibus inie-
ctæ facilè illas, quod vnum quærebatur, attrahe-
bant: sed cùm hastilia ex ligno essent, nec
longè ea pertingebant, & securibus facilè præ-
cidebantur. Agrippa verò quinque cubitorum
hastile ferreum pro ligneo fabricari fecit. Cir-
culus in fine erat: cui cuiusuis longitudinis re-
stes innectebantur: sic comparata balistis in na-
ues hostiles è longinquo quamuis immittebant.
Cuius inuenti vsus ad summam victoriæ pluri-
mùm conferebat. Vbi dies venisset, ortó sta-
tim sole, armatæ vtrinque procedunt classes.
Priusquam pugna inciperet, remigum erat,
naues summa arte è longinquo versantium, o-
stentatio: inde procursum vtrinque, & missili-
bus

Vltima pugna naualis inter Octauium & Pompeium.

bus certari cæptum, ſaxaque magni ponderis, & ſagittæ grandes, & ignita iacula, non arcubus emiſſæ illæ, non hæc manu vibrata, ſed machinis excuſſa omnia, magna vtrinque ſtrage volabant. Demum vero quum brachia concaluiſſent, incenſique ad pugnam animi eſſent, magno inter ſe impetu aduerſiſq; roſtris concurrebant. Vbi concurriſſent, ita ſtatim duæ inter ſe miſcebantur claſſes, vt ducibus ipſis ſuas cuique naues aut ordines in tam confuſa multitudine cognoſcendi non facilè conſtaret ratio. Pari enim apparatu, paribus armis, eadem ferè lingua, omnes vtebantur: in qua tam triſti alioqui & terribili pugna, ſolo vtrinque igne abſtinebant. Idque faciebant, non vllo imperio, ſed ſuo quiſq; periculo admoniti, quum hoſtium naues inflammare non poſſent, vt non ipſi incendio hauſti pariter conflagrarent. Vnum hoc intererat, quòd Pompeiani miſſilibus mallent: Cæſariani, Agrippæ inſtituti memores, vt rem ad pugnam campeſtri ſimilem reuocarent, Harpagines ſuas, veluti tela, in aduerſos, baliſtis ad id paratis, intorquebãt: quæ ſi quà fixæ hæſiſſent, milites ſtatim naues prehenſas multâ ad ſe vi adducebant. Tum ſecures Pompeiani expedire: ſed quum Harpagines ex ferro omnes, ad quinque, aut ampliùs cubitorum longitudinem eſſent, fruſtrà omnem ſecurium vim, quum ad reſtes non pertingerent, eſſe compertum eſt. Haſtas vero falcatas, quibus Brutus olim in pugna contra Venetos vſum fuiſſe ſuperiùs diximus, ad nouum iſtud Agrippæ commentum eludendum Pompeiani in promptu

 non

non habebant. Quod solùm poterant, remorum vi se retrahebant: nec aduertebant animo, eâ operâ hostem se impensius ad se trahere. Quùm ergo nulla extricandi se ostenderetur ratio, magnis & ipsi animis ad prælium comminùs conserendum se parabant. Congressi alteri in alterorum naues desultabant, gladijsque res geri cœpta ingentem vtrinque stragem dabat. Nona iam erat diei hora, quum Agrippa, omnia oculis circumspiciens, ex turrium coloribus, quo vno discrimine dignosci possent, plures è Pompeianis desideratas esse cognouit. Id suis commonstrans, victoriam in manibus esse clamat: simul milites Victoriam, Victoriam ingeminabant. Ea vox Pompeianos, pugna diutina fessos, & vulneribus confectos auertit: fugientes insequuti Cæsariani magna cæde in eos grassabantur. Ex omni numero septem modò & decem naues, deiectis turribus quo expeditiùs id facerent, ad fretum Siculum aufugerunt. Reliquæ ab Agrippa interclusæ: hæ partim in propinquum littus se eiecerunt, easque Agrippa quùm arenis impactas auellere non posset, ipso loco, immissis ignibus incendit: partim in salo adhuc perstabant. Quæ viso sociarum nauium incendio, deditionem mox Cæsari fecerunt. Ingens inde à classe Cæsariana, vt in plena victoria, sublatus clamor: nec minor à pedestri exercitu in terra redditus. At Pompeius prœlio nauali ex prouocatione victus, simul animum, simul spem in futurum omnem abiecit. Nec diutiùs in terra consistere ausus, nauigium ad incertos casus in-

occulto maris sinu abditum conscendit. Et vili amiculo indutus, per medias hostiū stationes & suorū cadauera, Asiam fuga petijt: vbi paulo pòst iussu Antonij interfectus est, ne nouarū inter ipsum & Cæsarē discordiarū superstes causa fieret.

Cap. 51. Cæsar difficili hoc bello liberatus, nullo enim vno tot capitis discrimina adiuerat, omnes mox curas ad Antonium opprimendum conuertit. Multæ huius belli in speciem ferebantur causæ: priuatæ aliæ, aliæ publicæ. E priuatis illa maximè Cæsarem mouere videbatur, Quod pulsa Octauia Cæsaris sorore, Cleopatram Ægyptiam, non iam vt amasiam, sed iustæ vxoris loco Antonius habere cæperat. Ex publicis verò; quòd se planè pro Ægypti & totiùs orientis Rege ferebat Antonius. Etenim Alexandriæ foro publico, confluente ad rei spectaculum populi totius multitudine, duos aureos thronos in tabulato argenteo collocauit: alterum sibi, alterum Cleopatræ. Alios deinde liberis, & priuatim illius, & communitèr suis, sed humiliore fastigio positos. Addita & præconis vox erat, quâ Cleopatra Ægypti, Cypri, Africæ totius, & Cœlosyriæ Regina appellabatur; collega ei addito Cæsarione, quem ex maiore Cæsare Regina susceperat. Suos deinde ex ea filios, alterum Alexandrum, Mediæ, Armeniæ, & Parthiæ, quamuis nondum deuictæ Regem nuncupauit: alterum nomine Ptolomæum, Phœnices, Syriæ & Ciliciæ Regem salutari iussit. Ferebantur & voces, Eum Cleopatræ Romanum imperium in dotem constituisse. Quæ res omnes, siue veræ

illæ, siue, quod tantundem erat, vulgò creditæ, instigante Cæsare populum Romanum non mediocriter solicitum habuerunt. Itaque magistratus ei, quamuis absenti, & inaudito, abrogatur; & ille, vt quam in Cæsarem non potuit, in eius saltem sororem iram effunderet, misit extemplò Romam, qui Octauiam cum liberis è domo sua ejiceret: Simul ipse cum Cleopatra è Syria Ephesum venit, vbi classis illi octingentarum nauium instructissima occurrit. E quibus ducentas Cleopatra præbuit, cum viginti millibus talentorum, frumentoque quod ad tantum exercitum alendum satis esset. Ab Epheso statuit Alexandriam cum Cleopatra nauigare, simul ne mulierem in tanti belli discrimen traheret: simul etiam, vt si quid aduersi in prœlio accideret, tutum ad eam in Ægypto receptũ haberet. Illa verò muliebri ingenio vsa, & ne per suam absentiam cum Octauia in gratiam rediret Antonius verita, precibus, lachrymis, sed quo maxime telo valuit, amicorum, quos precio corruperat, intercessione apud Antonium pugnabat, vt cum eo ad id, quicquid erat, belli periculorũ socia proficisci posset. Quæ sententia quùm vicisset, Epheso soluit. Sed quum rectà in Italiam cum classe & exercitu profectus, Cæsarem pecuniarum illo tempore indigentissimum, & cæteròquin imparatissimũ opprimere forsan potuisset, ille Samum trajiciens, æstatis tempus festis & choreis, sacrificijsque & omni luxus genere, famæ, salutis, rerumque suarum oblitus, absumsit. Quibus satur demum cum Cleopatra Ambraciam in

Epiro

Epiro cum classe venit. Eòdem & terrestris exercitus, quo maiorem instructioremque raro vllus Romanorum imperator habuisse memoratur, venit. Cæsar dum Antonius Cleopatræ amoribus indulgens Sami demoratur, omnia ad bellum exquisitissima cura comparabat, classem, remigem, exercitum, pecuniam: quibus instructus, vt animi viriumque suarum fiduciam ostenderet, misit ad Antonium, qui rogaret, vt cursum in Italiam maturaret; se portũ ei vbi vellet præbiturum, & vnius diei iter à mare recessurũ, quo securiùs ille copias in terram exponeret, & castra pro arbitrio communiret. Quod quum Antonius recusaret, eumque vicissim, vel ad singulare certamen, vel ad Pharsalum, vbi pater ejus olim, & Pompeius concurrerant, prouocaret, contemptâ ejus ignauiâ Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Ibi exposito in terram milite, & Ambraciam, vbi tum erat Antonius, contendere jusso, ipse eòdem cum classe cursum dirigebat. Erat sinus Ambraciæ longè optima nauibus toto illo Græciæ tractu statio, trecentorum stadiorum spatium in circuitu continebat: os tribus circitèr stadijs latum erat, ad cujus latus dextrum Actium ciuitas erat, & in ea templum Apollini sacrum, quæ ciuitas hodie Figalo nuncupatur: ad sinistrũ verò ignobilis quidam & innominatus viculus erat. Dextrũ igitur latus cum classe & exercitu occupauit Antonius: alterum Cæsar ex aduerso tenuit, cum quacunque parte virium arbitrio Antonij confligere paratus. Erant qui Antonio vehementissimè suaderent, ne copijs naualí-

naualibus plùs quàm pedestribus, quibus ad Philippos & mille alijs locis victoriam pepe-rißet, consideret. Quid? quod terrestri milite abundabat, remiges verò & nautas, ne quidem, qui ad dimidium ejus numerí nauium sufficerent, habebat: quos autem habuit, non illi ad rem nauticam exercitati, sed calones, messores, vinitores, senes alij, alij quibus vix certa constaret pubertas, de via ad remum, quem fortasse nunquam ante viderant, tractandum abrepti. Sed quid consilium, quid ratio, aduersus infaustæ illius & abominandæ Syrenis vocem posset? scilicet; magnam illius classis partem ipsa præbuerat: vt illâ potiùs virium parte Antonius suus vinceret, optabat: & ipsa prœlium nauale nunquam ad illumdiem viderat. Itaque quum stetisset consilium, naualis prælij fortunam experiri, vterque suam classem ante sinus Ambraciensis os concursuri educunt; alter spe plenus, & fœlicibus auspicijs lætus; tristior alter, & quum aduersa suorum voluntate, tum tacito animi augurio mœstus, & diris insuper portentis territus. Hirundines in puppe Antoniadis, (nauís ea erat Cleopatræ prætoria) nidificauerant: pridie quàm pugnandum erat, magna hirundinum alienarum vis, non solùm dominas nidis suis expulerunt, verumetiam nidos ipsos distraxerunt, & pullos in illis repertos, inspectante exercitu, deplumatos occiderunt. Mane verò ipso in prœlium exituro Antonio vetus miles suus multis cicatricibus aduerso ore & pectore conspicuus, occurrit, lachrymisque obortis, Et cur tu, inquit, Imperator,

Prælium Actiacum

perator, cicatricibus istis; aut huic gladio diffisus, in lignis illis (naues ostendebat) spem ponis? Ægyptij & Phœnices in mare certent, nobis terram da; in ea stantes, vel mori, vel vincere Romani consueuimus. Eum verò consolatus Antonius bono animo esse jussit, sed simul magistris, vt vela in naues comportarent, edixit; planè quasi jam tum non pugnam, sed fugam adornaret. Quumque magistri, illud verò præter morem, si quidem pugnandum esset, fore contenderent, rem dissimulans, Atqui, inquit, sine velis quomodo hostem fugientem persequemur? nec tamen illo die pugnatum est, subitò enim exorta tempestas, omnem non solùm pugnandi, verumetiam gubernacula tractandi potestatem ademit: ea verò maris turbatio toto quatriduo tenuit. Quinta demum luce, cadente vento, vtrinque ad pugnam processum est. Dextrum cornu Antonius, læuum Cælius, mediam M. Octauius & M. Iusteius aciem tenuere: Cæsar sinistrum cornu Agrippæ tuendum delegauit, dextro ipse præfuit. Sunt qui Antonio quingentas naues attribuunt, è quibus octeres & deceres multæ erant, quæ sua celsitudine, turribus à puppi & prora extructis, terribilem aspectum præbuerunt. Florus ducentas tantùm illi tribuit, sed omnes à senis ad nouenos remorum ordines fuisse ait. Quod quidem esse non potest, si verum sit quod Plutarchus ex Cæsaris ipsius scriptis narrat. Narrat autem trecentas, ne minùs, naues, eo prœlio in Cæsaris venisse potestatem. Florus autem qui ducentas modò Antonio dat, quadringen-

tas Cæsari tribuit, sed à ternis eas ad senos, non amplius, remorum ordines excreuisse refert. Illud certè inter omnes constat, numero nauium Cæsarem, mole Antonium longè superasse. Quin & Antonius præter turbam nauticam, viginti grauis armaturæ millia, bina sagittariorũ & funditorum, classi imposuit. Cæsar classem expeditam magis, quam grauem habuit. Prior Antonius classem eduxit, sed eam juxta fauces portus tenuit. Posterior Cæsar aciem explicuit, longius progressus vt majorem pugnandi potestatem faceret. Antonius leui Phaselo, circa classem suam, vt stabat instructa, volitans, milites hortabatur, vt nauium mole freti, tanquam ex mœnibus, aut alio firmissimo aggere pugnarent: idem gubernatores admonebat, vt stantes impetum hostium exciperent, nec rostra nauium aduersarum in tanta suarum firmitate & robore pertimescerent. Cæsar suos ne cum tantæ molis nauibus rostris cõcurrerent, sed cirumcursando nunc has nunc illas carperẽt, admonebat. Rebus vtrinque constitutis, mirari Cæsar, quòd hostis in ipsis portus faucibus vsque se tenebat. Etenim is erat classis Antonianæ aspectus, qualis ad anchoras stantium esse solet. Idque aliquandiu ita esse Cæsar existimabat, eamque ob causam mille ab hoste passibus se tenuit, vtpote qui, nisi aperto liberoque mari concurrere non auderet. Sexta jam erat diei hora, quum Antonius moræ impatiens, signa canere, & læuum cornu in altum moueri mandabat. Quod vt vidit Cæsar, lætus animo, cornu dextrum, in quo ipse pugnaturus erat, pedem

dem referre juſſit, vt hoſtem à faucibus in apertum mare penitùs elicitum, non à fronte modò, verumetiam à tergo omnibus viribus aggrederetur. Commiſſâ pugnâ nulli nauium concurſus aut colliſiones fuere; quippe Antonianæ, ne ſi id maximè quidem cupiuiſſent, incitari potuerunt, ingentes adeò erant, & ipſa mole immobiles, præſertim remigio minùs, quàm in tanto periculo conſtitutis par erat, inſtructæ. Cæſarianæ autem, propter leuitatem ſuam, ſiue in aduerſas, ſiue in auerſas incurrere non audebant: aduerſarum enim roſtra ærata horrebant, nuda verò earum latera impetere fruſtrà erat: facilè enim nauium ſuarum roſtra nauigijs, quæ ex magnis quadratis lignis & ſolido robore conſtabant, impacta ſuo impetu diſſilijſſent. Quòd ſi propiùs ſucceſſiſſent, ingentem telorum ſaxorumque vìm ex loco ſuperiore, omni fulgure violentiùs intortam ſentiebant: ſin alienatis à mortis ſenſu animis, nauium muros per audaciam ſubijſſent, feruentē in eos, vel picem, vel arenā, planè vt ab obſeſſis vrbium mœnibus fieri ſolet, hoſtes vndiq; effundebant. Quibus rebus territi paulìſper Cæſariani miſſilibus, quamuis impares, eminùs certabant, circumque curſando, nunc has, nunc illas, vt admoniti erant, carpebant, treſque ſimul aut quatuor, omni genere militiæ ſingulas adortæ oppugnabant, & propugnatores, à prora, à puppi, à lateribus, ancipiti prœlio diſtinebant: maximè verò Antonianis ignita Cæſarianorum tela nocuerunt: ſemel enim igne

ne correptæ naues, nullam vel è prœlio excedendi, vel haustis è mari aquis flammam restinguendi facultatem reliquam habuere: densæ adeò Cæsarianorum acies circumstabant, & in perturbatos impetum omni parte faciebant. Orto verò pluribus simul partibus incendio, quum Cæsariani omnium animos consternatos animaduertissent, factis vbique testudinibus succedebant, & in altissimas nauium, veluti in muros, vt cuique facultas dabatur, cum clamore & conuicio scandebant. Quamuis verò ingens jam in resistentes cædes edebatur, impetum tamen & flammarum & armorum Antoniani fortiter, & vt viros decuit, seruatis vbique ordinibus sustinebant: donec Cleopatra, aurata naue, purpureisque velis inter omnes conspicua, cum sexaginta præstantissimarum nauium cohorte, fuga se proripere cæpisset. Hoc primum ordines (omnibus de via Reginæ decedentibus) aperuit: quibus è vestigio Cæsariani se, ne rursus coirent, insinuabant. Hic primùm Antonius, se nec ducem, nec omninò virum, sed turpissimæ libidinis mancipium esse commonstrabat; simul enim ac Reginam fuga abreptam conspexisset, ex prætoria in quinqueremem desiliens, proditis desertisq; suis, qui fortissimè vsq; pugnātes mortē pro eo tota classe magnis animis oppetebant, immemor etiam centum viginti millium peditum, duodecimque millium equitum, quos in vicino littore, atque adeò in conspectu, pugnæ priùs, nunc ignauiæ, & turpitudinis eius spectatores

habuit,

habuit, Reginam ſequebatur. Illa venientem præſtolata, quum veniſſet, haud aliter quàm ſi in Nilo ſuo voluptatis cauſa nauigaret, gratulabunda recepit. Ille autem, nec illam nec aliorum quemuis, vel alloqui, vel intueri ſuſtinuit: ſed in proram nauis mœſtus conceſſit, ibiq; caput amiculo obuolutus decubuit, donec Liburnicæ Cæſaris inſequentes apparuerunt: tum è cubili ſe proripiens proram obuerti iuſſit, quumque reliquas, veluti leuiores, facilè repuliſſet, vnus Eurycles genere Spartanus ei acritèr inſtabat, edito nauis loco ſtans, & haſtam, veluti in ipſum coniecturus, vibrans: quumque quis eſſet, qui ipſum tam infeſto animo peteret, ab Antonio interrogaretur, Ego verò, inquit, Eurycles ſum, Lacharis viri Spartani filius, qui nunc ira mea, fortuna verò Cæſaris ad patris mei per iniuriam olim à te cæſi mortem vindicandã vtor. Ipſam tamen Antonij nauẽ inuadere non audebat: aliã verò iuxtà nauigantem æreo roſtro in puppe ictam circũegit, eamq; in latus verſã cepit. Mox deinde aliã, pretioſa ambas Cleopatrę ſupellectile omnes diuitias ſuperante onuſtas cepit: cui adſeruandæ dũ immoratur Eurycles, iterum Antonius in ſuum ſe cubile veterno indulgens recepit, totoque triduo decumbens, Cleopatram non alloquebatur, ſed capite, vt priùs, obuoluto, (ſiue ira hoc fecit, ſiue verecundia) iacuit. Veruntamen Tœnarum in Græcia cum veniſſet, ibi àd priſtinas ſordes reuolutus, non ſolùm ſermones cum eâ, verumetiam concubitus miſcere

cæpit

cæpit, prorsus quasi Cæsari fidem facere voluisset, cuius nota illa erat, & in concionibus ad populum frequens vsurpata vox; Antonium Cleopatræ venenis delibutum, non solùm mentem, qua plurima olim valebat, verumetiam sensum hominis, &, præter formam, omnia exuisse. Iam eòdem, ex nauibus aliquot incendio elapsæ, & in illis amicorum nonnulli conuenerant: classem omnem, atque etiam exercitum in Cæsaris fidem concessisse, & ipsum Cæsarem ad eum opprimendum venire nuntiantes. Itaque in Ægyptum properè traiecit. Ante discessum nauem onerariam, multa pecunia, aureaque & argentea supellectile refertam amicis donabat, iussis vt ea inter se partirentur, salutique suæ, vt videretur, consulerent. Hæc est illa pugna Actiaca, omnium quæ vnquam in mari commissæ sunt, non cæsorum numero (neque enim vltra quinque hostium millia in ea cæsa feruntur) sed euentu maximè memorabilis. Hac enim victoria Ianus geminus Romæ clausus, & pax illa (de qua tot, tamque clara in ipsis sacris literis vaticinia reperiuntur) terrarum orbi parta fuit; qua constante, Seruator noster Iesus Christus, Dei Filius, de Virgine nasciturus erat. Cæsar, in littore vbi castra metatus fuerat, vrbem condidit, quam ex re, Nicopolim appellauit, nunc Dardanello dicitur. Commissa autem fuit hæc pugna, anno ab vrbe condita, septingētesimo vicesimo secundo, secùndo mensis Septembris die: à quo tempore Romanum sub Cæsaribus Imperium censeri

ſeri cæpit. A Diluuio verò (vnde noſtra hæc hiſtoria initium capit) ad hanc pugnam, bis mille ducenti octoginta quatuor cenſentur anni. Incidit etiam in annum circiter triceſimum ante Chriſtum in carne reuelatum. In Eo naufragiorum noſtrorum ſpes, in Eo ſalutis communis portus conſtituitur: in hunc portum ego meam hanc carinam, tot maria peragrando feſſam, pro tempore ſubduco.

Hiſtoria Naualis Antiqua Finis.

Deo Opt. Max. ſit omnis honos laus & gloria.

Errata.

Pag. 12. Aenæade. lege Aenæide. pa 18. pacta, l. nacta. pa. 46. militibus, l. millibus pa. 53. reperieris, l. repereris. pa. 81. quidem, l quidam pa 92 portium, l portum. pa. 97. poterant: Ex, l. poterant ex. pa 123. conspicerentur, l. conspiceretur. pa. 124 quidam, l quidem. pa 144. electa, l delecta. pa, 145 singularium, l. singularum. pa 155. adlætatus, l delectatus pa. 161, accepto, l excepto pa. 165 ratam, l. rata pa 168 viri, l. viui. pa, 169. iq; l. itaq; pa 170. longà, l. longè. pa 176 integrè, l integræ pa 187 nomine, l. nomini. pa 190. insepultum, l insepultum. pa. 194. Aegytiæ, l. Aegypti. pa, 238. μεκατας, l. μῦχατας. pa. 264 sortireuè, l. sortiriuè. pa. 272 inquirunt, l. inquiunt. pa. 278. commoratos, l. commorato pag. 279. Austrio, l. Austro. pa. 281. &, l vt. pag. 287 nec, l. ne. ead pa. conferri, l inferri pa 288. æquiminalibus, l aquiminalibus. pa 291. quæ, l qui. ead. pa habita, l. habiti. pag. 300 sine, l. siue pag 318 Longanticum, l Longunticam. pa. 355. Hispanicas, l Hispanias pa. 367 onustam, l. onustarum pa. 374. inunciatum, l. annunciatum. pa. 402 constitutos, l constitutas. ead. pa. corripuissent, l. corrupissent. ead pa. præuia, l peruia. pa. 414. Romana, l. Romam. pa 425 expositæ, l. exposita. pa. 426. ibi, l. illi. pa. 443 cogeris, l cogaris pa. 450. dextrum, l dextram. pa. 454. prohiberent, l prohiberet. ead pa onerrti, s, l onerarijs. pa. 458 sinistram, l. sinistrum pa 466 fretumque ingressus, l fretoque egressus pa. 468. amissa, l omissa. pa. 477 eos, l. ij. ead. pag. Messalam, quæ, l. Messalam, qui.

Alia si occurrerint, tu, quæso, lector, facili manu corrige.